
37
31 D
22

DE SCRIBENDA UNIVERSITATIS RERUM HISTORIA LIBRI QUINQUE.

Christophoro Mylæo Autore.





LECTORI S.

Quæ sit huius naturalis, historici & continentis rerum omnium ordinis sententia, Naturæ, Artium, Reipub. Principatuum, Doctrinarum atq; Literatorum hominum ab ipsis primordijs ad nostra usq; tempora perbreuem enumerationem comprehendens, ex Epistola, Procemio, & Partitionibus protinus intelliges.





B A



Cum Cæs. Maiest. Gratia & priuilegio ad quinquennium.

Jo: Delphini

SERENISSIMIS PRINCIPIBVS Philippo Hispaniarum ATQVE Maximiliano Bohemiæ Regi,

CHRISTOPHORVS MYLAEVS S.



VVM IN ITALIAM HISCE annis,cognoſcendi Iuris ciuilis inſtituto,ueniſſem,Hiſtoriæ Vniuerſitatis rerũ perbreuẽ adumbrationem, quam mecum circuntuleram,identidem relegere, conuenientius diſtinguere,ac ſuis partibus complere,ope ræpræcium arbitrabar. Hic dum maxima Italiæ celebritate ueſter multò iucundiſsimus aduentus, PRINCIPES SERENISSIMI, exciperetur, amicorum beneuolentia ſum admonitus, ut huius ſuſcepti operis documentũ ederem,quò aliquando in ueſtro nomine apparere poſſet. Quod ubi feciſſem,& quorundam iudicijs cognouiſſem nõ improbari,confirmato iam animo,& quæſita occaſione,cœpi uniuerſum hoc ſcriptum deintegro retexere: ut ſententiam totius huius naturalis rerum ordinis conſtituendi,pro mediocribus meis eiuſmodi ſtudiorum incrementis,aliquanto certius atq; diſtinctius patefacerem. Rationes autem fuerũt permultæ, quibus adductus,hanc partẽ ſtudiorum maximas in diſciplinis tradendis,cognoſcendisq; opportunitates habere exiſtimaui. Atq;,ut inde rem explicare incipiam,unde ad hæc conſcribenda diuerſis temporibus ſum impulſus,animaduerti cùm alia multa inuitare, tum quòd homines ſumus, ad rerũ cognitionẽ geniti,ipſam recordationem maximè commonere,quibus non ſit alienũ ad informatas iam doctrinarum intelligentias,& adumbratas,quę ætatum omnium conſenſio-

ne deprehensa & obseruata sunt, conuenienter accommodare: ut oporteat hominem, quo debito munere fungatur, etiam humana omnia aliquando lustrare. Itaque cum multa sint, longo ætatum cursu ingenijs studiose elaborantibus inuenta & tractata, nullius tanta esse potest, rerum innumerabiliū, quæ tam uarijs literarū monimentis cōtinentur, memoria tam firma, tamque fidelis, ut eorum quæ sunt necessarij usus satis recordetur: sed præsidia quærenda sunt, non aliter quàm ij fecerunt, qui principiò generi hominum usum literarū dedere. Est uitæ nostræ perbreuis cursus, ut consultū sit diuturno ætatū studio partam rerum cognitionem in pauca subtiliter contrahere. Ac nec in ipsa uitæ breuitate, per occupationes maximæ parti hominum uacat, tam multorum, qui diuersis linguis & doctrinis scripsere, ingentia uolumina euoluere, aut ex ijsdem in quoque genere conuenientia seligere: aut eadem ordine, ad expeditum usum conuenienti, distinguere: ut lectionis compendium inquirendum sit, occupatis hominibus, & in unū studij genus intentis, qui breuitate inuitantur, cum eadem sit maximum firmādæ me memoriæ præsidium. Habet simile quiddam naturali ordine distincta scriptio, cum ipsa Historia, quæ res gestas cōmemorat, ut cœptam semel lectionem, nullo fastidio correpti, non intermittamus: sed quadam ratione colligatæ & continuatæ orationis decursum, uelut secūdo amne, sequamur: ita est utilitati coniuncta etiam ratio iucunditatis quædam, ex multiplici rerum uarietate profecta, cum uno loco & tempore, atque eodem orationis filo, tam multa mente comprehendimus. Illud etiam in ea lustratione assequimur, ut certius, qua in doctrinæ parte uersemur, nobis constet, quo in ordine sit, quo in loco reposita: ut periti Geographiæ, quā orbis partem incolant, habita ratione situs terrarū uniuersi, iucundè cognoscunt, & se scire gaudent. Maxima uerò utilitas fuerit ad omnem cognitionē maiore successu comparandam, si intelligamus eorū consilium, qui solent studiorum informationem præscribere. Semper enim utile uisum est illis etiam, qui unum genus studij (quod uidetur omnino faciendum) profitentur, summa quædam genera disciplinarum uno tempore breui oratione delibare, quò ita suæ quisque professioni accommodatiora seligat. Studiosis igitur literarū præcipiunt, ut uehementer fructuosum & opportunum, illustres locos ex scriptoribus excerptos, certis generibus diligenter subijcere. Verùm ad hanc rem nihil fuerit aptius, & ad solidam rerum cognitionem expeditius, quàm tale quiddā (quod his rationibus adducti proponere conamur) studiose exquirere, col-

te, colligationem rerum atq; cognationem. Varia & disiecta capita, licet multis scriptorum testimonijs compleantur, in conuenientem studiorum usum non satis commodè trahi posse uidentur. Adfert iudicium maius ordinis totius semel constituta ratio, cum ita sunt disposita omnia, ut nihil sit tam uariū, quod non ad suum quasi domicilium reducatur: quæ nisi quis sibi proponat, uix tandem maximum illud assequetur, ut perspecta habeat rerum primordia, progreßiones, incrementa, inclinationes & exitus. Ac si uolumus rectè æstimare, etiam amissis ueterum scriptis, copia magis rerum cognoscendarū, quàm inopia conqueri plerosq; uidere licet, ut temperamentum in quaq; profeßione sit inuestigandū. Multa autem cum sint scripti genera, deducente hoc naturali rerum cursu, adumbranda, quorum nulla adhuc extat plena satis tractatio: fieri poterit, ut quæ temporum grauißimis iniurijs perierūt, aliquo modo hisce præsidijs cōpensari queant. Deinde ab ijs plurima ad omnē posteritatem facilè trāsferri uidemus, qui res in uniuersum tractant, quòd separata scripta plerunq; intercidere soleāt: ut hoc scriptionis genus pretermitti non debere uideatur. Neq; minima est utilitas, ipsis rebus uerba ita connectere, atq; cōiungere, ut eodem propè negocio simul tradi & cognosci poßint: quando separatim duplicem laborem adferunt, cum uerba sint potius rebus accommodanda: est enim expeditior rerum, quàm uerborum memoria. Conseruatus etiam rerum conueniens ordo, cuiusdam interpretationis loco esse uidetur: quoniam alia coniūcta alijs explicari aptißimè possunt. Sed in disciplinis tradendis manifestius contrahēdę Vniuersitatis usus perspicitur. nam literarum magistri ante legitimam scriptorum enarrationem generatim præmonere consueuerunt, quibus de rebus doctrinā instituāt, ut maiore iudicio studiosi cognoscere poßint, quò quidq; referri debeat, quātum sint progreßi, quid inde sit reliquum. Quod si cōmuni eorum qui docent, consensu in singulis disciplinis receptum est atq; usitatum, idem, si generatim fiat, à nemine improbari poterit: ut his ad legendos diuersi generis scriptores etiam mediocriter delibatis, paratior & instructior quisq; ueniat. Est in conscribendis ingenij monimentis communis quædam omnium consuetudo, cum scriptores plurima, quæ sunt alterius generis & doctrinæ, tametsi ex professo unū genus negocij tractent, aliqua ducti similitudine, artis suæ præsidia & ornatum quærentes, uariè accersunt, atq; ingeniose locos altius ab origine repetitos accōmodant. Quanti autem referat, ea uno in loco habere, in quibus cōmuniter omnes con

 sentiunt,

sentiunt, propria cuiq; parti doctrinæ & conuenientia, per se quisq; intelligit. Præterea, nec illud scio an probari debeat, partitionem hanc studiorũ & graue diuortium facere, dum quisq; suo genere contentus, spretis ac prætermissis aliorum studijs, minimam cõmunitatis, societatis & cognationis doctrinarum inter se curam suscipit: cum tamẽ Vniuersitatis mediocri habita cognitione, ea quæ tractamus, & perspicua magis, & ad præsentem usum expeditiora reddantur: cumq; à suis locis diuulsa, tanquam membra à corpore dissipata, obscuritatem maximã & perturbationem adferant. Omnis itaq; doctrina coniunctè melius quàm separatim cognoscitur, quando earũ commune quoddam est uinculũ, quo inuicẽ arctissimè colligãtur. Ac qui uolet exemplo eorũ, quos in scribendo probari uidemus, & cogitationes suas literis mãdare, propter ea quæ diuersi generis frequenter occurrunt, eidem erit necesse, ex uarijs ingenijs, delecto ad id tempore, excellentissima quæq; libare. Quocirca in hac historicæ orationis perpetuitate illud consequemur, ut à primordijs, negociorum & temporum seriem certis incrementis deducentibus, rem eandẽ nõ nisi semel, & suo loco aptè & accommodatè dicere conueniat. Faciunt autem consultò & utiliter scriptores, qui in illis subtilib. & eruditis disputationibus, communi rerum facta doctrina, ijs quæ asserunt comprobandis, & apertius explicandis, plurima uariè repetunt, præsidiã undiq; colligunt: & ex alijs, pro cuiusq; argumenti necessitate, alia coagmentant: ut eius communitatis ratio aliqua uideatur esse constituenda. Ac in tanta ingeniorum dissimilitudine, cum alius ad alia magis sit accommodatus, consentaneum fuerit in re literaria singulis doctrinis singulos nominatim elaborare, & ex ijsdem, quò adiuuari omnes possint, generalem cognitionẽ breui rerum omniũ facta enumeratione, comprehendere. Itaq; huius libri editione mecum hoc unum fuit consilium, experiri, num communis rerum quædam tractatio institui possit, qua non ordinem modò & cognationem rerum breuiter conscriptam habeamus, uerùm etiã multa uariè disiecta, quasiq; longius peregrinantia in suas sedes reducantur: & ad eam rem totius operis instituendi breuem admodum atq; angustam quandam formulam, pro meo in studijs literarum progressu, adumbrare sum conatus. Hos igitur cœptos de studijs doctrinæ labores, ueterem, ac etiamnum retentã literatorum hominũ consuetudinem sequutus, uestro nomini, PRINCIPES SERENISSIMI, omni studio & obseruantia dicare uolui: persuasum habens, pro singulari uirtutum indole, atq; communi expectatione, literarium

ne, literarium hoc patrocinium uos libenter suscepturos. Nam ex magnis principum laudibus, illa plurimum commendatur, non modò grauibus Reipub. occupationibus doctrinæ atq; literarum studia conuenienter adhibere, sed etiam studiosorũ conatus beneuolentia prosequi. Eam ad rem omnis Antiquitatis memoria, & horum temporum celebritas luculentissimis exemplis abundat: quibus maximum semper fuisse, & multas ad res necessarium literarũ usum, uerissimè cõprobatur. Est meũ scriptum eiusmodi, ut constitutis tribus rerum generibus, Naturę, Prudentiæ, atq; Sapientiæ, continenti, historico, & naturali ordine seruato, eorum quæ per tot ætates in rerum cognitione sunt deprehensa & tractata, quæq; in communi uita hominum latissimè uersantur, non iniucundam commemorationem breuissimè expressam comprehendat: quemadmodum, PRINCIPES SERENISSIMI, cum ex grauioribus uestris occupationibus, ad hanc fructuosam in primis, liberalem atq; ingenuam Historiæ oblectationem transire libebit, facilimè cognoscetis.

Valete.

CHRISTOPHORI Mylæi, de ſcribenda Vniuerſitatis rerum hiſtoria, Libri quinque.

PROOEMIVM, QVO SVSCEPTI huius conſilij prima occaſio, & ratio omnis explicatur.



Ingenitus cognitionis rerum amor.

AGNVS NOSTRIS OMNIum mentibus, cognitionis multarum rerum comparãdæ Naturâ ingenitus amor, & laudabile ueri inquirendi atque perſpiciendi excitatum eſt ſtudium: quo nos tantum commoueri ipſi ſentimus, ut conatus, labores, pericula multa, nullo inuitati emolumento, ſola ſcientiæ auiditate, communiter omnes libere ſuſcipiamus. Quod in his etiã perſpicere licet, qui ad rerum peruestigationem uehemẽtius ſunt intenti, ut uigilias, famem, ſitim, neceſſaria omnia, honeſtum perferre, & iucundum arbitrentur. Illud cùm multis ſignificationibus eadẽ Natura clarè patefecerit, tum quòd in pueris maximè eluceſcit, manifeſtum eſt: qui ipſi, licet per ætatem minus opinionum uarietate agantur, obliti tamen rerum neceſſariarum, ſi quid fortè aut rarum, aut inauditum, aut delectabile inciderit, impellentis illius bonitate, quibuſdam ad diſcendũ cognoſcendumq́;, inuitamentis duci ſe, trahiq́; oſtendunt. Excellens hoc generis hominum ſtudium in adultis, qui liberalibus & ingenuis artibus præcipuè delectantur, multo magis confirmatur: Nam præter alia, à quibus uel tentandis, uel ſuſcipiendis, ipſa cognitione & ſcientia capti, reuocari non poſſunt, neglecta ualetudine, ſpreta re familiari, relictis honoribus, luſtrandi orbis gratia, diſiunctiſsimas terras latè obeunt, dubia & periculoſa ſequuntur, quoad ſe plurimum profeciſſe intelligant. Ac nec ea ætas, quæ propter Naturę imbecillitatem, obeundis uitæ muneribus minus eſt

Pueritia. *Iuuentus.* *Senectus.*

nus est accommodata, ab eodē innato cognitionis studio abduci sese patitur: quin potiùs hac humanissima oblectatione, in tantis uitæ difficultatibus superandis, congruentissimè censet utendum. Vsqueadcò omnes ætates, quarum progresione, quæ sit hominum uoluntas, maximè declaratur, si se tueri uelint, & cōuenientem rerum usum habere, hanc necessariam cognoscendi cupiditatem sequuntur. Commemorare possem hac opportunitate desiderij hominum in discendo quæsita, omnium ætatum illustria ingenia, ex omni Hebræorum, Græcorum, & Romanorum copia, quæ in peruestigatione rerum multum debilitata sunt, & consumpta: similiter & maiorum, atque nostræ memoriæ præclara exempla hic producere: nisi illa nota maxima ex parte, & suis locis tractata cognoscerem. Quibus illud plenius constaret, communem hunc hominum affectum maximè Naturā attingere nostram, & multum animos sui oblectatione occupatos tenere, ut plurima in omni genere sint asiduis hominum conatibus & studijs eruta, deprehensa, & conscripta. Credendū enim est, singularem hanc sensuum, mentis, atque orationis uim, non alijs prorsus de caussis hominum generi à supremo Deo datam, quàm ut cœlestia atque terrena omnia immensitatis huius beneficij memores, & tanti operis admiratores, summa cum reuerētia cognoscamus, contemplemur, & in nostros usus, atque eos necessarios conuertamus. Quocirca hoc tempore, & his occasionibus, quæ deinceps plenius dicentur, instituta est à nobis ordine, quo quidque primùm contigisse uidebitur, perbreuis hæc in uniuersum de excellēti rerum Natura, & dissimillimis hominum occupationibus, rebus gestis, atque studijs repetita commentatio: ut unum in conspectum ex dispersis longè lateq; obseruationibus deducta, cuiusmodi illa sint, pro ingenij nostri mediocritate, & paruis admodum studiorū incrementis, aliquantò planius, manifestius, & distinctius habeantur. Itaque multis iam ætatibus, genere hominum in pulcherrimis doctrinæ studijs deprehendendis atq; pertractandis uariè uersato, preter ea quæ graui & acerba temporum calamitate nobis perierunt (cuiusmodi non pauca fuisse constat) plurimis in singulas disciplinarum partes, & in uniuersum elaborantibus, magnis conatibus perfectum illud est, ut uitæ conuenienter transigendæ salubria documenta, rerum maximarum optimæ doctrinæ, in eam & multitudinem & magnitudinem creuerint, ut de omnibus propè rebus, quæ in deliberationē cadere possunt, è tantis scriptorum ingenij monumentis certa cōsilia ple-

Propositum totius operis.

nissimè

Multiplicia noſtræ ætatis ſtudia.

nißimè petantur. Et noſtro quidem ſeculo è diuturnis eorum qui nos præceſſerunt, tenebris, cum magno ſucceſſu literarum excultiorum decus integritati ſuæ & perfectioni propè ſit reſtitutum, plurima animaduerti à doctißimis noſtris hominibus laborioſè quæſita præſidia, quibus omnium ſtudijs ad ea cognoſcẽda, quæ ſunt in omni genere multiplici conatu elaborata, optimè cõſuleretur. Nam communibus animis ad inſtaurandas omnes diſciplinas incenſi, tradita à ueteribus breuiter, plena & uberi oratione explicare cœperũt: ſimiliter quę erant ſcripta diffuſius, laborem occupatioribus minuere uolentes, in pauciora contraxere. Alij laudabili opera maximis ſuſceptis laboribus, ut & integra & emendata eſſent ueterũ ingenij monumenta, diligenti ac uaria locorum inter ſe collatione, ad uniuerſam rem literariam prouehendam, utiliter inuigilarũt. Alij ueteres in omni genere ſcriptores nondum uiſos, paßim ex bibliothecis promere: & ut publicè ab omnibus legantur, maximo totius literariæ amplificationis commodo, nullis ſumptibus parcere ſolent. Plerique multiplicem linguæ utriuſque, & latè excerptã opulentiam, ut ſcribendi facultati expeditior ſit, in magna uolumina referunt. Nonnulli ex omni ingeniorum copia graues & illuſtres cuiuſq; doctrinę locos, ad uſum communẽ paratos, tum digeſtis generibus, tum nullo ordine conſultò permixtis, comprehẽſa eruditionis omni uarietate, congerunt. Maxima pars linguis laborioſè perceptis, nè pluribus ad eas cognoſcendas labor ſit ſuſcipiendus, optimos ſcriptores ex Græcis in Latinum ſermonem, & ex eodem in uulgares linguas, hodie excultiores factas, cõuerti debere oſtendit. Sed multi immenſis uigilijs & laboribus ad primi nominis linguæ utriuſque obſcuros ſcriptores, & expeditius & fructuoſius legendos, magna adiumenta uniuerſæ rei literarię importarunt. Inde etiam diuerſis in locis, literarum illuſtratione inuitante atque retinente, ſcriptores, qui maximè in quoque genere probati ſunt, & diſciplinas omnes, literarum magiſtri ſtudioſè ac diligenter frequenti iuuentutis concurſu legunt, & interpretantur. Diuerſi ad ſimilitudinem ſermonum, qui inter graues, eaſdemq; literatas perſonas habentur, copioſè & ornatè Dialogos componunt. Inueniuntur, qui diuerſa ſcripti genera numeris ad oblectationem conuenientibus, ingenioſè, & ad ueterum imitationem accommodatè concludere poſsint. Coniunctam nonnulli ueterem ac recentem rerum geſtarum memoriam, quæ documento & exemplo poſteris omnibus ſit futura, diſertè, prudenterq; perpetuis literarum monumẽtis com-

mendant. Iiſdem ſtudijs adducti alij, cuiuſque gentis atque ciuitatis origines & primordia inquirunt, ac repetunt: pariter & ueterum notata ſcriptis ueſtigia, multis peregrinationibus indagant. Complures etiam prçter eruditas maximis de rebus diſputationes, comparata præſtanti rerum doctrina, ad ſimilitudinem incorruptæ & accuratæ ueterum orationis, in quouis diſciplinarum omnium argumento, relicta à ſuperioribus, & in ſuo cuiuſque genere prætermiſſa, commentando & inueſtigando cõplere uolentes, peritè, ſcienter, & eruditè ſcribunt. Atque ita pro ſe quique acceptam à prioribus gratiam, poſteris parem aut ampliorem relicturi, communes operas in medium adferri debere, optimè iudicant: quãdo præter alias conditionis noſtrç cauſſas, ad hoc etiam natos homines eſſe putandum, ut maxima hæc ſocietatis & communitatis retinendç occupatio eſſe uideatur. Sic nanque præclariſsima noſtrorum ingenia nihil uoluerunt omni ex parte intentatum: quo facto uetuſtas omnis hac memoria eſt patefacta, & omnes bonæ artes, quæ ſunt humanitatis ac literarum, feliciſsimè traduntur atque percipiuntur. Quæ cum animo frequentius repeterem, ad uſitatam ueterum ac noſtrorum in ſcriptis ſuis proferendis conſuetudinem, experiri aliquando uolui, non equidem ſpe ea perficiendi, quæ mihi cognoſcenda & tractanda proponerem: ſed animi mei ad literas pro uiribus adiuuandas teſtificandi ſummo deſiderio adductus, ecquem mearũ cogitationum, quas literaria ſtudia ſanè multas ſuſcitarant, fructum rationibus meis conuenientem eſſem percepturus. Deponendum omnino in his eſſe eum reprehẽſionis metum exiſtimans, quo qui grauius tenẽtur, utiliſsima plerunque ſcripta maiore uitio premere ſolent.

De ſcriptis iudicia & reprehenſiones.

Nam ſcriptorum omnium illud eſt iudicium, non in ſeipſo, aut in paucis aliquot poſitum, ſed in communitate totius ordinis literatorum: ac nec in unius ætate, quod eſt admiratione digniſsimum, ſed in multarum conſenſu: ut à poſteris pleroſque auidiſsimè exceptos, & maximè probatos legamus, qui iniquiora paſsi ſunt ſuorum temporum iudicia. Ac nec audiendi, qui ſcripta in omni genere iam extare ſatis multa arbitrantur, ut deinceps minus laborare expediat. Iidẽ præter id, quòd alienæ induſtriæ modum imponere uolunt, non uident, multorum laudatiſsimis ingenijs res maximas in omni uarietate quotidie fieri illuſtriores. Siquidem animus cuiuſq;, inuentis aliorum, & ſcriptis plurimum acuitur, ut ad alia inquirenda, diuerſorum contentionibus, quaſi admotis quibuſdam ſtimulis, impellatur. Sed eorum demum probari conatus

poteſt,

poteſt, qui quæ ex uſu rei literariȩ eſſe uiderint, eadem non ſupprimere oportere prudenter exiſtimant: quin potius in medium rerum omnium diſcrimen uenire, quàm non ea proponere, quæ quis iudicarit aliqua ex parte hominum communitati profutura. Qui uerò ita eſſe ſcribendum ſuadent, ut ſeueram illam nouennij legem in ſcripto opere premendo ſeruandam putent, illi non ſatis memores mihi eſſe uidentur, præter alia non parua ſtudiorum incommoda, breuitatis huius uitæ mortalium: neque illud ipſum ſatis æſtimare, iudicijs aliorum uniuſcuiuſque induſtriam multum excitari atque confirmari: & parum eos in literis præſtare ſolere, qui ſuam unius ſequuti ſententiam, qualiſcunque illa ſit, in ea confidenter perſeuerant & adhæreſcunt: quæ eadem ad comparandam rerum ueritatem, pro iudicantium uarietate moderanda in uniuerſum eſt, & conſtituenda. Ac me diu cogitantem, magis ea confirmabat ratio, qua propè conſultò fieri uidebam, ut inter eruditos, graues omnino eſſe deberent reprehenſores, cùm multis alijs de cauſsis, tum ne qui immodicè de ſe ſentirent, aut minus cõſideratè, & non niſi primùm tentatis uiribus, ad cogitationes ſuas ſcriptis mandãdas uenirent: aut approbatione aliqua ſuorum ſcriptorum contenti, nihil porro molirẽtur, & in medium adferrent. Quam quidem ad rem licuit mihi eſſe ocioſo, ſine labore & contentione: non aliter quàm ijs, qui humaniſsima literarum oblectatione liberè perfruuntur. Cum enim multa à ſcribendo me reuocare debuiſſent, magnitudo & uarietas ſuſcepti huius operis, priuata incommoda, maioris cuiuſdam & locupletioris doctrinæ ratio, amicis unum genus ſtudij, communi aliorum exemplo ſuadentibus, minimè acquieui: ſed neſcio quomodo impulſus, etiamſi ipſe mihi maximè aduerſarer, hanc tamen rerum omnium luſtrationem proponendam eſſe, & hanc enumerationem pro uiribus meis putaui faciendam: perſuaſum habens, ut in alijs multis, ita & hic ſubeundum eſſe ingenij & ſtudiorum diſcrimen: in quo licet quid minus ſuccederet, ſola iuuãdæ reipublicæ literariæ cauſſa, & quæ non omnino apud æquos rerum æſtimatores contemnitur, uoluntate me conſolarer. At his in locum idoneum prætermiſsis, ſuſcepti huius de ſcribenda Vniuerſitatis rerum hiſtoria conſilij, talis quædam fuit prima occaſio. Verſabar in oriente Byzantij, quò me & amicorum conſilium, & peregrinandi ſtudium perduxerat, cum è graui ac diuturno morbo frequentius recurrente, amiſſas uires paulatim recolligerem: cunq; ocium eſſem nactus, ne forte (ut fit) ex deſidia languorẽ contraherem, diu

Scribẽdi huius operis prima occaſio Conſtantinopoli oblata.

intermissas de studijs literarū cogitationes, non iniucundum, nec inutile renouare uideretur. Itaq; cum ueterum, ac nostrorum præstantes in literis conatus in memoriam reuocarem, Græciam totam, quæ quondam liberalissimis doctrinæ studijs ad omnem excellentiam floruerat, in magna cùm rerum omnium, tum literarum obscuritate uersari contemplabar, & dolebam. Protinus nihil tale futurū expectanti, iuuenilis admodum incidit, nec (ut tum arbitrabar) reprehendenda cogitatio, ut memoriæ & styli potissimū exercendi gratia, liberum mihi facerem, illa in omni genere præsidia inquirere, quibus si studia doctrinarū prorsus interijsse contigisset, ad eadem iterum inuenienda, instauranda, & tractanda, uti necesse putarem. Varia fuit, & multas in partes disiecta ea cogitatio, alijs atque alijs inuentis confertim succurrentibus ita confirmabatur, ut temperare ipse mihi nullo modo possem, quin eiusmodi literarijs occupationibus animum oblectarem, cumulateq; explerē. Indulsi mihi ipse plus quàm solitus eram: & non modò ex nostra memoria, sed ab ultimis principijs cœpi in uniuersum repetere & excutere, quid illud totum esset in literis, & in cultu uitæ omni, quod cognoscendum proponeretur, quos ad usus, & quàm diu esset inter homines agitatum. Recordabar etiam, me primis studijs, præceptorū admonitu, & æqualium æmulatione, locos scriptorum illustriores, selectis rerum generibus, subijcere consueuisse. Quam eandem rationem cum propter uariētatē non multum ad usum studiorum mihi profuisse intelligerē, eum ordinem semper inquirendum putaui, cuius ope res multiplices, quo facilius recurrerent, distinctè collocarētur. Atq; illud nostra memoria potissimum, quandoquidem maxima pars iuuentutis, instauratarum literarum nouitate, & linguis ad discendum certius propositis, omne scriptorum genus suscepit excutiendum: ut operæpretium uideatur, ad similitudinem eorum qui in singulis disciplinis uersantur, totius uarietatis doctrinarū uiam quandam & rationem, eamq; perbreuem, uniuersa continentē, studiosè inuestigare. Sed quia à solitis linguæ utriusque scriptoribus tum aberam longius, facere nihil aliud potui, quàm illa quæ iam à prima ætate, uel ex auditionibus, uel ex libris, uel ex nōnulla etiam rerum lustratione compararam, quantum memoria repetere possem, ita adumbrarē, ut si inde me incolumem redire cōtingeret, maiore studio, affluentibus libris, aliquotq; meis commentarijs complerem: aut si manendū fuisset in illis regionibus diutius (magnas quippe reditus difficultates quo

Ordinis contrahendarum doctrinarum peruestigatio.

tidie proponi uidebam) non deeſſet, quo me toto eo tempore in hac literaria meditatione iucundè ſimul & utiliter continerem. Quanquam eo labore præter neceſſariam, & nunquam remittendam dictionis exercendæ facultatē, ſimul & non paruam tam multarum rerum in memoriam reuocatione delectationem, nihil aliud proficere me poſſe intelligerē: illud tamen, quod in ſtudijs doctrinæ minimè eſt negligendum, aſſequuturum me aliqua ex parte confidebam, ut ea certius recognoſcerem, quæ in diſcendis literis à me imprudentius antè fuerant prætermiſſa, dum minus plena multa partim per obliuionem, partim per ignorantiam neceſſariò à me relinquerentur. Circuntuleram itineris comitem, Literaturæ hiſtoriam, ad imitationem rerum geſtarum à me conſcriptam: cuius lectionis æſtimatione, multiplices literatorum omnium in ſtudijs conatus cum circunſpicerem, nec præſtantiſsimum tradendarum artium doctorem & magiſtrū Ariſtotelem haberem, à quo uſitata, & ætatum conſequentium ſtudijs & iudicijs firmata docendi forma profecta eſt, quæ uia & ratione ſummis cuiuſque rei delectis generibus, ſubtiliter & ingenioſè partes alias atq; alias ſubijcit: quæq; multis argumentationibus, quid in quoq; uerum aut falſum, pugnans aut conueniens, uariè & eruditè exquirit: factum eſt, ut in ea librorum indigentia, ſimplici quadam rerum cognitione contentus, non inquiſiuerim grauiora illa multorum maximis diſputationibus perplexa relicta, quæ ſcriptio hæc inſtituta minimè requireret. Ac proinde liberius aliquanto (neque enim niſi conſideratè ab uſitata docendi ratione uidebatur recedendum) placuit experiri, num ea ratio in commemorandis doctrinis omnibus poſſet introduci, quæ id complectitur, quod in docendo maximum conſenſus eruditorum obtinuit: nimirum ita iucunditati & utilitati inſeruire, ut is rerum ac temporum ordo diſtinctus appareat, cuius uel admonitu, uel præſidio fidiſsima doctrinarum omnium cuſtos memoria plurimum adiuuatur. Quam ad rem melius deprehendendam, accommodatum uidebatur eorum, qui in quoq; ſcripti genere aliquid uel deſiderarent, uel reprehēderent, querelas omnes, quantum complecti animo, & memoria cōſequi poſſem, unum in locum colligere: ac quid in uniuerſum ſtatui poſſet, ſtudioſè inueſtigare. Igitur ex eo intellexi, in alijs argutiora & ſubtiliora improbari: pleraque ab alijs obſcurata, quaſiq; inuoluta cōſultò, & implicata: quæſijſſe multos quandam ingenij commendationem, confudiſſe nonnullos ſua, & uariè diſieciſſe: non paucos uerbis quidem ſplendidis, ſelectiſq;, uerùm exi-

Ariſtotelica doctrina.

Docendi præcipuum munus.

rùm exigua atque ſterili ſubiecta de rebus ſentẽtia ſcriptitaſſe. Plurimos autem nulla oblectatione adhibita, licet de rebus uerè & eruditè ſentirent, aſpera tamen, & dura in dicendo ſectari maluiſſe. Adeò nihil eſt in omni genere tam perfectum, tamq́ ſuis numeris abſolutũ, quod uolẽti ſemel improbare, ſatisfacere poſsit: cum tamen prorſus iniqua ſit ea accuſatio, quæ prætermiſsis bonis, mala enumerat, uitiaq́ ſeligit: quando circunſpecta eſſe conuenit iudicia de ſcriptoribus, qui utilitatis nomine in publicum uenerunt. Sed non erat meum aliud conſilium, quàm ex uarijs eiuſmodi iudicijs æſtimare, quid proximè conſenſioni hominum, & approbationi accederet. Inde ueni in eam ſententiam, ut exiſtimarem, perfectam & gratam omnibus eam poſſe uideri tractationis rationem, quæ & perſpicua eſſet ad docendum, & diſtincta, quæq́ legentem cum aliqua iucunditate & delectatione perinde ac condimento teneret. Quàm illud foret arduum atque difficile, in tanta rerum, quæ in Natura & ſtudijs hominum poſita ſunt, uarietate, certum aliquem ordinem conſtituere: quod in meæ ætatis imbecillitate, & mediocri ſtudiorũ progreſſu, nullo modo eſſet requirendum, ſatis intelligebam. Sed quia inſtitutum erat, in eo ocio de toto genere literarium aliquid commentari, nihil non experiri, & mihi ſine cuiuſquam reprehenſione licere perſuaſeram. Confirmabat me etiam præceptum illud, in omni ſcriptione, & doctrinarum tractatione, ad ultimam cuiuſque generis formam, & ad prima Naturæ noſtræ principia, quæ illi inſunt, tanquam ſparſa terris ſemina, eſſe reſpiciendum: atque inde, quomodo quæque conſentientibus hominibus, ſuis incrementis ſint aucta, multo ſtudio, meditatione, & diligentia inquirere oportere. Ratus ita melius ac certius rem omnẽ ſucceſſuram, quanto quidque uicinius perfectæ ei rationi, quam

Naturalis inſtitutus rerum ordo.

ſemel conſtituiſſem, uideretur. Ac primùm auſpicatò rem aggreſſus, diſciplinas omnes diuina hominum peruestigatione, paruis, modicis, ac rudibus ab initijs, ad unius Naturæ ſimilitudinẽ excogitatas à præſtantiſsimis ingenijs, & ad uſum aptatas, in eum, quem non ſine ſingulari admiratione uidemus, ſtatum creuiſſe intellexi. Eandem Naturam ſimplicem & uniuſmodi, mentiſq́ noſtræ conceptibus ita eſſe accommodatam, ut totum illud noſtrum diſcere, nihil ſit aliud, quàm inchoatas iam antè, & diuinitus in nobis ab ipſo ortu impreſſas notitias atque intelligentias, quas anticipationes uocant, uti iactis fundamentis ſtructura erigitur, ita illas eaſdem à ſuis primordijs quodammodo abſoluere, aut iam adumbratã & informatam

in mente

in mente artificum, totius ædificij imaginem atque similitudinem, manibus & arte adhibita, in opus educere. Neque ipsam illam Naturam sic effœtam redditam, quasiq; ætatum spacijs consumptam, quin eadem licet alijs temporibus agrorum in morem interquiescere uideatur, diuersis elargiri uelit: ut perfectius & uerius unumquodque iudicari possit, quod origini suæ propinquum est, & simile. Ac nec illos existimaui in errore esse, qui in doctrinæ studijs acutiora & subtiliora operosè inquirentes, longius à Naturæ præscripto, & rerum necessitate recedere pronunciant. Igitur si me ad eam ipsam Naturam monumentis ingeniorum destitutus referrem, assequuturum me aliquid bene sperans, nihil cunctatus, quantum complecti animo, quantumq; cogitatione poteram, eas multiplices caussas & rationes inquisiui, quibus unumquemque in excogitandis doctrinis omnibus, in informanda hac uitæ hominum societate & communitate adductum fuisse, testimonijs atq; coniecturis mihi fieret uerisimile. Inquirendo igitur multum occupatus, quo plura succurrerẽt, & naturalis hic ordo institutus, non incommodè seruaretur, cœpi ab ipsis rerum primordijs, ut quidque primum extitit, simplicissima quæque & minutissima inuestigans, uicina his ad incrementum & progressionem cohærentia aptè coniungere, simul & eadem serie atque continuatione perpetua ad eum finem, qui cuique rei est propositus, continenter animo & cogitatione percurrere. Ducem in omnibus Naturam rerum in progrediendo mihi proponens, cuius ipsius tantam uim scriptores esse intellexerũt, ut suis neruosius comprobandis, & altius ab origine repetẽdis, ad unius Naturę principia passim recurrere, tanquam ad fontem, unde illa uberius, purius, ac uerius manãt, uoluisse cognoscatur. Cuius eiusdẽ primas notiones diuinitus impressas, maximeq; nostris omnium mentibus communes, quas inde legem atq; ius Naturę appellant, studiosè amplexus, hoc scripto etiam res inter se dissimillimas, è disiectis uariè membris, ita in unum corpus quæsitis, suis conuenientibus occasionibus cogere oportere existimaui, ut apta inter se omnia, & quasi ab uno capite deducta uiderentur. Multum enim facit ad plenam rerum intelligentiam, cum prima medijs, & hęc eadem extremis ita sunt connexa, ut alia ex alijs nasci & proficisci continenti progressione, maioribusq; semper incrementis credamus. Et illud quidem satis ex eo cognosci potest, quod in uniuersum nobis sequendum hoc tẽpore proposuimus, ut ab ijs, quæ hominum sensibus sunt exposita, ad ea quæ mente & animo comprehen-

duntur, in omnibus ordinem ſeruare uoluerimus. Quocirca in hoc ipſo rerum decurſu, illas multarum ætatum contentionibus in omnem partem agitatas, de rerum origine ac principijs, deq́ alijs diuerſis, & ijſdem nimium curioſis Naturę cauſis, diſſentientes inter ſe philoſophorum ſententias, placita, & opiniones, imbecillitatis uirium mearum conſcius, & hoc mediocri iudicio imbutus, prorſus duxi in toto hoc ſcripto refugiendas. Sed poſt longam harum rerum conſultationem, ſepoſitis eiuſmodi tantis difficultatibus, & hac immodica rerum, neque ad uitę cultum, neque ad pietatem pertinentium curioſitate prætermiſſa, quæ ipſa curſum inſtitutæ huius orationis morari poſſe mihi uidebantur, ſimplicē, minimeq́ obſcuram, & ut arbitramur (ſiquidem ſcribendo aſſequi potuimus) cuiuſuis intelligentiæ expoſitam rerum enumerationē, hoc quaſi documento inquirendam putauimus: futurum ita exiſtimantes, hac ipſa occaſione, quibus grata eiuſmodi rerum tractatio fuerit, meliora & uberiora inueſtigaturos: nobis uerò abundè fore ſatisfactū, ſi hoc noſtrum ſtudiū literis cōſeruandis & tractandis, non in aliam partem, quàm eam, cuius ſolius impulſu hoc ſuſceptum eſt opus, boni æſtimatores horum conatuum accipiant. Atque ita, cum mihi ſeruandus ordo conſtaret, ſimiliter quęrere oportuit, quod genus orationis ſcripturo accommodatiſsimum uideretur: quando rebus ipſis multum accedit perſpicuitatis atq́ dignitatis, ſi quæ conueniens totius dictionis habeatur ratio. Eius generis cum multa alia intentius cogitanti ſeſe offerrent, tum hiſtoria illa Literaturæ, de qua ſuprà diximus, ut ad hanc occaſionem adiumenta dedit plurima: ita illius ipſius conſcribendę ratio ad uniuerſum hoc propoſitum ex omni ſcriptionum genere peridonea uiſa eſt, quam conſultò in his omnibus enumerandis, ſi non in totum, ſaltem aliqua ex parte ſequerer. Eſt enim hiſtoricæ dictionis ratio poſita in orationis perpetuitate, nihil ut ſuperuacaneū, nihilq́ non ſuo loco dictum, & accōmodatum hominum actionibus recipiat: quo ita res omnes, quæ confuſæ ſunt, atque diſperſæ, poſsint ad eandem optimè reuocari. Neque enim id habet, quod cætera ſcripti genera, ut liberè à re ſemel propoſita, niſi magna aliqua occaſione digredi & excurrere audeat. Eadem cum illuſtrium in armis uirorum rebus geſtis luculenter deſcribendis ſemper fuerit occupata, illius ſimilitudine animos legentiū ad exitum rerum (qui proprius eſt legētibus hiſtoriam affectus, ut cœpta de manibus non facilè deponant) ſumma cum oblectatione properantes, teneri optimè poſſe intellexi. Similiter quæ hoc

Hiſtoricum dicendi genus his tradēdis rebus accommodatum.

quæ hoc hiſtorico genere traduntur (quando legendæ hiſtoriæ curſum perſpicuitas non moratur) facilia ſunt ad cuiuſq; intelligentiam: & ut ad uſum conuertantur, expedita. Ac tanti eſt Hiſtoria momēti, ut magis ui quadam exemplorū, animos hominum ad aliquid faciendum inuitet & teneat, quàm multis documentis & præceptis cætera ſcripti genera efficere poſſint. Quod adeò uerum eſt, ut malit quiſque etiā humillimum commemorantem aliquid, quàm præcipientem alium audire, ita plerunq; ſatis nos iam inſtructos & edoctos putamus. Pręterea Hiſtoriæ uſus ita eſt per omne doctrinarū genus diſperſus, ut nulla ſit doctrina, quæ hac ipſa eadem ad comprobationem & ueritatē rerum ſuarum maximopere non egeat, quæq; in hanc ſuis occaſionibus neceſſariò & frequenter non digrediatur. Eſt illa ipſa Hiſtoria communibus hominum rebus exponendis conuenientior, res ſerias, non commentitias admittens, ut una ſcriptionum omnium, quæ multiplices ſunt, fidei plurimum, dignitatis, & propter temporum adſeruatam continentem memoriam autoritatis apud omnes ſemper obtinuerit. Deniq; ad deligendam & introducendam hanc hiſtoricam rationem, illud maximè impulit, quòd animaduerti, ea quę ſcripta ſunt in uniuerſum, à plurimis quidem cōſuli, & in aliquem uſum trahi ſolere, ſed continenti lectione à pauciſſimis cognoſci: ut præſidij loco quæſita hac rerum omnium ſerie & colligatione, plures inuitari poſſe ad perpetuam lectionē tenendam, mihi perſuaſerim. Sic coniuncta hiſtorica dicendi ratione huic naturali rerum ordini, quod in docēdo accommodatiſſimum fuerit, aſſequi poterimus, ut non tam tradi illa à nobis quis exiſtimet, quàm ad eorum ueritatem prodendā, hiſce rationibus optimè comprobari. Itaque huius totius operis ad hanc rationem conſcribendi ab eiuſmodi initijs omne conſilium natum eſt, & profectum, quo per id tempus ſuſcepto, dum Byzantij agerem, & impulſa ſemel cogitatio, quam totam ad hæc exquirenda conferebam, feracior redderetur: nec perire quicquam, quod non protinus ſcriptis conſignarem, paterer: factum eſt, ut multa ex omni genere in memoriā uenerint. Idq; tanto meo commodo, ut non dubitem, æquales meos hortari, exire aliquando in ſolitudinem: & tantum ſpacij cogitationibus dare, quantum ad ea omnia, quæ in uniuerſum dici poſſunt, animo menteq; comprehendēda, ſatis uidebitur. Reuerſus inde, cum illa minimè iniucunda, nec inutilia fore animaduerterem, cœpi ſparſas uariè chartas per occaſionem unum in locum deducere: & pleraque, ut erat in tanta rerum uarietate cognoſcenda

Naturalis ordo hiſtoricæ dictioni coniunctus.

neceſſe, ſcriptorum lectione confirmare & complere, totiusq́; eius inſtituti ſummas rerum, perinde ac capita & genera, in arctum, ut uno cōſpectu uidere liceret, ad hanc rationem, quam deinceps ſubijciam, concludere. Poſteaquam uerò illa edidiſſem, & iudicijs amicorum intellexiſſem non omnino improbari, recepto quaſi animo, minimè grauatus ſum, relictis etiam alijs, ijsq́; mihi uehementer neceſſarijs uitæ tranſigendæ occupationibus, nouitate quadam ordinis adductus & delectatus, meam de tota hac ſcriptione ſententiam planius & apertius aliquanto explicare: ut quantum expedire poſsit communitati literarum, in hac doctrinæ parte, maiore conatu atque ſtudio uerſari, ex his melius cognoſceretur: quæ talia quædam fuere.

PROOEMII TOTIUS HISTORIÆ *Vniuerſitatis rerum, finis.*

PRIMVS

PRIMVS INGRESSVS IN HANC VNIVERSITATIS RERVM HISTORIAM, INSCRIPTIO, OPERIS HVIVS PARTITIONES, HISTORIAE DE NATVRA ORDO, ET TOTIVS PROPOSITVM.



ACIAM, QVOD VIDEO AB OPTImis ſcriptoribus utiliter uſurpari. Principiò huius operis, de inſcriptionis ratione dicam, tum de partitione totius inſtitutæ doctrinæ: poſtremò de ratione tractãdæ primę partis, quę eſt de Natura: ut quid ſim in totum propoſiturus, ſumpto iam inde ſcriptionis initio, melius à quouis intelligatur. Itaque toti huic tractationi, Vniuerſitatis nomen dedi, ſequutus in hoc philoſophorum omnium principem Platonem, qui de Natura Vniuerſi, Timęi appellatione ſcripſit: quo in eodem libro, rerum naturalium interiores, reconditas, & prorſus inuolutas cauſſas ſcientiſsimè & accuratiſsimè pertractatas reliquit. Eundem Romanæ eloquentiæ parens M. Tullius Latinis literis magna ex parte conuertit, & de Vniuerſitate inſcripſit. Verùm is liber, ut alia eius uiri nonnulla, mutilus & imperfectus ad noſtram ætatem, maxima temporum iniuria, remanſit. Pręter hunc de Vniuerſitate, cæteris in philoſophicis libris maximè uarios ac eruditos de rerum Natura, & omni doctrinarum tractatione locos uterque aſperſit: ex quibus coniuncta etiã, & accedente multiplici Ariſtotelis atque Plinij rerum & ſcientiæ copia, æſtimare liceat inſtitutum hunc ordinẽ: ut multa ab ijſdem quatuor ſupremis, locupletiſsimis ac optimis in utraq; gente autoribus, tanquam uberrimo & puriſsimo de fonte poſsint abundanter hauriri. Ad quorum conuenientem rationem etiam ex alijs multis, qui diuerſis ætatibus in omni genere ſcripſerunt, delectus erit faciendus. Occaſione igitur, cuius ſuprà memini, oblata, rem omnem plenius ac latius continenti orationis enumeratione deduxi: ut nihil ſit in tanta rerum omnium uarietate, quod idem non poſsit meo huic ordini, ſuis conuenientibus locis, quo quidq; naturali progreſsione alio prius eſt, diſpoſitis, non malè, niſi quid ſecus melioribus rationibus uideatur, inſeri atque collocari. Quod ab ijs perfacilè deprehendi poterit, quibus ab occupationibus tantum erit ocij, ut uno & eodem tempore to-

Vniuerſitatis rerum ſcriptores, quos ſequitur.

tam hanc Vniuersitatis rerum historiam perpetua, nec interrupta lectione uelint persequi. Nam ita partes omnes inter se connexas uoluimus, colligatas, & coniunctas, ut quadam occasionum quæsita ratione, ab alijs aliæ penderent: atq; ipsarũ partium enumerationem gradatim ad ea quæ ex quibusque gigni & proficisci uidẽtur, ad eos fines, qui sunt rebus omnibus propositi, deduximus. Sed fortasse subtilius quodãmodo inquirere illa uolentibus, hæc eadem Vniuersitatis rerum inscriptio primæ parti, quæ est de Natura, potissimum congruere dicetur: & non perinde cæteris duabus consequentibus: at multorum illustri exemplo à prima, & ea potiore parte nomẽ sumere licebit. Quanquam non uideo, quid ab eo ullo modo excipi possit, qui de uniuersis loquitur. Quid enim esse potest extra uniuersa, in quibus ijsdẽ, ut sentit M. Tullius, omnia continentur? Neque quicquam est in omni mundo, quod non sit pars uniuersi. Idq; satis indicat ipsa nominis ratio: cum nihil aliud esse uideatur Vniuersitas, quàm omnium rerum ad unum aliquid conuersio quædam, reuocatio, & reuersio. Itaq; cum partium omnium doctrinæ magnus semper usus fuerit, & rerum Naturę tanta sit in suis partibus pulchritudo, si eadẽ ad unum, quasi ad suam quandam integritatem & totum reducantur, utilia, grata, & speciosa omnibus sunt futura: ut deformes uidentur corporis humani partes, à sua integritate auulsæ: ut diuisa in partes ciuitas, non unius & eiusdem uoluntatis atq; consensionis, in summo est periculo: ut familia non sese ad unius præscriptum componens, minus commodè agit: ut dissolutus, nec unius roboris ingens exercitus, aut magna classis prædæ est exposita, & facilè uincitur. Tanta uis est integritatis & unitatis, atque ratio concurrentium inter se rerum, & conuenientium in unum: ut quanto magis quid unum, tanto illud firmius sit, & perfectius. Atq; adeò conueniens hoc Vniuersitatis nomen uidetur, ut reliquis etiã huius operis partibus separatim ascribi possit, quæ & ipsæ ex dispersis uariè in omni doctrinarum genere partibus, ad unum quoddam totum similiter referuntur. Quod ipsum eo feci liberius, cum uiderẽ hunc meum ordinem à nemine eorum, qui iam annis inde aliquot res multiplices magnis uoluminibus tractarunt, esse seruatum: & eum tamen, ut ad finem operis copiosius persequemur, à ueteribus adumbratum, quasiq; expressum, rerum etiam uniuersę tractationi uehementer accommodatum, & ad intelligentiam cuiusque propter naturalem quandam rationem in primis consentaneum. Est enim hominis non satis considerati, solis aliorum in-

Vniuersitatis nomine omnia contineri.

Vniuersitatis etymon.

Omnia ad unũ referri debere.

Caussa instituti huius ordinis rerum.

rum inuentis repetendis ita eſſe contentū, ut nulla rerum, elocutionis, & ordinis nouitate legentes inuitentur atque retineantur. Id cum ſit, protinus obijcitur à nonnullis, malicioſè tamen, noſtrorum temporum ſcripta nihil aliud eſſe, quàm repetita quædam eorum, qui nos præceſſerunt. Cum perpetuum illud fuerit etiam ab ultimis temporibus, ut conſequentes à prioribus, mutuis quibuſdam auxilijs adiuuarentur: neque quiſquam ullo tempore tanta ui ingenij, atque celeritate fuit præditus, qui per ſe genus aliquod doctrinę inuenerit, ſimul & cōſtituerit, ac perfecerit. Multorum ad hoc neceſſarius eſt labor, ſtudij magnitudo, & diuerſarū ætatum cōprobatio. Ac quandiu conſiſtet genus hominum, ſemper erit aliquid (nam diſsimilia prioribus ſemper ſuccedere tempora deprchendimus) præter ea quæ ſuo quiſque ingenio excogitare, & ſuperiorum inuentis adijcere ſolet: quod aut cōſultò emendandum ſit: aut ſparſum & confuſum, in ordinem cōuenientius redigendum: aut obſcurum & inuolutum, explicandum apertius: aut diſtinguendum certius & aptius uideatur. Atque ita hoc opus confeci, ut ſingula ex omni rerum multitudine ad unum aliquod conſtitutū caput, quantum pro mea ingenij & progreſſus ſtudiorum mediocritate fieri potuit, referrētur: non aliter, quàm arborum dilatatos ramos ab uno & eodem trunco deduci conſpicimus. Sit igitur diligentius hæc conſiderantibus ipſa Vniuerſitas nihil aliud, quàm rerum omnium in Naturæ uarietate, in communis uitæ uſu ac tractatione, atque in doctrinis & ſtudijs literarum, ſingulis, & ijs accommodatis partibus, ad debitam integritatem complendam, & ad incolumitatē retinendam, in unum aliquod totum diuinitus aptè coniunctis, collatis, atque compoſitis, ſeruatus, & ad ſuum propoſitum finem relatus ordo, commoda inter ſe diſtinctio, collocatio, mutuus conſenſus: ac ut quidq; aliud alio prius in tanta uarietate, quaſi diſcors concordia: ut non potuerit uox alia in omni ſermone Latino, his omnibus generatim comprchendēdis, plenior inueniri, & accommodatior. Potuiſſet utique totum hoc opus, de Prouidentia inſcriptionem habere: ſiquidē omnia conſultò in Natura & rebus humanis facta, & impreſſa eſſe paſsim diuinitatis ueſtigia, breui hac rerum enumeratione oſtendere, potiſsimum conati ſumus. Inſcriptionis à nobis retentæ hæc eſt ratio. Tripartitam inde totius hiſtoriæ Vniuerſitatis rerum conſtituētes diuiſionem, ad hunc, quem ſubijciemus, modum, ſumus ſequuti. Omnis itaque rerum cognitio, hominum generi inſita & tradita, quantum ex illuſtriſsimis ſcriptoribus

Mutua ſcriptorum omnium auxilia.

Quid ſit Vniuerſitas.

Prouidentiæ inſcriptio.

Triplices Vniuerſitatis rerum gradus.

utriuſque gentis, Græcorum & Romanorum, colligi poteſt: qui cæteris uehemẽtius, cœpta primùm diuinitus ab Hebræis hæc doctrinæ ſtudia, multis ſeculis maximo ſucceſſu excoluere, tribus quaſi gradibus ad tenendam conuenientem ordinis inſtituti rationem, progreſſa uidetur. Vnus in totius Naturæ conſideratione & commemoratione eſt poſitus, quæ ſingulari ſummi Dei prouidentia ita nos primùm imbuit: ſeſeꝗ noſtris ſenſibus, ac mentis conceptibus ita explicuit & patefecit, ut in omnem ampliſsimi huius totius orbis terrarũ theatri partem oculos circunferentes, ad rectè congruenterꝗ uiuendum, conuenientiſsima nos deligere docuerit: cuius eiuſdem hiſtoriæ de Natura hæc eſt, quam ſeruamus, progreſsio. Primùm totius mundi amplitudinem, orbium cœleſtium complexu, & conſtanti ad omnem rerum incolumitatem motu cõerceri traditur: atque ui efficiendi, in mundum inferiorẽ uim habentem patiendi, quodammodo agere. Huius eiuſdem quatuor ſunt elementa, ex quibus ſupremum eſt ignis, aer inde ſequitur: cuius è tribus partibus media ex circunſtante frigore graues ciet tempeſtates: pòſt ex grauitate ſubſident, aqua & terra interſe coniuncta: ac terræ partes habitabiles, Europa, Africa, & Aſia diſtinguũtur. Iam fit ad ea progreſsio, quæ ex terris eruuntur: cuius generis ſunt præter lapides, gemmæ, & ſeptem metalla: dein ad ea quæ ſupra eaſdem generantur: ut ſunt animã uigentem ſolum habentia, cuiuſmodi ſtirpes & plantę numerantur. aut his accedit ſentiens, ut ſunt beluæ, quæ uel nando, uel ſerpendo, uel uolando, uel gradiendo uitam degunt: aut utriſꝗ coniunctis intelligẽs: cui illa ineſt, Homo appellatur: qui idem aut ex corpore eſt compoſitus, partibus extrinſecus & intrinſecus admirabilem ſui conſeruandi gratia fabricam habentibus: interiecti ſunt quinque ſenſus, aſsidui & expediti miniſtri: aut ex animo, cuius ipſius principatũ in cerebro eſſe, iram in corde, cupiditatẽ in iecore, traditur. Cogitationum inde omnium fidelis interpres & explicatrix oratio eſt adiuncta. Sequitur denique ipſius hominis quædam in uniuerſum conſideratio, & aliorum inter alios diſsimilitudo: ut à primis ætatis noſtræ incremẽtis progreſsi, ſeptem cœleſtium orbium ratione, quaſi emenſo totius curſu, ad extremum uitæ actum omnis Naturæ hiſtoria deducatur. Atque hic eſt primus gradus. Cæteri duo ſunt ſtudiorum humanorum: quando ita ſumus corpore ad agendum, & animo ad intelligendum, Naturæ ipſius bonitate facti atque geniti, ut uitæ totius hominum totidem partes, qui bus res omnes ad magnos uſus accommodatè reduci poſsint, conſti-

Primus Naturæ gradus.

Naturæ hiſtoria.

constituantur. Et moderandis quidem corporis actionibus, quæ sunt cōmunis rerum usus & exercitationis, historia Prudentiæ adhibetur: quæ est eiusmodi, ut à simplici, rudi, & inculta mortalium uita, sermonis usu animos primùm conciliante, ad quæ urgeret necessitas, introducta omni uictus difficultati sustinendæ, agrorum cultura, progrediatur. Quam proximè consequuntur cultus, uestitus, habitationis, & ædificiorum ratio: quibus omni rerum copia commodè instruendis, dissimiles ex materiæ, quam tractant, uarietate opificum atque artificum occupationes commemorantur. Interiectæ his laborum conuenientes relaxationes: pòst accommodata operum inter homines permutatio & translatio explicatur. Iam his conuenientius tractandis, rei familiaris instituendæ ratio, Oeconomian uocant, subijcitur: ut pluribus coniunctis familijs, necessaria totius multitudinis administratio sit suscipienda: quæ aut ex pluribus constat, & Demarchia dicitur: hinc magistratuum institutio, ad dijudicandas caussas capitales, & ad dirimendas ciuiles controuersias: aut ex paucioribus, Aristocratia: aut ex unius dominatu, Regnum constituitur: quorum necessariæ conseruationi Legationes conciliandis finitimorum animis emittūtur: sin minus, cum ui res necessariò, & iustis de caussis gerenda est, Militaris disciplina adhibetur: ut publica incolumitas, ad quam dirigendus hic humanarum occupationum cursus retineatur, atque tranquillitas. Huic eidem Principatus historiam proximè accommodamus, in qua, à primo & communi parente Adamo, primordia Hebræorum, ad eluuionem sub Noa repetuntur: pòst ad Abrahamum gentis parentem fit progressio. Interiecti populi, Aegyptij, Scythæ, & Assyrij, Nino res gerēte. Iam Israelis delecta progenies, Mosis emigratio, & eorum qui promissas patribus sedes in terra Canaan, Iudicū ac Regum successione firmarunt, consequuntur. Gens Medorum interim, Persarum Cyro, & Græcorum Athenis, Sparta, atq; Alexandro Magno res gessere. Confectis bellis Romanorum Carthaginienses: qui ipsi Romani, exactis antè regibus, Italia omni superiores, mare ingressi, & armis in omnem orbis terrarum partem translatis, maximis Iulij Cæsaris uiribus, & singulari Augusti prudentia, unius imperium constituerunt. Inde longis progressionibus, Constantini Magni auspicijs, Byzantium, alteram quasi Romam, translatum. Graues interim Gotthorum excursiones cuncta populantur: qui pòst Iustiniani imperio fracti sunt, & cōcidere. Arabes autem duce Mahumete, ac dein Turcę principatū compararunt.

Secundus gradus Prudentiæ, & historia.

Principatus historia Prudentiæ coniuncta.

Iam dilabentibus Romanorum uiribus, diuerſi principatus ad ſeptentriones conſtituuntur. Byzantini Cæſares continentibus finitimorum armis premuntur. In occidente, Caroli Magni uirtute translatum cis Alpes imperium: quod Electoratus in Germanijs inſtitutione, Byzantinis interim Turcarum uiribus oppreſsis, firmum ad hanc memoriã remanſit. Duo ij ſunt gradus: pari ratione de conſequenti & ultimo, qui eſt intelligendi, dupliciter dicendum: Sapientiæ huic nomen dedimus: quæ primùm admiratione, oculorum beneficio, ductos homines, cœleſtium orbium ratos & conſtantes motus ſuſpexiſſe, & eoſdem diligẽter obſeruaſſe tradit, Aſtronomiam hæc profitentem nominant: quorum æſtimatione, terrarũ deſcriptionem conuenientem quæſiere, Geographiam dicunt. Tum ad uſus eorum, quæ in hac communi uita tractarent, certa ratione dirigendos, in dimẽſionibus Geometriam: deinde in numeris naturalem ſequuti concentum, Muſicen: & ijſdem ad ordinem tenendum diſtinguẽdis, Arithmeticen ſuis occaſionibus introduxere. Pòſt recepta ſcriptione ex omniũ uarietate, Poeſin, ac Hiſtoriam primam extitiſſe cõmemorant: è quibus, ceu fonte, ut doctrinarum omnium genera, ita & ea quæ de abditis rerum totius Naturæ cauſsis inquirit, Phyſiologices nomine, quæq; de uita & moribus informãdis diſputat, Ethices appellatione primùm dimanaſſe creditur. Verborum dein ratio & diſciplina conſequuta, tribus quaſi inſtrumentis ad res certius cognoſcendas neceſſarijs: quorum unum orationẽ forenſem expolit atque exornat, & Rhetorica nominatur: alterum in eruditorum diſputationibus certum ordinem ueritati indagandæ conſtituit, Dialectica appellatur: tertium linguis commutato principatu corruptis, puritatem eiuſdem ſermonis, & integritatem, Grammatices præceptis conſeruat, atque communiter ſtudia informat. Poſtremò temporum decurſu deductæ ex his omnibus neceſſarij uſus tres ſupremi ordinis facultates, corporum ſanationem tradens Medicina, rerum priuatarum atque publicarum ſuſcipiens adminiſtrationẽ Iuriſprudentia: animorum denique piam & ſalutarem informationem præſcribens, ad quam actiones omnes, & cogitationes in hac mortali uita referuntur, quæ ſolida eſt Sapientia, hanc Theologiam uocamus. Eidem Sapientiæ adiuncta, perinde ac ſocia pars, Literaturæ hiſtoria, in qua literatorum hominum clara & erudita tempora, ad principatuum rationem progreſſa, tradimus: & multiplices eorũ in amplificandis literis, atq; inſtaurandis contentiones, ad noſtram uſque memoriam, toti ſtructuræ

Tertius gradus Sapientiæ, & hiſtoria.

Literaturæ hiſtoria Sapientiæ coniuncta.

cturæ imposito eiusmodi fastigio deducimus. Itaque doctrinę primordia à Setho, primi parentis Adami filio, ducuntur ad Semum, inde ad Abrahamum, atq; Aegyptios: Aethiopibus, Tyrijs, ac Phœnicibus interim motus astrorum contemplantibus. Post Mosis sanctior disciplina, Lex de cœlo data, & scriptionis prima institutio, qua res gestę posteritati commendari cœperunt. Iam Solomonis multiplex sapientia, & Prophetarum uaticinationes: tum Græcorū frequens ab Orphei & Homeri temporibus, in Aegyptum nauigatio, quorū magnis studijs Athenę dicendi facultate multum commendantur, Philosophis à Thalete & Pythagora profectis ad Socratem, qui Naturæ considerationi morum disciplinam coniunxit: à quo eodem eruditi Xenophon & Plato, copiosius atq; eruditius scripsere. Hinc Demosthenes & Isocrates maxima dicendi facultate celebrantur. Aristoteles autem & Theophrastus multiplicem doctrinarum omnium pertractationem, Philosophiæ nomine, persequuntur. Sed Romani principatu aucti, Gręcia deuicta, literas sunt amplexi, quibus eloquētiam rebus ciuilibus necessariam stabilirent: & Iurisprudentiam, in qua studiosius cæteris gentibus elaborarunt, cōstituerent. Ex his, præter Poetas Ennium, Plautum, & Terentium, M. Cato & doctrinis omnibus præclarè cumulatus, omnibusq; dicendi ornamentis instructus M. Cicero, atque in omni uarietate uersatus M. Varro, plurimum inclaruerunt. Principatu unius firmato, P. Virgilius Poesi, Liuius Historia magno successu Græcos exæquarunt. Mundo autem renascente, & pace in uniuersum confirmata, memorabilis Christi aduētus cuncta instaurauit. Sequuti Apostoli, sanctiorem doctrinam toto terrarum orbe proseminarunt. Rerum Naturæ historiam C. Plinius est persequutus: inde collabentem eloquentiam restituere Quintilianus cōnatur. Græci recollectis quasi animis, multa in omni uarietate conscripserunt. Strabo orbis descriptionem, Plutarchus historiam, et illustres Philosophię locos, Medicinā Galenus, Matheses Ptolemæus, Philosophiā omnem Alexander Aphrodisęus maximo studiorū successu in mediū protulere. Romanorū studia, magna ex parte ad Iuris ciuilis cognitionem & exercitationem cōucrsa. Ex his Vlpianus & Paulus primarij nominis extitere. Constantini auspicijs cōsequuta maiora Christianæ religionis incrementa, Græcis, Afris, & Latinis certatim plurima ingenij monumenta relinquentibus. Ius ciuile, Iustiniani imperio prægrauante, librorum multitudine contractum. Caroli Magni temporibus, oppressis & obscuratis literis, ac linguis

corruptis, difficulter ſuccurrere potuerũt. Iam uerò ex ĳſdem tenebris, Lotharĳ ſecundi ætate admiſſus in ſcholas Ariſtoteles, perperam uerſus, omni elegantioris literaturæ puritate & integritate amiſſa, nouum, & argutĳs plenum philoſophandi genus inuexit. Ius ciuile, ac cætera ſtudia, cõmentariorum mole immodica premuntur. Sed iam inſtaurantur literæ, Græcis in Italiam profectis: ut coniuncta utraque lingua, noſtris ab Italia eruditioribus reuerſis, atq; libris omnis generis recenti Typographiæ induſtria diſperſis, hoc ſeculum in omni literarum uarietate, laudabili ueterum æmulatione feliciter ſuſcepta, & maximis doctrinarum omnium incrementis, locupletarint.

Vniuerſitatis rerum quinq; partes.

Atq; ita quinque ſunt in uniuerſum hoc ordine diſpoſitæ partes, quas cõmuni hiſtoriæ Vniuerſitatis rerum nomine, in totidem libros diſtribuimus: harum prima eſt Naturæ, altera Prudentiæ, tertia Principatus, quarta Sapientiæ, nouiſsima Literaturæ. Et in Natura quidem inchoata communiter in omnibus cauſſæ rerum conditarum: in Prudentia alteram quandam Naturam efficiente, uſus & commoditates rerum terrenarum: in Sapientia rationes, cõſenſu eruditorum firmatæ, & multis elaborantibus completæ: in reliquis autem duabus, armorum & literarum clariſsima exempla continentur.

C.
V.
R.


Inſcriptionum ratio.

Speciosis equidem inſcriptionibus ad hoc uſi ſumus. Quid enim faceremus aliud? cum ea uerè ſignificent, quæ ſubĳciuntur, & ſint aptæ atque conuenientes. quam ipſam ad rem pro Sapientia doctrinarum, diſciplinarum, & honeſtatis hiſtoriam, ad rationem primi libri Ciceronis de Officĳs, cum reponere uellẽ: pro Prudentia opificiorum, artium, reipublicæ, atque utilitatis, ad rationem ſecundi libri eiuſdẽ Ciceronis de Officĳs, ſentiebam minus illa cõgruere, uti deinceps ipſa rerum progreſsione ſuis locis melius patebit: nec id quod hoc ſcripto maximè requirebam, ſatis poſſe uno & eodem nomine complecti. Expediret autem, de utilitate contrahendæ Vniuerſitatis rerum doctrinæ, deq; huius inſtituti ordinis confirmatione, aliqua præmittere: ſed quoniam ad finem horum quinq; librorum ſatis multa diximus, illinc aſſumenda, quæ ad hunc locum pertinebunt.

Hiſtoriæ de Natura tractatio.

Igitur prima Vniuerſitatis rerũ hiſtoria, quam de Natura nos inſcripſiſſe meminimus, ſeſe offert, quanquam iudicio atq; ſententia eorum, qui in uniuerſum de doctrinis omnibus hactenus ſcripſerunt, aptius uideri poſſet, eum ſeruare ordinem, qui in diſcendo eſt receptus & uſitatus: uti à primis ſermonis informandi atque exornandi documentis, ad conſequentes diſciplinas ſolito ordine totius fieret progreſsio. Sed nobis inſtituentibus,

tuentibus, hac perbreui adumbratione commemorare, quæcunque primò in rerum cognitione sunt deprehensa, faciendum id non fuit: ut commodum sit, à cœlestibus ad terrena delabi, atque inde à minus perfectis, ad ea quæ magis perfecta uidentur, quodammodo progredi: quod intelligentiæ cuiusq;, & Naturæ est aptissimum. Tametsi nec illud erat ineptum futurum, conuerso hoc, eodem ordine, à subterraneis ad ea quæ supra terram, inde ad cœlestia conscendere: aut à magis perfectis ad minus perfecta sic descendere, ut ab homine ad ea quæ sensum habent, quæ nutriuntur solum, quæq; sunt animę prorsus expertia, rebus ita deducētibus ueniremus. Et hic quidem ordo C. Plinio, maximæ diligentiæ uiro, in his ex omni scriptorum utriusque gentis copia peruestigandis & prodendis, non omnino displicuisse uidetur. Sed est libertatis cuiusdam literariæ, omnia in omni genere ad amplificandam rerum cognitionem, & eandem tractandam, confidēter experiri: ut nemo hoc meum factum reprehendere posit, si quid uerisimilibus rationibus mihi propono hoc tempore sequendum. Neque enim protinus alium is contemnit, aut aliquomodo damnat, qui in his diuersam uiam à trita & usitata ingreditur, modò non sit dissimilis propositus ad easdem res enumerandas, minimeq; impeditus cursus. Quod ipsum nonnunquam adeò est ex ingeniorum dissimilitudine fructuosum, ut multa appareant melius, sintq; perspicua magis reddita, propter solitum ordinem nonnihil conuersum atque immutatum. Itaque communem *De Naturæ ordo.* hanc rerum parentem Naturam ea serie, qua proximū quodque alteri inde consequenti est, ad propositam eiusmodi historiæ rationē antè explicari debere duximus, quàm ad uaria hominum studia, quæ ex illius similitudine composita, in immensum creuere, inde progrediamur: ne in hac uniuersæ obseruationis rerum lustratione, quod maximè expediebat, prætermissum illud uideatur. Quādo ipsa eadem Natura cæterarum duarum cognitionis à nobis iam per triplices gradus constitutæ partium, subiecta quædam sit, in qua potissimum uersentur materia, ex qua illæ sunt in uniuersum multa studiosorum per diuersas ætates obseruatione profectæ: ut hoc quasi posito nostræ totius scriptionis solido ac firmo fundamēto, reliqua conuenienti ordine disposita, consequantur. Hæc eadem doctrina *Historiæ de Naturæ utilitas.* Naturæ tanti est in omni uita momenti, ut pręter excellentem, quam communiter omnibus excitat, autoris rerum omnium admirationem, & singularem amorem, quæ sit mundi totius, atque ipsius hominis cōditi ratio, quem hic locum teneat, quæ



obire munera illum oporteat, quàm sit par & communis omnium à primo ortu ad uitæ exitum conditio, ut contemni nullus posit: quodq; sit rerum, quæ oculis nostris subiectæ sunt, precium, quę æstimatio, uerissimè tradit & persequitur. Quocirca huius ipsius historiæ de Natura collocationem carptim, uti complecti potuit (quando plenior & uberior tractatio, maiorum laborum opus desiderat: & satis mihi est hoc tempore, exiguam & angustam hanc meæ uoluntatis sententiæ ac consilij significationem fecisse) ducto ad hanc rationem principio, describere aggredior.

INSCRIPTIONIS ET Partitionum finis.

CHRISTO-

CHRISTOPHORI Mylæi, de ſcribenda Vniuerſitatis rerum hiſtoria, è quinque libris Primus, qui eſt de Natura.

PROOEMIVM.



OELESTIS AC DIVINVS in nobis animus, hoc corporis uſus ſeruitio, originis, quam inde certiſsimam habet, memor, erectis in ſublime oculis, ad ſtructuræ & fabricæ uniuerſi conſpectum, diuturniori conſeruationi, cunctis rebus naſcentibus interiorem uim, certum ordinem, ac rationem quandam conſultò inſitam (homines conuenienter Naturam dixere) motus in corporibus neceſſarios cientem agnoſcens, ſummum, optimum, præpotentem, & maximi omnium huius operis autorem unum DEVM, architectum, rectorem, ac moderatorem, confirmato generis hominum conſenſu atque teſtimonio, liberè prædicat, & conſtanter profitetur. *Deus Naturæ autor.* Hac ſanctiore ſententia, è diuinis noſtræ religionis oraculis hauſta, & inde ad cæteras gētes translata, poſito firmiſsimo rerum omnium principio, ſine quo nihil inter mortales auſpicatum, nihil ſalutare, nihil denique in ullo genere uerum, aut bonum: à quo proficiſcuntur omnia, & ad quod unum referuntur uniuerſa: licet hiſtoriam inſtituentibus uſitatum non ſit, precibus tamen, uotis, & imploratione ſummi Dei, initio huius operis utemur. Itaq; conditorem ac molitorē rerum omnium Deum, cuius mandata certiſsima Chriſtus filius, in terras, generis hominum inſtaurationi miſſus dedit, propenſa mentis, cogitationis, uoluntatiſq; intentione ſtudioſè inuocamus: ut ſcribentibus perbreuem hanc eorum omnium enumerationem, quæ ſingulari illius munere in Natura, ſtudijs, atque rebus hominum

num geſtis, multas per ætates, ingeniorum præſtantia & celeritate uariè ſunt deprehēſa ac obſeruata: proſpero inde cœpto curſu ad eos fines, qui ſunt rebus omnibus propoſiti, deducantur. Atque ea omnia ad unius ſolius Dei perennem ac ſempiternam gloriam, & ad communem ſtudioſorum hominum uſum atque utilitatem ſint & introducta, & optimè comparata. Hominis nanq; fuerit, tanto munere abutentis, exiſtimare ſuis ipſius conatibus, atque proprijs uiribus, uel minimam etiam cognitionis rerum partem cuiquā ſatis conſtare poſſe: aut non diuinitus ad ea exquirenda & prodenda nos duci, trahi, atque adiuuari. Quam quidem ad rem conſtanter illud tenendum, hæc ipſa, quæ ſumma admiratione ducti intuemur, hominum gratia condita eſſe, & generata, ut contra officium nullo modo eſſe poſsit, ad uſum eorum uerius ac certius comprehendendum, totius Naturæ, cæterarumq; rerum multiplices cauſſas, uſus, atque rationes, quas prima hac Vniuerſitatis rerum collocatione, quinque in libros diſtributa, proponimus, ſtudioſè, quantum homini eſt cōceſſum, inueſtigare: & eaſdem ſcriptis, certiſsimis rerum cuſtodibus, commendare. Ac proinde excellentis & præſtantis Naturæ uim, quæ in diſſolutis atq; diſperſis partibus fide & pulchritudine caret, totam ac integram animo, ſenſibus, ſcripto, lectione, auditione, & rerum tractatione comprehendentes, certius, iucundius, atque fidelius (quandoquidem alia alijs proximè iuncta, nexáq;, optimè inter ſe comprobari poſſunt) ad hanc, quam hoc tempore ſequimur, rationem cognoſcamus.

NARRATIO.

Coſmographia.



AGNITVDO igitur & pulchritudo in omni uarietate, perfecta atque abſoluta elegantia diſtincti huius operis Mundi, Cœli, & ab ea, quam habet, figura, Orbis aptiſsimū nomen obtinuit, conſtans inter ſe, ac mutuò conſentiens, ad rerum omnium, quas ſuo complexu coercet atque continet, incolumitatem, partibus æquabiliter undique certa lege, medium diuinitus capeſſentibus, compages & coagmentatio. Quam eandem amplitudinem præclara hominum ingenia, longo ætatum curſu, multiplicibus confirmata obſeruationibus, præter ea quæ ſunt à priſcis diutiſsimè ſimul & diligentiſsimè inquiſita atque prodita, decimum Orbem, magnis adducti coniecturis ac rationibus, tametſi minimè ſub aſpectum noſtrum ueniat, conſtituerunt: ut ſuprema

Orbis decimus.

illa conuerſionis celeritate incredibili, horarum non amplius XXIIII ſpacijs, æquabilitate, ordine, atque conſtantia, ab ortu in occaſum cõmuniter ſecum trahendo uniuerſa, diſpares curſus habentia, in orbem conuoluantur. Et ad eam rem duo pun- *Poli.* cta inter ſe opponuntur, quæ immota conſiſtunt, circum quæ uniuerſi magnitudo tota uerſatur. Itaq; traiectum per medias *Axis.* terras Axem, ſubtiliter animo, & magna commẽdatione ingenij cõceperunt: ad cuius obuerſas partes extremas, ijdem duo uertices & cardines ſunt collocati, Polos inde nominant: è quibus unus ſublimis ad ſeptentriones, cõſpicuus noſtris, qui Arcticus dicitur: alter in auſtrum, terris ſubiectus, ab ijs qui aduerſa noſtris urgent ueſtigia, ſolum uidetur, Antarctici appellatione. Huic eidem mobili (ut uocant) primo, alterum utique *Nonum.* adiectum deprehenderunt. Ita duplex motus eſſe creditur, qui aliquot annorum millibus, curſu ab occidente in orientem fertur. Iam uerò Cœlum ipſum, oculis expoſitũ, & mundi totius *Octauū.* extremum à ueteribus dijudicatũ, paucioribus quàm alterum mobile annorum millibus expletis, triplici motu agi exiſtimatur. Nam illuſtres perinde ac micantes, & innumerabiles flammæ, Stellas dicimus, in eo ſunt infixæ, collocatæ, & proſeminatæ: *Stellæ.* ut ſpacijs quibuſdã in ortum, occaſum, meridiem, ac ſeptentrionem ſeſe mouentes, trepidare, aut accedere & recedere uideantur. Eædem nixu ſuo conglobatæ, ſeſe cõtinent: & forma rotunda, figuraq; ſua ſuſtentant momenta: ac nocte aliquanto clariore, ſpecioſam uniuerſi faciem reddunt, & cunctis Naturis ſalutarem uim præbent: quarum ſingulæ terræ magnitudinem facile uincere, à peritiſsimis rerum cœleſtium coniectoribus traduntur. Inter eaſdem flammas obliquus & conſpicuus ſplendidiſsimi candoris circulus, quem idcirco Orbẽ lacteum *Lacteus orbis.* dicunt, cœleſtium reſpirationibus elucet. Quocirca eruditi homines, cum illas ipſas ſtellas æqualiter inter ſe diſtare animaduerterent, *Phænomena.* notata ab ijſdem ſunt diuerſarum rerum expreſſa ſimulacra, eorum quæ in terris apparent, ſimilitudinẽ quadam, nominibus conuenienter accommodatis: quæ aſtra & ſidera, coniunctis pluribus ſtellis, etiam uocantur. Eſt Signifer circu- *Signifer.* lus, qui in XII ſignorum partes decenter diſtributus, cœlum magna effectionum ex errantibus ſtellis obſeruata uarietate, in obliquum complectitur. His tribus, primo & altero motui, atque cœlo, ſpacijs proprijs & certis interius ſunt innixi, inferti, ac diſcreti orbes alij, ſeu globi ſeptem: ut quique ex his ſublimes ſunt magis, præter eum motum, qui eſt uniuerſo mundo communis, uerſantur etiam retrò, quaſiq; obluctantur contra

rio & diuerſo motu, ab obeunte Sole in orientem, quòd loco mouentur, minusq; micantes ſtellæ quaſi uagentur, falſóque errantes, *Planetæ.* Greci Planetas appellarunt. Nam in eodem curſu proprio atque naturali, ſumma Prouidentiæ ratione, in progreſſu atq; regreſſu admirabilem motuum conſtantiam & ordinem conſeruant: quem ipſum longis temporum ſpacijs circunſpicientes rerum cœleſtium ſtudioſi, magno cōſenſu relictis teſtimonijs, talem quendam eſſe deſcripſerunt. Itaq; primus è ſeptem *Saturni ſidus.* globis, multum refrigerans, Saturnia ſtella nominatur: quæ ſupremum locum obtinens, annis ferè XXX, ad ſigniferi orbis rationem ſuum curſum circum terras tardiſsimè cōficit. Ingenerat eadem hominum mentibus uim quandam, contemplatio- *Iupiter.* ni rerum conuenientem. Infra hanc, propius à terra, illuſtris, clarus, proſper ad rerum adminiſtrationem, & ad actiones noſtras moderandas ſalutaris hominum generi fulgor, qui dicitur Iouis, medium inter hanc & conſequentem tenens, eſt temperatus, atque annorum circiter XII curſu orbem ſuum ſimi- *Mars.* liter permeat. Sed rutilus, rubens, ignitus, horribiliſq; terris, ad animos hominum commoto uehementius ſanguine inflammandos, ſolis uicinitate, tanquam bellator Mars, qui & Hercules, incenſus, binis propè annis eundem ſigniferi, quem duæ ſu- *Sol.* periores, luſtrat orbem. Subter mediam ferè mundi regionem illuſtri ſplendore candens, & luce toto cœlo ac terris diffuſa, cuncta colluſtrans, etiam in intima terrarū uiſcera penetrans, princeps ac moderator luminum reliquorum, quæ illo præſente nobis obſcurantur, Sol poſsidet, mens, cor, oculus, fons naturalis caloris, & temperatio totius mundi: ut cum ſit rerum ſator & procreator, ſenſum ac motum quendam hominum animis meliorem, & uitales ſpiritus ſalutariter inſerat. Multis partibus eſt uniuerſa terra maior, circum quam in obliquum ſpecioſus uertitur. Ea eſt conſtans, & laborioſè continuata à primordijs rerum omnium curſus uelocitas, quę nulla ætatū me- *Temporum ratio.* moria, niſi quæ diuinitus contigere, interquieuit. Profecta inde ex perenni etiam Solis decurſu tripartita illa, multiplicis inter homines uſus, temporū diſtinctio, cum iudicio rerum præſentium, eorum habemus rationem, quæ anteceſſere, quæ que ſunt conſequutura. Nam oriens, terras larga luce complendo: atque occidens, umbra terris ſua opacitate officiente, dierum ac noctium gratas uiciſsitudines efficit, quę horis XXIIII conſtant: quas eaſdem ſuis momētis, articulis, quaſiq; punctis ſub- *Quatuor anni tempora.* tiliter partiuntur. Sed inflectens curſum acceſſu propius ad ſeptentriones, & abſceſſu longius ad meridiem, rerum inſtaurationi,

tioni,frigoris & caloris ratione,ſingulari Prouidentia quadripartitas facit temporum commutationes: Aeſtates,quibus fructus terris incaleſcentibus, humido illo incocto, maiore æſtu mitigato, utiliter matureſcunt: Hyemes, quibus eædem terræ triſtitia quadam contractæ,multum refrigerantur:& ad irrigationem niue, pruina, ac ſoluto gelu humore, molliuntur, quaſicq; pingueſcunt. Inde illa duo tempora, animantum ac ſtirpium Naturæ,propter opportunam caloris & frigoris temperationem conuenientia: quorum alterum hyemi ſeneſcẽti,quo reuireſcunt in terris omnia, exhilareſcunt, renouantur, atque effloreſcunt,& Ver nominatur:alterum æſtati adiunctum eſt, Autumni appellatione: quo maxima ex parte neceſſarij uitæ mortalium fructus, maturitatem aſſequuti, percipiuntur. *Annus.* Circuitus Solis orbium, ad ſigniferi rationem, V. defectibus, LX & CCC, quarta ferè diei parte addita,quæ diem unum quadriennio repetita explet,conuerſionem faciunt annuam. Hæc eadem uiciſsitudo anniuerſaria, ad Solis decurſum cõuenienter accommodata, fit cum ſumma ſalute, incolumitate, & conſeruatione rerum omnium,quæ totis terris gignuntur. Solem in ordine cœleſtium orbium, perinde ac miniſtri duo, & comites,modò antecedunt, modò inſequuntur. Vnus eſt, notabili candore ſplendeſcentis Veneris: quæ ſola ex ſtellis umbram faciens, *Veneris ſidus.* ad ortum cum antegreditur Solem,Lucifer: cum ſubſequitur, Veſper nominatur.Manant ab ea cupiditates & deſideria, quæ ſunt totius propagationis animantum atque plantarum. *Mercurij.* Alter eſt parui,radiantis, & uariantis Mercurij: à quo mentis & ingenij præſtantia atque celeritas,uis illa oratoria,& facultas dicendi laudabilior inferi exiſtimatur. Vterq;,Venus & Mercurius, motus propemodum Solis celeritati pares habent: & anno uertente,exceptis paucis diebus,orbem ſuum ſimiliter perluſtrant. *Lunæ.* Orbis autem Lunæ minimus,quæ magna humilitate fertur, immenſæ altitudinis ſuperiorum habita ratione, terram penè contingens: ideoq; ultima cœlo, & citima terris eſſe dicitur. Eadem humida ac refrigerans, radijs Solis, non ſua luce,perinde ac ſpeculum illuminata, noctem, cuius illa eſt gubernatrix,ne ſemper obſcura ſit,miſsis radijs in terras, quibus eſt minor, luce illuſtrat: *Menſis.* ac menſtruis ſpacijs XII. dierum circiter XXVIII. ſigniferi ambitum luſtrans, curſus Solis annuos,adiectis aliquot diebus,cõſequitur, & celerrimè complet. Atque ita inferiores orbes admiranda & diuina ratione à ſuperioribus, quauis ex parte æquabiliter inuicẽ ſuis interuallis cõprehenſi, frequentius ratos & cõſtantes eiuſmodi curſus

repetunt. Itaque Luna tum congrediens cum Sole, tum digrediens, lucis, atque formæ uarias habet commutationes: ut cornibus ad exortum accrescere, & ijsdem in obeuntem Solem conuersis, senescere uideatur. Nam tenuissimum illius lumen, facit proximus accessus ad Solem: digressus autem longissimus quisque, plenissimum: in quo eodem cursu, spacia etiam temporum dimetiens, bruma est quædam, & solstitij similitudo. Sed quandoque interueniens, subiecta atque opposita Solis decursui, nostrisq; oculis radios & lumen eius, cum densum sit, & opacum corpus, obscurat: ipsa incidens in umbram terræ, cum est è regione Solis, interpositu terræ, interiectuq;, prohibito lumine, repentè deficere uidetur: cuius eiusdem defectio, Solis non item, cōmuniter omnibus apparet. Quę cum fiunt, grauium euentuum, ac tristium significationem habere, mortales diuersis temporibus, magno consensu obseruarunt. Ac proinde cum ipsa Luna terris sit propinquior, quasiq; familiaris, ratione humoris, in subiecta elementa manifestè agit: & maria potissimum mouet, ut fluant ac refluant: multa etiam ab eadem dimanent, quibus animantes & stirpes alantur, augescantq;: grauiditates, partus, maturitatemq; gignendi consequantur. Septem ij sunt orbium cœlestium motus, ad totius mundi cohærentiam pertinentes: quorum tres superiores conseruationi & saluti quandam adferunt temperiem: inferiores, Sole intermedio, effectionum uarietate & constantia optimè tuentur, atque defendunt, ne quid in diuersas feratur partes, uerùm omnia quadam mutua ad firmitatē & incolumitatem beneuolentia sese complectantur. Sed ut ad idem principium, unde semel cuncta illa sunt profecta, redierint, eandemq; confectis spacijs totius cœli, descriptionem retulerint, Magnum annum expleri, à ueteribus Mathematicis creditum. Par est utique, impensè mirari, è tam dissimilibus, quasiq; inter se pugnantibus Naturis, unam esse ad uniuersi integritatem & salutem, atque eandem rerum cœlestium conuenientiam, ac consensionem: quam suauissimū totius mundi concentum & harmoniam, quæ propter longinquitatem audiri à nobis non potest, Philosophi appellarunt. Igitur ex ijsdem cœlestibus globis, motu, calore, ac lumine, quatuor distinctis temporibus, uicissitudine anniuersaria, cognatione, & affinitate quadā, cum insitam efficiendi, elementa obsequendi uim habeant, eorum omnium caussæ & initia, quæ in terris mariq;, eorum accessu gignuntur, & recessu intereunt, manant: & ad horū rationem, uariè incrementum, sicci & humoris qualitate accipiunt, inclinant,

Eclipsis Solis ac Lunæ.

Septē orbium effectiones.

Magnus annus.

Rerum cœlestium cum terrenis cōsensio.

nant,atq; commutantur. Supra Lunam simplicia sunt omnia, *Aether.* pura,summæ claritatis: constantiam ordinũ,æquabilitatem'q; motuum,naturali lege, quandiu æterna mens cõsistere illa uolet,admirabiliter seruantia: quæ Aetheris nomine,cuncta cœlestia suo complexu coercentis & cingentis, optimè continentur. Quintum hoc elementum dixerũt: extrema est ora,& determinatio mũdi. Infra Lunam nihil nisi mortale & caducum, *Lunæ subiecta.* præter animos, ducta cœlesti origine,hominum generi diuinitus insitos: quorum gratia, omnia quæ oculis subijciuntur,ad conuenientem usum & administrationem sunt condita. Itaq; eadem Lunæ subiecta, cum magna rerum omnium perturbatione & uicissitudine conuertuntur. Inferior nanque est mundus,superiori acquiescens: quemadmodum supremus Deus, diffusa per omnes partes Prouidentia, res cœlestes atque terrenas consentire inter se ad omnem incolumitatem & conseruationem uoluit. Interiacent autem, quæ numerantur quatuor *Elementa.* rerum principia,seu simplices Naturæ,elementa'q; prima:quę licet per omnem Naturam, & ad mixturã & ad generationem fundantur, loca tamen idonea, in quibus potissimum ad partium Mundi incolumitatem tuendam cõsisterent,habuerunt. Itaq; locum ab orbe Lunæ proximũ, Ignem tenere affirmant: *Ignis.* qui aucto ac retento calore,ætheris uicinia,motu quodam circumagitur & rapitur. Idem suprema occupãs, leuis est,tenuis, simplex,purus,subtilis, ac clarus: ut rerum cœlestiũ aspectum hominibus minimè impediat,& cum aeris extremitate coniungatur.Itaq; omnia quæ aluntur,quæ'q; gignuntur ac crescunt, continent in sese,& inclusam habent uim caloris uitalem atque salutarem,ad cæteras Naturas Mundi omnes pertinentẽ: qui quàm diu remanet in nobis,tam diu sensus & uita remanet: refrigerato autem & extincto calore, occidimus ipsi,& extinguimur.Eundem ignem,aduenięte humore quasi restinctum,im- *Aër.* mensis ad aquas & terras spacijs, anima & spiritu per cuncta meabili,ut compleat omnia,nec uacuum quicquam relinquat: inani tamen simili,aliquantum densus & contractus Aer,aqua rarior multo & leuior proximè consequitur, qui idem uim illam siderum ad terras latè uehit ac fundit. Recipit enim calorum & frigorum annuas uarietates, lucem atque tenebras, ut die ac nocte illæ distinguantur:grauia etiam & leuia,fusus per omnem Naturã,ad animantum cõuenientem respirationem, uim radiorum Solis,atq; æstum temperans,nobiscũ uidet, audit, sonat: cum nihil eorũ sine eo interiecto fieri posit, quinetiam communiter mouetur nobiscum:quacunque enim imus,

Summa aeris pars. aut mouemur, quaſi locum dare, & cedere uidetur. Cuius ſumma in parte, ex finitimi ignis & aſtrorum uicinitate, aliquis adhuc eſt reliquus calor: ac proinde pura illa eſt pars, & magis illuminata. Rebus igitur à cœleſtium integritate, ſubtili concretione quadam inclinantibus, Solis & aſtrorum motu atque ui- *Metrora.* ribus multa eadem in parte gigni ſolere cõſpicimus. Nam cum ex elementis alia ex alijs, conuenientia quadã oriri atque commeare inter ſe, perinde ac in aliam Naturam certum habeatur, fit, ut exhalationes à ſiccis terris ſurſum ijſdem Solis uiribus euehantur, atque ibi conſiſtant: & ignea multa, ac flammea, diſſimiles figuras, pro caloris ratione habentia, nonnunquam ap- *Cometes.* pareant: è quibus Cometas diuerſi generis etiam figurari cernimus, cum cœleſtia ſubiectæ & inflammatæ reſpirationi ſuos ita demittunt radios, ut crinis ijſdẽ, aut cauda appẽſa credi poſſit: per aliquot dies uidentur: & res magnas, graues etiam cala- *Media aeris pars.* mitates portendere mortalibus, exiſtimantur. Media autem aeris pars, cum ab cœleſti igne, ac terris, quas repercuti quodammodo intelligimus, longius abſit, minus eſt pura, ſed frigida, humida, obſcura plerunque, & caliginoſa: ut calidæ exhalationes, prioribus minus uirium habentes, hoc loco retineantur, atque incendantur. Inde propter ingens frigus, omnium tempeſtatum perturbationes, quæ pendẽre ſuis ſpacijs in aere uidentur, conueniens locus, & fabrica. Siquidem uapores, ab aquis & terris, cœleſtium maximè uiribus ſurſum aſcendentes, aqua in aerem ſeſe (ut modò cõmeantem eſſe elemẽtorum Naturam diximus) conuertere uolente, hoc ipſo in loco, ex circunfuſo frigore, ad eiuſmodi tranſitum faciendum, impediuntur, cohibentur, atque ſiſtuntur. Itaque ex his uaporibus ſur- *Multiplicia tempeſtatum genera.* ſum elatis, humore in glaciem ante deſcenſum concreto, perinde ac minuta grana, & calculi, deorſum, propter grauitatem, ce- *Grando.* leriter mittuntur, Grando appellatur: aut humore per frigus *Nix.* collecto, nõ in aquam, ut ſuperior: ſed mollius coacto, Niuem modicè labentem demittere, quaſi frequentes, candidas, & concretas pluuiarum guttas, hybernis temporibus uidemus. Qui *Pluuiæ.* autem uapor craſſus, calore utiq; excitatus, ſublimia appetens, eodem mediæ regionis circùm poſito frigore cogitur, & conuertitur in Nubem, multæ uarietatis, & magnitudinis immenſæ, cum per aera, uentis ad hoc, quaſi quibuſdam nubium uehiculis, adiuuantibus fertur, magis inde compreſſa, ut Solis aſpectum impediat, & collecta in ſeſe aqua, liqueſcit: ac guttis ſenſim, propter grauitatem, excidentibus, diuerſi generis pluuias, ſubtili, pura, & leui ex aqua conſtantes, terris neceſſariò abluendis,

luendis, & stirpibus irrigandis, copiose effundit. Nonnunquàm guttæ imbrium, quasi cruentæ, aut lacteæ, decidunt: ac lapidei, & diuersarũ rerum imbres apparent. In quibus ijsdem nubibus cauis, & rore plenis, Sol ex aduerso interlucẽs, ac suos demittens radios, Iridem, arcus specie, tribus maximè colori- *Iris.* bus distinctam, decenter efformat: quod ipsum etiam Lunam efficere, deprehenditur. Lumen autem Solis conclusum, interpositis ad latus uaporibus, ex eo repercussu, quandoque gemini ut uideantur Soles, efficit: hoc ipsum & Lunæ accidere, tradunt: quandoq; radij Solis, uariè per nubem dispersi, uidẽtur, Virgas inde nominant. Nubecula uerò, coronę instar, Solem, Lunã, aut aliud sidus in orbem cõplexa, Halo, seu Arca dicitur. Nubes expressa aqua, sua leuitate diffugiunt sursum, atque euanescunt. Sed maiore Solis æstu, cum ex terris anhelitus, atque *Tonitrus.* siccæ exhalationes, magna Prouidentia, ad salutẽ animantium, ne inficiantur, elatæ sursum, in nubem induruerint, cumq; tenuissimam quamq; partem cœperint diuidere, idq; dum exitum quærunt, crebrius facere, & uehementius, ex ingenti illo fragore, murmure, strepitu, & fremitu, Tonitrua existũt. Ventis etiam adiuuantibus, nubium occurrentiũ lucta, graui conflictu, collisione, & dissolutione cieri tradunt. Ignescens in nube perfringẽda, erumpens, & aciem oculorum repentè feriens diffusum lumen, cum simul fiant, prius tamen quàm tonitru apparet, coruscans est flamma: uehemens autem ardor inde expressus, cum per uim ad terras fertur, Fulmen, habens diuersos *Fulmen.* effectus, appellamus. Hæc eadem, homine inter luctantia elementa collocato, terrorem atque metum incutiunt, & horribilem formidinem opponunt, ad nostram etiam moderandam effusionem, & coercendam insolentiam: quando maximis terræ muneribus, & ingenti liberalitate plerosq; abuti uidemus, ut sub ipsum messis ac uindemiæ tempus illa immittãtur. Quę autem exhalationes calidæ & siccæ, minimè inflammantur, sed *Venti.* cœlestium uiribus subuectę, moueri uehementius, agitari huc atque illuc, & effluere cœperint, Ventos, qui nihil aliud sunt, quàm multus & coactus, inanis tamen, & minimè conspicuus, fluens aer, efficiunt ac procreant: alij maris ipsius motu & conflictu excitari credunt. Qui ijdem uenti, paruis incrementis orti, à media aeris regione, propter frigus, repelluntur, & maiores suo progressu fiunt: atq; excitandis quodammodo, ne torpescant & languescant, Naturæ omnibus rebus, terras latissimè perflant: & plerunque à pestiferis corruptionibus, quæ animantum generi sunt noxiæ, utiliter expurgant. Itaque ex qua-

tuor

Principes uenti quatuor. tuor oppoſitis totius orbis terrarum partibus, totidem principes uenti erumpunt, quo in tranſitu per diuerſa loca quandam eorum qualitatem, ut calidi ſint, & ſicci, aut frigidi & humidi, longiſsimè atque latiſsimè perferunt. Nam ab ortu flat Eurus: Libycis ex oris aduehens pluuias, noxius & peſtilens Auſter: aduerſa ortus ex parte mitiſsimus Fauonius: à ſeptentrionibus frigidus, ſalubris tamen, & uehemẽtior, nubes diſijciens Aquilo. Iiſdem præter ſubitos, repentinos, atque diuerſis gentibus peculiares, etiam alij, perinde ac comites his ſingulis quatuor primarijs uentis, ſunt adiuncti, ut in uniuerſum XII à peritiſsimis obſeruatoribus, & his multo plures à nautis adnumerentur. Etiam ex concauis illis ſpeluncarũ altitudinibus nonnunquam erumpunt, ijſdem calidis & ſiccis reſpirationibus excitati, & intus concepti multiplices, ac diuerſorum effectuum ſpiritus atque ignes: qui cum ſunt uiolenti, exitum quærentes, efficiunt, ut terræ diſcedant: inde ſunt graues terrarum motus, uaſtitates, & repentini hiatus.

Ima aeris pars. Ima uerò, & infima aeris pars, Solis acceſſu & receſſu uariè commutatur: calidior tamen, certo cœleſtium radiorum repercuſſu, calorem excipiente ac remittente, & ad uitam animantum degendam multo temperatior. Hic ſiccæ exhalationes quandoq; apparent: quas nocturno frigore impulſas, diſsimilibus figuris inflammari, pro earum imbecillitate, cum aſſurgere nequeant, cernimus.

Nebulæ. Eadem pars, à quarum uaporibus medio anni tempore facta humidior, caliginem & nebulas latè ſparſas habet, quę craſsiore aliquanto ex aere conſtant: nubibus tamen rariore, ut uel principium dent, pluuiarum ſignificatione, cum ſuprema petunt, cogendis nubibus: uel reliqua ex his pars ſit, ſerenitatis cuiuſdam teſtimonio ita per terras diffuſa.

Ros. Perexiguus autem uapor à Luna, uti tradunt, ſereno, idq; ueris potiſsimum tempore excitatus, & calore deſtitutus, non multum ſurſum effertur: ſed conuerſus in pertenuem & ſubtilem aquam, ad cõueniens ſtirpium alimentum, Rore terras aſpergit.

Pruina. Maiore utique noctis frigore, per hyemem ros concretus in Pruinam, diuerſis rebus adhæreſcentem, obrigeſcit, quæ eadem à Sole adueniente protinus diſsipantur.

Glacies. Aquæ uerò terrenæ frigoribus etiã dureſcunt, & conglaciantur: quæ poſtea, ſuccedente anni renaſcentis calore, tabeſcunt, ac liqueſcunt.

Serenitas. Quibus omnibus (ut ſunt rerum cœleſtium certa cum terrenis conſenſione ratæ temporum anni uices) à Sole caleſcente, terra mariq; latiſsimè diſcuſsis atque diſpulſis, ſereno cœlo, & tranquillo, pulcherrima, & eadem puriſsima uniuerſi ſpecies, ſtellæ & aſtra noctu omnia, ſuis conuenientibus

nientibus locis, magno ornatu diſtincta, ſingulari hominum hilaritate & renouatione conſpiciuntur. Eiuſmodi aeris commutationes & uiciſsitudines, antequam fiant (ita omni ex parte explicuit ſeſe Natura) longa obſeruatione, à peritiſsimis coniectoribus, multiplicia, & frequenter recurrentia ſigna notantibus, deprehenduntur: ut præter cognitam, & tractatam illam errantium in quibuſcꝫ ſigniferi orbis partibus, diſpoſitionem atcꝫ ſitum, aut certa uentorum genera, ex Solis ortus ratione, diei ſtatus, & ex obitus ipſius noctis æſtimari poſsit. Luna etiam ex puritate aut caligine, ſerenitatis atque tempeſtatum ſignificationem referente, & pleriſque terrenis rebus affectione quadam illa ipſa utique repręſentantibus: ut ueriſsimè præſentire eadem, ac ſuis prędicere multi ſoleant. Aeri autem omni ex parte iuncto & continuato, eocꝫ multum collecto & cõpreſſo, accedente grauitate, ſubſidentium Aquarum uis, magnitudo, atque uaſtitas, ut ſunt diuinitus in unum congregatæ, eſt conſequuta, Oceani & maris Atlantici nomine, totas terras, ad tenendam ponderum æqualitatem, appetens: ut eaſdem ita præcingat, premat, & undicꝫ conglobetur: uacuis tamen ſtirpium generationi, atque animantum habitationi ſpacijs relictis: ne aut redundet uſquam, aut effundatur, quaſi una ex duabus Naturis ad concordiam arctiſsimè conflata uideatur. Sunt autem aquæ, cum humori accedit frigus, ipſo aere craſsiores: ita eſt à ſuperioribus, magis puris, calidis, & leuioribus, ad hæc magis corrupta, frigida, & grauiora, deſcenſus. Igitur ex cœleſtium calore, Solis potiſsimũ, ſalſum mare factum, Lunæ curſu commouetur, & alternos ac reciprocãtes æſtus habet, cum fluit ac refluit: quod ipſum etſi ſit Natura tranquillum, cientur tamen, ne corrumpatur, uentorum ui prægrandes fluctuum agitationes: quas oppoſita continentis & terræ littora, mollicie cumulatæ arenæ, ac rupibus obiectis, ne eaſdem inundent, claudentia, frangunt atque elidunt: ita maxima ipſius Prouidentiæ ratione, ſuis terminis omnia continentur. Inde à mari, per interiores latebras, quaſi uenarum in animante propagines, commutato eo quod ſalſum eſt, aquæ totis terris latiſsimè diffunduntur: ne ad ſtirpium atque animantum humorem neceſſarium continenter ſubminiſtrandum, poſsint exiccari: ne'ue eadem terra, humore illam ipſam optimè coniungente, diſſoluatur. Hinc præter id, quòd mare eſt fons pluuiarum, uiciſsitudine quadam eædem aquæ in ipſum mare influunt: quam eſſe cauſſam, cur minus illud redundet, tradunt: aut in altiſsimis illis terrarum receſsibus, uapores diutius retenti, & aer craſsior compreſſus

Prognoſtica.

Aqua elementum.

Aquæ terrenæ.

Fontes.

preſſus atque ſolutus, diſperſis latè ſcaturiginibus, copioſum, gelidum, atque perennem humorem præbere putatur: idq; in faſtigijs montium nonnunquam, aut ad eorum radices potiſsimum, è quibus dulces aquæ, liquoris pellucidi, erumpunt, & fontes paſsim frequentes effluunt: quibus in riuulos & amnes placido interdum, aut rapido curſu congregatis, atque ijſdem *Flumina.* ſimiliter in unum confluentibus, magna flumina, ripis altioribus aſſurgentibus, fiunt, quę in patentes lacus ſeſe quandoque effundunt: inde magis aucta, in diuerſos regionum tractus, longius ferūtur: ut poſtremò in uaſtum mare, perinde ac in ſuum domicilium, diuiſis antè propter magnitudinē oſtijs, tanquam brachijs, ſeſe deonerent. Ac non frigidæ ſolum aquę, ex illis terrarum latebris, ſponte effluunt: uerùm etiam uehementer cali- *Sal factitium.* dæ & inunctæ: ſalſæ etiam, unde factitium Sal: præter montes natiuos, è quibus quantum demitur, tantum accreſcit: ita ſunt ſalinæ ab ora maritima remotæ, ut quod erat futurum communiter cibis condiendis neceſſarium, in eo bene prouiſum mediterraneis etiā hominibus uoluerit Natura. Quam ad rem hæc tria ſuperiora elementa cœleſtibus, ut quæque uiciniora ſunt, melius obſequuntur, quantum ad motum, qui illis eſt non in orbem, ſed in rectum: & ſunt clara atque lucida maximè corpo- *Terra elementum.* ra, ut aſpectū noſtrum minimè impediant. Terra autem quartum, & idem ultimum elementum, minus ſubtilis, craſſa, & obſcura, mediam uniuerſi ſedem, puncti inſtar, cœlo comparata, ſiccitate frigori ſeſe coniungente, denſa, grauis, ſolida, globoſa, ac firma, ex aquis emergens & aſſurgens, complectitur. Atque ita ſunt idonea loca, ſuis qualitatibus, ſumma & diuina moderatricis Prouidentiæ ratione, ſortita. Igitur ea ſitus terræ ratio, ut omni ex parte, ſuprà & infrà, ad læuam & ad ſiniſtram, tantundem aeris habeat, ac ſit eadem undique à cœlo diſtantia: atque illud tanta contentione ponderum & grauitatis, ut in medium uergens, rapiens, ac conuertens extrema, æquabiliter ad centrum prematur, & in ſeſe nutibus ſuis conglobetur, nullis ad hoc nixa alijs præſidijs, ſed liberis undique ambientis & circunfuſi aeris ſpacijs pendens, immota admirabiliter reſideat & conquieſcat, quo ita ſit conueniens animantum generi domici- *Elementorum inter ſe comparatio.* lium. Grauiſsima itaq; exiſtens, cœlo, quod perenni motu uoluitur, & igni ſeſe propter leuitatem ſurſum efferenti, habetur contraria: ac quemadmodum ex igne denſior aer oritur, ita ex eodem, craſsiore facto, aqua: ſimiliter ex hac eadem, in firmiſsimam concreſcente materiam, terra producitur: ut quartum ſit corporum, è quibus omnia conſtant: quorumq; uiciſsitudine,

commean-

commeantibus ſurſum atq; deorſum eiuſmodi Naturis: quando utique terra quadã, ut putant, decima proportione, in multum humorem liqueſcit, & idem humor in aerem reſpiratione ſoluitur: dein ſubtili ex aere fit ignis, qui eſt omniũ puriſsimus: ut ad uniuerſi concordiam & incolumitatem, hæc partium omnium compages, atque coniunctio tota, diuinitus adminiſtrata & continuata, firmiſsimè retineatur. Itaque ut globum terræ aqua proximè tuetur, ſic eandẽ aquam aer: & ad eam ipſam rationem ignis, quem eundem æther uaſtis & immenſis locorum cœleſtium ſpacijs complectitur. Præterea naturali quadam ratione fit, ut eadem elementa ad proprium domicilium ferantur. Nam ignis etiam ui retẽtus ſublimia appetit, exitum quærit incluſus aer, aqua uerſus mare ſpõte defluit, grauia omnia in terras celerrimè deoluuntur. Ac proinde tradunt, quæ apparent nobis elementa, minus eſſe pura: ſiquidem ignis niſi concepta materia reſtinguitur, atque exhalationibus & uaporibus eſt infectus aer: ſimiliter aqua terrenis, ipſa terra humidis rebus eſt commixta. Expoſitis igitur rebus cœleſtibus, & tribus elementorũ locis deſcriptis, de ipſa terra plura ſunt deinceps dicenda: quæ eadem quinque, uti cœlum, quaſi cingulis redimita et circundata, à ueteribus diſtingui ſolet: extremos maximè inter ſe diuerſos, & cœli uerticibus ipſis ex utraq; parte ſubnixos, niue, pruina, ac frigoribus, longinquo Solis abſceſſu obriguiſſe tradiderunt: medium & maximũ, Solis appulſu, caloribus uri, ardore torreri & exardeſcere: duos his interiectos, accepta utrinque temperatione, ſtirpium generationi, & animantum uitę accommodatos, tribus illis longè magis habitabiles cenſuerunt: quorum unus auſtralis eſt, qui ab hominibus, quaſi ſubiectum cœlum habentibus, tenetur: Antipodas inde uocant, ut ita ſurſum undique cœlum eſſe deprehendatur. Alter ſub axe, ad ſtellas ſeptem, quaſi imminente cœlo, aquilonibus eſt ſubiectus, & à noſtris incolitur. Inde propter eiuſmodi immodicos æſtus, & ingentia frigora, totas terras homines obire non poſſe, Antiquitas exiſtimauit: cum id fieret cõmodè, non aliter quàm paruula animalia circumire globum aliquem ſolere, uidemus. Igitur terrę uniuerſę forma ſimilitudinem magnæ cuiuſdam eminentis ad animantũ habitationem, atque in ſublime emergentis ex Oceano inſulæ, referre traditur: quam Orbem terrarum, & Continentem dicimus, ſparſis interius & extrà frequentibus ac uarijs, ſed minoribus inſulis. Hanc eandem magnam inſulam, ingentia duo flumina, Tanais à ſeptentrionibus, & Nilus ex aduerſo, à meridie progreſſus,

Terrarum in zonas partitio.

Vniuerſæ terræ deſcriptio.

circa uicinum mare Rubrum, propè æqualiter interſecãt. Pars inter meridiem & ſeptentriones, in ortum latiſsimè conuerſa, Aſia eſt: quæ uerò in obeuntem Solem flectitur, in duas partes, mari interno, quod etiam noſtrum appellãt, ad Gades, ſeu Herculis columnas, quaſi in portum intranti, longiſsimè & latiſsimè recepto, diuiditur: quarum quę meridiem reſpicit, Africa nominatur: *Europa.* quę ſeptentriones, Europa: terrarum ea eſt, propter ſummam temperiem, paſsim habitabilis, & pulcherrima, tametſi cæterarum pars ſit minima. Hæc eadem ad ortum Tanaim, Mæotida, & Pontum habet: à meridie noſtrum mare, ab occaſu Atlanticum, à ſeptentrione Britannicum. Igitur Europæ prima in occidentem regio *Hiſpania.* Hiſpania, corij bubuli figuram referens: quæ in Luſitaniam, Beticam, & Taraconenſem diuiditur. Has regiones Tagus, Iberus, & Ana irrigant: ad mare internum proximè poſitæ Baleares inſulæ, maior atque minor. Eadem Hiſpania, mari alioqui circunfuſo, inſulæ formam refert: *Gallia.* niſi qua montibus Pyrenæis interpoſitis, annexa eſt Gallijs, quibus ijſdem Celtarum antè fuit commune nomen: in Aquitaniam, Narbonenſem, Lugdunenſem, & Belgicam, in qua eſt Arduenna ſylua, plenius deinde partiti ſunt: flumina habẽt Garumnam, Ligerin, Rhodanum, & Sequanam, obiecta in ſe*Britannia.*ptentrionem Albion inſula, quæ & Britannia dicitur: eidem proximè Hybernia, & quæ terrarum extrema ad ſeptentriones *Germania.* habetur, Thyle. Interiacet uerò Gallijs & Germanijs, Rheni fluminis decurſus: in quibus ijſdem Germanijs latiſsimè patens eſt Hercynia ſylua: & Albis fluuius in mare, quod Germanicum uocamus, fertur. Nunc quæ pars ad Alpes erigitur, ſuperior: quæ uergit ad Oceanum, inferior Germania appellatur. Vtriſque autem populis intermediæ Alpes, tanquam uallum, *Italia.* & Italię, hanc querno folio ſimilem faciunt: cuius partem, Ciſalpinæ Galliæ nomine, flumen Padus, multis alijs factus auctior, præterfluit: mons Apenninus, perpetuo iugo ſeſe attollens, dorſi inſtar, in longitudinem mediam communit. Eadem Italia anguſta, mari ſupero, quod Adrianum, in quo eſt Corcyra inſula: & infero, quod Thuſcum & Tyrrhenum dicitur, formam quaſi inſulæ, ipſis Alpibus in latum annexæ & alligatæ, refert. Oppoſitæ ad dextram inſulæ, Corſica, Sardinia, & ab *Sicilia.* Italia quaſi abrupta Sicilia: quæ quòd trianguli formam retinet, triquetram eſſe dicunt: in qua eadem mons Aetna perpe*Danubij fõtes.*tuis ignibus cõflagrat. Sed decurrens è Germanijs auctior Danubius, ab agris Vindelicorum, quibus Rheti ad Alpes ſunt uicini: & Noricorum, in ſuperiorem & inferiorem Pannoniam:

inde

inde Mœsiam utranque, subiecta Thracia, longissimè euectus, in Pontum Euxinum, sex ostijs diuisus, fertur. Harũ gentium lateri ad septentriones annexi populi, Sarmatæ, Taurica Chersonesus, Daci, & alij complures: sed ad meridiem Illyrij, Dalmatæ, Macedonia, Epirus, Græcia, & modico spacio coniunctus Peloponnesus, folio platani similis, quibus opposita est Creta insula: inde & aliæ, quæ Cyclades & Sporades dicuntur. *Populi ad septentriones & meridiem.*

Africa autem pars orbis altera, longè maior est Europa, cui opponitur, Libyam Græci appellant. Eadem Nilum habet ab ortu, atque mare rubrum: à meridie Aethiopicum, ab occasu Atlanticum, à septentrione Libycum. Itaque progreßis ab Atlantico, Mauritaniæ occurrunt: inde Numidia, Africa minor, Cyrene, & Nili eluuionibus maximè irrigua Aegyptus, quam singularem, aut Asiæ partem diuersi fecerunt: qui idem Nilus, septem ostijs in mare nostrũ sese effundit: mediterranea, Libyes, Getuli, & aliæ gentes tenent, quæ moribus ac uictu differunt. Iam Aethiopes ad mare, quod ex eo Aethiopicũ dicitur, sunt positi: apud quos eosdem, ex editißimis Lunæ montibus, Nilum effluere tradunt. Cæteræ autem Africæ regiones, magna ex parte sunt incultæ, ac uastæ solitudines. *Africa. Aegyptus. Nilus.*

Interposita uerò Europæ, & consequenti parti ultra Thraciam, Bosphoro disiuncta Asia, quæ minor uocatur, circunfluo cæteris eius partibus mari, in latum, ad Isthmi & insulæ formam, annexa est maiori: regiones habet Pontum, Bithyniam, Mysiam, Phrygiam, Lyciam, Cappadociam, Pamphiliam, Galatiam, Paphlagoniam, Ciliciam, Armeniam minorem, & alias nonnullas: quibus ad mare internum, Rhodus & Cyprus insulæ, obuersantur. *Asia minor.*

Igitur maior Asia, tertium locum ex partibus orbis terrarũ obtinens, priores duas, mari intermedio accedente, sua magnitudine facilè uincit: quæ maris Rubri tractu ab occasu, idem est sinus Arabicus: Indico à meridie, Eoo ab ortu, & Scythico à septentrionibus, cingitur: nisi qua in obitum, decursui Tanais in paludes Mæotidos sese deonerantis, minoris Asiæ latitudini, mari interno, & modico Africæ spacio, iungitur. Hanc eandem Asiam maiorem, Taurus mons, quasi mediam distrahens, longißimè & latißimè, commutatis diuersorum populorum nominibus, peruagatur. Innumeræ sunt huius partis regiones, Arabiæ, Palæstina, Phœnicia, Syria, & Armenia maior: ex qua profluunt Tygris, Araxes, & Euphrates flumina. Vlterius ad septentriones, Scythiæ longißimè feruntur, quas mons Imaus diuidit: ut ex his aliæ intra Imaum, aliæ extrà esse dicantur. Inclusum omni ex parte (quanquam à Scythico Oceano per oc- *Asia maior. Taurus mons. Arabiæ. Scythiæ.*

cultos recessus fluere putarunt) ad mõtes Caspios mare, quod *Hyrcanum mare.* Hyrcanum, Scythicum, & totius nomine Caspium appellatur. *Assyria.* Interpositæ his gentibus ad mediterranea, Assyria, Media, & *Persis.* Parthia, aliæq; multæ gentes. at in meridiem est posita Persis: Orientis ferè media Seres incolunt. Versus autẽ ultima Asiæ, in orientem atque meridiem, terrarum omnium latissimè pa- *India.* tet India, ab Indo flumine maximo sic dicta: quam & Ganges mediam partitur, ut aliam cis Gangem, aliam ultrà esse tradãt. In meridiem cùm plurimæ insulæ, tum magnitudinis tantæ in- *Taprobana.* sula Taprobana opponitur, ut eadem principiò orbis alter fue- *Nauigationes recentiorum.* rit habita. Supra hanc memoriam, circum omnem Africam na- uigatum: & ignota ueteribus, quæq; habitari non posse credebantur, longissimè in austrum & eurum reperta atque lustrata. Procul etiam in septentriones, ultra Cimbricam Chersonesum, certius cognitæ gentes: apud quas firma est, & constans *America orbis quarta pars.* glacies. Sed maiore audacia in Fauonium est progressum, & inuentus Orbis nouus, præter magnas & multas insulas: cui à duce nauigationis, Americæ nomen impositum, quæ eadem tribus orbis terrarum partibus quarta recenter accessit. Terræ cognitæ ex aquis emergentis facies, imago, quasiq; expressa pictura quædã, eiusmodi esse perhibetur, multiplici hominum habitatione distincta: qui nominibus, linguis, inusitata corporum figura, uictus ratione, moribus atque institutis publicis & priuatis, sunt plurimum inter se dissimiles. Iam uerò ad ea progrediendũ, quæ terræ uisceribus, perinde ac natiui foetus, uariè continentur: quęq;, licet in suo genere perfecta quodammodo sint, & succrescant, inanima tamen esse dicuntur. Nam *Lapides.* totis terris ad firmitatem & soliditatem ingẽtia saxa & lapides insunt, non aliter quàm in animantũ corporibus ossa cernuntur: qui ijdem terram ita comprimunt, ne dissoluatur, aut ape- *Montes.* riatur. Assurgunt ex his tumore quodam montes editissimi ac firmissimi, non aliter quàm obiectæ moles fluminum impetui, & maris frangẽdis fluctibus necessariæ. Ac lapides quidem ex calidis & siccis respirationibus, præter coelestium uires, Solis maximè, concrescunt & durescunt, accedente ad eam terram crassam humore, tanquam uisco. Horum latentẽ ignem, ut cæteris in rebus naturalibus, conflictu inter se, atque tritu elici uidemus. Diuersi sunt generis lapides, pro terrarum uarietate, in quibus generantur: quæ colorum maculis, duricie, firmitate, atque pondere, multum inter se differunt: cuiusmodi sunt co- *Calx.* tes, silices, tophi, pumices, aliaq; plurima. Est Calx, coctus lapis, miræ Naturę, ut cuius interior ignis sola aqua, res ignescentes uin-

tes uincente, suscitetur atque exardescat: & oleo cætera inflammante, protinus restinguatur. Firmissima sunt Marmora, *Marmora.* è quibus alia inueniuntur candida, alia nigra, uiridia, ac uariorum colorum. Crystallum autem uehementiore gelu, aut niue, in *Crystallum.* locis maximè frigidis, pellucidum concrescit. Magnes interio- *Magnes.* rem uim habet ingenitam, ferrum ad se trahentem. Inuictæ duriciei est Adamas: ut in ignem atq; ferrum contumax, solo hir- *Adamas.* cino sanguine mollescat, & soluatur. Itaq; è puriore quodammodo terra, secreta, atque firmiter in sese concreta, nitentes, & pellucidæ, raræ, ac paruæ, diuersi generis Gemmæ fiunt, quæ *Gemmæ.* uarios habent effectus, & uires incredibiles: quarum uarietas & decus, ex colorum dissimilitudine atque pondere, mortalibus est in delicijs. Inueniuntur in his terræ uisceribus plurima diuersi generis: ut est Nitrum, salsum quiddam retinens: Alumen, terræ salsugo: & Auripigmentum. Procreandis itaque Metallis, accedente ex cœlestium uiribus multo calore, *Metalla.* quasi quædam elementa creduntur: Sulphur, quod pingui ex *Sulphur.* aere fit, admixto terrestri ignito: & Argentum uiuum, Hydrar *Argentum uiuum.* gyrum uocant, quando est æternus liquor, clarus, ac mobilis, ex humore subtili, terræ mixto, constante: quibus ijsdem duobus, ut quæque metalla plus participant, alia alijs magis pura esse, & ad pōdus coagmētata, traditur. Eadem maxima ex parte, uenis subterraneis penitus abdita & recondita sunt, & laboriose effodiuntur: ut ignibus admotis, ad diuersas formas efficiendas, duci, mollíri, ac liquefieri possint. Ex ijsdem minus pu rum est Ferrum, maximi tamen usus, diuersis mortalium rebus *Ferrum.* grauioribus domādis: multo igne purgatum & temperatum, ad firmissimas acies faciendas, præter natiuum, Chalybs dici- *Chalybs.* tur, atque Marti ex cœlestibus globis attribuitur, cuius quandam Naturam refert: Aes Veneri: Plumbum, cuius duo sunt *Aes.* genera, nigrum & candidum, Saturno: aut Aes Cyprium, factitium, ac natiuū, etiam Stannum, Ioui: Argentum uiuum, Mercurio. est illud quasi omnium uenenum, in quo cætera, præter aurum, innatant. Electrum inde reponunt, quod est aut nati- *Electrum.* uum, aut factitium. Sed ex ijsdem metallis tenent principatum, ut naturali ratione semper in quoque rerum genere aliquid est cæteris excellens: specie, raritate, atq; integritate, maioris sunt precij: clarum & lucidum Argentum, Lunam referens, quod *Argentum.* non nisi ex puteis eruitur: atque fulgens, splendidum, purum, & simplex Aurum, Natura ad perfectionē quandam, in eo ge- *Aurum.* nere progrediente, in primis elaboratum: ut cum cætera uiribus ignis cedāt, aurum non perinde uinci, memoretur, Soli ex

cœlestibus

cœleſtibus globis eſt conſimile: ipſum aut ex puteorum ſcrobibus effoditur, aut in fluminum ramentis, & in montium ruinis inuenitur.

Terræ uniuerſæ facies.

Conſequuntur montium altitudines, aſperitates, & difficultates, in quibus niues ac frigus diutius retinetur: humiliores colles, ſubiectæ iiſdem ualles & planicies, quæ radiis Solis concurrentibus calidiores ſunt: & dēſiſsimis ſyluis, uireſcentibus pratis, excultis hominum procuratione atque diligentia campis, arbuſtis, & uinetis, in omni uarietate, ad conuenientes hominum & animantum uſus, diſtinguuntur.

Rerum ortus & generatio.

Propius autem uenientes ex longa & uaria rerum inſpectione, ad ea quæ ſunt multiplicis conſeruandæ noſtræ uitæ uſus, pari breuitate enumeranda, tranſitum faciamus: quæ ipſa ſupremis illis, & ſimplicibus corporibus ſubiecta, tantam cœleſtium puritatem, uim, conſtantiam, atque ordinem concordibus uariè ad ortum & generationem, diuerſarum rerum quatuor elementis, eorum qualitatibus adiuuantibus, compenſare quodammodo uidentur: in quorum etiam uaria & iucunda conſideratione, non parum ineſt admirationis: ut cœlo & terra contenta, cum numero, dimenſione, atque pondere omnia in ſuo quæque genere ſint conſtituta: ſummam etiam, ac diuinam rebus in omnibus Prouidentiam eſſe, clariſsimè & luculentiſsimè teſtificentur.

Terra communis naſcentium altrix.

Communis enim eſt terra naſcentium altrix & parens, animantum ſedes atque domicilium: quæ quaſi mater, hominum generi peregrè profecto, ad definitum cuique à ſupremo Deo tempus, non eas opes ſolum, quas terræ uiſceribus, in magna fœcunditate occultatas, quaſiq; demerſas modò diximus: ſed his longè maiorem opulentiam, magiſq; mortalium uitæ neceſſariam, benignè & largiter expoſuit, atque patefecit.

Stirpium hiſtoria.

Itaq; ex his, quæ ſupra eandem terram, ut principiò ſunt diuinitus omnia procreata, naſci, uiuere, nutriri, & manifeſtis augeri incrementis: pòſt decreſcere, atq; ſuo munere quaſi perfuncta, extingui conſpicimus: primùm ſparſæ omnis generis ſtirpes & plantæ, quibus quaſi illuſtribus ornamentis paſsim diffuſis eſt conueſtita, occurrunt, animæ uigentis ſolū participes. Id tum fit, cum ipſa terra conſenſione, ſocietate, & coniugio cœli (huic nanq; ſubiecta ad rerum generationem, cæteris tribus elementis multo eſt conuenientior) annuis uicibus grauidata, Sole, cum maximè ſit efficax, parentis & ſatoris loco propius accedente, radiis, motu illo obliquo, ad calorem aut humorem immittendum, ſalutariter concurrētibus, & cæteris ſtellis temperie quadam adiuuātibus: hanc etiam uim, ceu animā, geſtiente & exhilareſcente Natura, Fauonio ſatis omnibus inſerente, pluuiis

utique

utique ad commodam irrigationem, hoc ipso ueris ineuntis tempore dilapsis: ut ex his omnibus, caloris & frigoris, concretionis & liquoris conuenientē accipiant temperationē. Quandoquidem ignis, rerum generationi amicissimus, ut est subtilis & efficax, uitalem calorem ad maturitatē infundit. Hunc eundem humido spiritu aer uehit, ac fouet, ut mouendi atque efficiendi uim notabilē habeant: cætera duo accipiendi & patiendi, quando aqua immodicas ignis uires sua refrigeratione cohibet, coercet, atque coaguli & glutinatoris instar copulat terra uerò sua firmitate & soliditate à sicco cōparata, ne illa ipsa quodammodo diffluant, perinde āc uase aliquo amicè continet, & complectitur: sine quibus Naturis quatuor, conuenienti qualitatum inter se, & concordi temperatione, in orbe neque alí posset quicquam, neque crescere: ut res eædem, horum inter se pugna, discordia, copia, & imbecillitate dissoluātur, atque dissipentur. Itaque cum à minus perfectis, ut est huius historiæ, postquam à cœlestibus ad terrena deuenimus, continens seruatus ordò, ad magis perfecta progredi cōueniat: stirpes sunt lapidibus & metallis rariores, ut aqua sustineantur: illa uerò, propter collectum in sese pondus, facilè mergantur: quod' que maius est, nostræ sustentandæ Naturæ accommodatiora sint, & congruant. Quocirca exiguum semen per se, quando multarum rerum seminibus occultatis, in summa admiratione terra abundat, aut hominum industria & labore acceptum, propria ui Naturæ procreantis, & conuenienter attrahentis, tanquam in sinum, ad concipiendum complexa molliter tepefaciens, & alimentum idoneum, quo augeatur & conseruetur, præbens, succum, cuiusmodi plures sunt in eadem terra, accōmodatum sugit: ac subinde tumescens, fingit in suo genere, & admirabiliter efformat. Post suis continentibus incremētis interius ad capiendum, ut animantes ore, alimentum, flexuosis radicibus, fibris, tanquā capillis & neruis, fit ualidior: idq; tanta ui sese conseruantis Naturæ, qua longissimè per terras spargitur, ut magnitudinem extrà proferentē facilè æquare, eruditi rerum naturalium peruestigatores existiment. Inde herbescentem ac tenellum caulem humore, tanquā sanguine, plenum, extrà profert, alit, tuetur, concoquit, ad animantis rationem: & eundem succum in plures partes, quasi uenas fundit. Iam uerò grandescens è nodis, qui sunt tanquam nerui membris ligandis, folia, quibus exornatur, & fructus conseruantur, erumpunt, seseq; dilatant, ut cuiusq; plantæ diuersa est ratio. E' quorum immenso numero humiles sunt, ac molles Herbę: quarum multæ, pre

Elementorum ad generationem uis præcipua.

Semina terræ mandata.

Stirpium incrementa.

Herbæ.

ter folia à caule deducta, etiam diuersos flores, ad decus ex colorum ratione, & ad ornatum proferũt: suaues etiã odores, succos & sapores omnis generis: unde magnas insitas habere uires, & incredibiles effectus, hominum generi uehementer salubres, lõga periclitatione, & ex animantũ singulari obseruatione cognoscitur. Nam aut sunt ad subministrandũ cibum maximè utiles, & esculentę herbæ nominantur: aut idoneis medicamentis componendis atque miscendis, frigidi & calidi interiore ui quadam ingenita, ea'que multo rerum usu perspecta, accommodantur: nihil ut à præstãte Natura, sine aliqua occulta caussa, & ea mortalium generi ut plurimum fructuosa, generari soleat. *Frutices.* Medium quodammodo tenent Frutices, qui aliquanto altius multiplici caudice è terra sese attollunt, & assurgunt, firmisq; & induratis nitũtur ramis, latiusq; diffunduntur, & diutius cõsistunt. Calidæ regiones, subtili humore facto, cuiusmodi est India & Arabia, bene odoratos frutices gignunt. *Arbores.* Arborum etiam ab herbis progredientium, maius est incremẽtum. Nam radices multo altius per terras spargũt: sæpius ex eodem trunco uirescunt, & sunt diuturniores, quòd firmum & unum habeant caudicem, truncum, & stipitem: quòd libro & cortice, tanquam corio aut ueste, ut sint à frigoribus & caloribus tutiores, obducantur: quòd nodis firmioribus partes omnes inter se uinciantur & coniungantur: quodq; lignum interius durum, ad omne robur sustinendum, habeant: cui eidem conclusa est medulla, succo Solis calore admirabiliter suprà à radice euecto, & latissimè, quasi quibusdã uenis, in omnes stirpis partes diffuso: ut deficiente alimento, ad hanc ipsam medullam arbor ipsa recurrat, non aliter quàm in animãtibus ad ipsum sanguinem tutissimũ est refugium. Patulis inde ramis in longum & latũ sparsis, perinde ac brachijs, aut cruribus, frondes ac surculi in magna copia, tanquam comæ, quotannis adnascuntur. Tristes sunt, quæ minimè florent: lætitiam uerò quandam præ se ferunt, quæ speciosos flores, quasi quosdam aduentantium fructuum nuncios, folijs ad tuitionem frequentibus circumpositis, producunt: qui idem arborum flos, pleni ueris & anni renascentis est indicium. *Fructus.* Itaque fructus sua progressione grandescunt, tota quasi stirpis diffusa latè Natura sese in angustum, ad omnem in suo genere perfectionem contrahente: ut ita maximè conuenienti Solis æstu concocti, & ex acerbis dulces facti, atq; elaborati ad necessarium uescendi usum, maturescant. Ac fructuum ferendorum dissimilis est ratio. Nam aliæ arbores celerius, aliæ tardius id faciũt: quo eiusmodi uarietate nulla

æſtatis pars non oblectetur, & fructum capiat, ut eſt ingeniti in quaque ſtirpe humoris & caloris uis quædam propria. Syl- *Stirpium propagatio.* ueſtres ſunt, aliæ ſponte naſcentes, aliæ hominum procuratione, induſtria, & diligenti cultura, idq; ueris tempore, Lunæ ratione habita, in diuerſa loca transferuntur: aut detractis ſurculis, aliæ aljs, ut ita manſueſcant, inſeruntur: aut ex ſemine pro- *Semen.* ueniunt, quando ineſt ad ſui generis perpetuitatem, in intima parte cuiuſque plantæ, corticibus & teſtis, ad uitandas in conſeruando nimias caloris & frigoris iniurias, maxima Naturæ Prouidentia, ad omnem propagationem pertinens, incluſum Semen. Exiguum quidem illud, ſed magnarum uirium, ut ex uno plura naſcantur, & in maiore copia adferat, quàm acceperit terra: quo fit, ut renouentur ſtirpes, & iterum generentur, *Renouatio ſtirpium.* ac efflorescant, maximè quæ ſunt generis herbarum, quas eaſdem plerunque uis horridi & hyemalis frigoris frangit atque extinguit. Frutices autem, & arbores, non perinde uincit hyemis ſæuitia: ſed uerno tempore, aquis mollita terra, & tepefacta, uiciſsitudine quadam anniuerſaria reuireſcunt ac refrondeſcunt. Itaque in uniuerſum ſtirpes, temporum uices ſequuntur, ut uere ineunte uireſcant, palleſcant æſtate, albeſcant autumno, nudentur & ſeneſcant hyeme. Præter manifeſtum u- *Stirpium interior ratio.* triuſq; obſeruatum in plantis diſcrimen, ut mas, licet aſperior, meliores tamen fructus proferat: etiam in arboribus quaſdam concordias atque diſcordias Natura occultis rationibus ingenerauit: ut alię in uicinia aliarum, umbra plerunque officiente, emoriantur. Nam & Quercus diſsidet cum Olea, & à Iuglande perimitur. Aliæ uerò coniunctæ aljs, lætiores & hilariores quodammodo redduntur: quę ſingularis hominum diligentia & cura in eiuſmodi obſcuris affectibus dignoſcendis, alias atq; alias ſodalitio, quaſiq; coniugio amicè copulauit. Sunt utique, ſicut in brutis animantibus, ſenſus cuiuſdã naturalis admirandæ ſignificationes, quando Morum, non niſi prorſus remiſsis *Morus.* frigoribus, nouiſsimam germinantem & frondeſcentem, arborum ſapientiſsimam dicunt. Sunt quæ priuilegio quodam datæ, incredibiles habent rationes & effectus: ut Ficus arbor ab ictu fulminis tuta eſſe tradatur: quæq; ſunt eiuſmodi, à multis ſtudioſè illa inquirentibus deprehenſa, & literis prodita. His *Stirpium copia diuerſis in locis.* omnibus in magna copia, parens omnium terra, locis diſsimillimis, ut eſt regionis cuiuſque propria, & eadem diuerſa Natura, omni uarietate diſtincta, & exornatæ multis coloribus, picturæ inſtar, tota completur. Nam & inuia montium, atque ſolitudines, collium denſiſsimi ueſtitus, ac conuallium, opaca nemora,

mora, & ſyluæ, uiridiſsima ex copioſo gramine prata, ad neceſſarios pecudum paſtus, ſpacijs frugiferis diſtincti campi, lætiſsima uincta, hortẽſia omnia ingenioſè culta, ſcaturientes pluribus in locis fontes, reſidentia ſtagna & paludes, patentes lacus, præterlabentia flumina in confinijs ſuis, ac uicinis ripis, uaſta maria in amœnis oris & littoribus: præterea in calidis & frigidis regionibus conuenientes Naturæ cuiuſque ſtirpes, cum maxima largitate fundunt, tuentur, & conſeruant: ut ex his animantia,

Stirpium utilitas.

quorum uita frequenti cibo & potu ad humorẽ illum, quaſi à radice & ortu profectum, quem naturalis calor continenter exiccat, retinendum, eſt inſtauranda, idoneum alimentum, quocunque terrarum poſita ſint, quando illorum cauſſa ſtirpes ſunt generatæ, comparent: quæ fiunt magna totius Naturæ conſeruatricis Prouidentia. Eſtq; illud uehementer mirandum, eos uſus pleraſque ſtirpes præbere, qui ſunt illorum locorum incolis plurimum neceſſarij: ut qui frigidas regiones inhabitant, ſyluas habeant magnas & frequẽtes: preſsi æſtu nimio, herbas ac fructus refrigerationi accommodatos percipiant.

Animæ uigentis & ſentientis ſimilitudo.

Eiuſmodi uigentis animæ, atque nutrientis, breuiſsima, & in uniuerſum expoſita ſit deſcriptio: quæ cum altera ſentiente commune habet, quòd ambæ nutriantur, pubeſcant, maturitatemq; ſuam augeſcentes aſſequãtur & generent: quòd non minus diuturnæ ſtirpes, etiam eo amplius & uiuaces, quàm animantia reperiantur: quòd alia ex ſemine, alia ex non genitis Natura quodammodo ſimiliter procreentur: quòd arma, ſpinas pro cornibus habeant: duræ ſint nonnullæ, aliæ inflectantur: quòd proprio ſexu inter ſe diſtinctæ, reperiri poſsint: quodq; eædem læſæ, defluentem humorem, non aliter quàm confoſſa animantia ſanguinem profundant: aliaq; multa appareant, propè omnibus animantum membris conſimilia.

Diſsimilitudo ſtirpium & animantum.

Sed in eo maximè differunt, quòd cum excellentibus membrorum uiribus atque officijs eiuſmodi careant, locis, in quibus ſemel conſtiterint, inhæreãt, nec per ſe inde moueãtur. Eſt enim animantum caput, quaſi è terris auulſum, ut alimenta, paſtum, atque latibula, non uno ſolum in loco, ſed paſsim in omni copia & uarietate, ut quidque illorum Naturæ aptius uidetur, inquirant: ac proinde nec ſe, nec ſuos tanta opportunitate tueri poſſunt, & defendere. Differunt etiam, quòd ſeminibus in ſeſe concluſis, & terræ mandatis, ſexus ad generationem non miſceantur: quòd alimentorum reliquas ſordes non perinde fundant & emittant, ſed pilorum, & denſæ cutis rationem quandã ſequantur: quòd aſpiratione aquæ aut aeris non ita ſuſtineantur, & caloris

loris uitali salutariq̀ tēperatione, tenuitatis ac subtilitatis expertes, sonū ac uocem non edant, non hilarescant, aut conquerantur: quodq́ est omnium maximum, sensuum nuncijs ac ministris, quibus potisſimum animantes ad maiorem sui conseruationem sunt prǽditæ, minimè afficiātur: nisi qui sensus, cum in sese frigoribus immodicis contrahuntur, quędam sitis & appetitus signa, quædam etiam lætitia, cum luxuriari stirpes uidemus: tristitia, cum caloribus exarescūt, similitudine quadam cæterarum in animantibus rerum illis ascribatur. Itaque in tanta dissimilium generum uarietate, quantam nulla humana diligentia assequi satis possit, magnū illud, easdem animantes principio sui ortus (ut sunt prouidę ac solertis Naturę omnia) non alienis instructas præsidijs, certa quadam naturali propensione, haud aliter quàm fertile solum, sine cuiusquam cultura, celerius sibi consulere: & in sese conseruando, per seipsas præcipuè occupari. Sed ut fuit initio rerum, animantibus omnibus constituta à supremo Deo lex, & interior quædam ratio: ita quæq́ pro situ & Natura elementorum, diuersa loca ad multos usus, & ad ornatum sortiuntur: igne, quòd consumat & conficiat omnia, minus accommodato, quanquam in eo nasci putentur, cum in ardentibus fornacibus uolitantes quædam bestiæ apparent: & aere, propter eam quam habet, leuitatem atque subtilitatem, ut auium uolatus solum sustineat. Aqua uerò, & terra, propter maiorem densitatem ac firmitatem, sint conuenientisſima, ut nulla eorū pars incolis & suis cultoribus propè destituatur, in qua non oriantur frequentes animantes, ac pastum largè & copiosè, eum qui cuiq́ aptus est, comparent. Quæ igitur animantes plus in sese humoris habebant, locum sibi maximè idoneum, medias aquas, ut in his habitarēt, quæsiere: aquatiles eiusmodi bestias, Pisces nominamus, qui ijdem (Natura ab ijs ad perfectionem quandam, ut sunt diuinitus omnia condita, progrediente) quasi è terrenis uinculis atq́ compedibus, uti stirpes alligatas, & capite hętentes modò diximus, euasisse: & sensu atque motu comparato, latisſimè, tanquam aquarum incolæ, & longisſimè innatasse uidentur. Neq́ enim integros adhuc sensus habent, ne aquis offendantur: ut cum minimè spirent, pro spiritu aquas commodè hauriant: muti inde sunt, nec uoces, perinde ac cætera animātia, edunt. Corpus ad secandas, & progresſione diuidendas easdem aquas, ut sunt multiplicia genera, ad formā nauiculæ, oblongū maximè, corium lene & asperum: squamis etiam atq́ spinis, ut est singulorū generum diuersitas, ordine dispositis, conuenienter obducuntur: expli-

Animantium habitatio.

Pisces.

Piscium descriptio.

catis branchijs, quibus acceptam aquam ore remittũt, alarum inſtar & remigij, atq; cauda, gubernaculi modo, impellunt ſeſe magna celeritate: plerunq; acie quaſi inſtructa, in hanc atque illam partem, locis tamen cuiuſque Naturę conuenientibus gregatim feruntur: ſæuiunt, ad comparandam eſcam, in minores, ut nonnunquam ſuos deuorent, ne fortè multitudine immodica ipſę aquę obruantur. Flumina diuerſi generis piſces habent, quos inde fluuiatiles appellamus: atque lacus, qui dulci aqua ſuſtentantur. Sed uaſtum mare multiformes animantũ figuras gignit: ut nihil naſcatur in Naturæ parte ulla, quin nominibus ijſdem ſimilia mare habeat: & multa uaſta corporũ mole, quæ nuſquam alibi: & in maiore copia, quàm terra cæteras animantes. Eoſdem marinos piſces, dulci aqua, cum nihil ſalſi referant, marinæ admixta, interius ali, & eandem potiſsimum deligere, rerum naturalium periti exiſtimant. Ex corporum magnitudine, ſexuum diſcrimen notatur, quando fœminæ maribus maiores eſſe perhibentur.

Piſcium generatio.

Nullas autem habent mammas, neq; certos generationis meatus: ſed in tãta uarietate, quantam nullus humanus animus ſatis comprehẽdere queat, cum minuta oua genuerint, copioſè egerũt: perinde ac ſtirpes, exigua ſeminum grana, quorum Naturæ ex animantibus proximè piſces accedere iam diximus, ex ijſdem ouis, quæ mas ſuo ſemine aſperſerit (neque enim omnia propter eandem multitudinem edere fructum, Natura uoluiſſe creditur) relinquunt: ſiquidem facilè aqua ſuſtinentur, atque retento interius calore, per ſe fouentur, & excluſa fœtum fundunt, ac latiſsimè paſcuntur.

Inſecta.

Iam inde ab aquis ad terras ueniendum, per quas animantiũ aliæ contrahendo ſeſe, & innitendo repunt, ac ſerpunt: cuiuſmodi multiplicia ſunt uermium genera, ac ſerpentum: ex his magni inueniuntur, ſed nocẽtes ſunt parui. Ita ex aquis ad paſtum uberiorem quaſi emerſiſſe uidentur, ut non multum ab oblonga piſcium figura, nullis pedibus nixa, degenerarint. Aliæ autẽ ſubſiliunt, ac uolitant, & diuerſos habent pedes: cuius generis ſunt Muſcæ & Apes, quę maxima ex parte è uarijs corruptionibus generantur, quo hic aer hominum generi ſalubrior ſit. Ita undique ad rerum conſeruationem, infinita uarietate, perinde ac ſui oblectatione quadam, ducitur prouida Natura.

Amphibia.

Pręter abditas animãtes, terraq; tectas, ancipites ſunt, quaſi intermediæ, quæ in utraque ſede, terris & aquis, cõmuniter uiuunt: eædem ad commodam natationem, pedum digitos, pro remis coniunctos habent, & corpore ſunt conſequentibus ſimiles, quæ in aere, ut piſces in aquis, uitam degũt. Igitur ſubtili ex calore innato,

Auium descriptio. nato, aerem referēte, sicciores, ac pennis leuioribus, perinde ac squamis decenter dispositis uestitæ, in sublime è terris, libero aere fruentes, ferri cœperunt, & Volucrum atque Auium nomen habuere: suaui & canora uoce sunt præditæ, paruum illis caput, alas loco primorū pedum sursum mouent, tanquam remigium: pectus illis est acutum: & cauda, gubernaculi instar, ad omnem uolatus celeritatem expeditè utuntur. *Arma.* Eiusmodi pennarum effugijs tutiores sunt, ut capi nequeant: pro dentibus, acutis, corneis, & aduncis rostris, atque unguium tenacitate protinus sese defendunt. Nulla in ijsdē uesica, aut renes: quod enim humidum remanet, hoc in plumas commutatur: bipedes ideo sunt, ut pastum etiam in terris maximè idoneū conquirant. Domesticæ maxima ex parte habentur, nisi quæ carne uesci solent. *Generatio.* Itaque eædem aues, ueris potissimum tempore, ad pariendum locum requirentes quietum, cubilia & nidos construunt, eosq; quàm possunt mollissimè substernūt: ut primos mortales hanc sequutos in ædificijs solertiam credatur, in quibus oua, quæ pepererint, ut quàm facillimè seruētur, reponunt: ijsdem toto incubant corpore, ac pennis diligentissimè fouent. Nam ex eo calore, quod in ouis album est, animali generando accommodatur: ut ex rotundis ouis mares, ex oblongis fœminæ procreentur, & à uitello alimentum capiant. Exclusi inde pulli, ne frigoribus lædantur, attentè prouident, atque eosdem tuentur: & si est calor à Sole, sese opponunt, conquisitis escis nutriunt: ac postremò decenti motu, cum iam alis uti possunt, aera, quas uolantes sustinet, secare docent. Dissimilis est eorum ratio, ut aliæ rarò, nonnullæ frequenter, cuiusmodi sunt Gallinæ, oua generent: & alijs aliarum oua, ut Anatum Gallinis, sæpe supponantur. Pulli inde orti, pari studio, amore, & diligentia primò aluntur, tanquam à matribus, à quibus exclusi, fotiq; sunt. Pòst adulti, eas relinquunt, & effugiunt, sequentes, cum primùm aquam, quasi naturalem domum, uidere potuerunt. Atque ita earum omnium animantum, quæque suum tenens munus, cum in dispari animantis uitam transire non possit, manet in lege Naturæ: & ut aliud alij ab eadem præcipui datum est, quod suum est, quæque retinet, nec ab eo discedit. *Quadrupedes.* Quocirca ad tenendam huius nostræ enumerationis continuatam progressionem, cum euasisse quodammodo ex aquis animātes uideri possint, reliquæ adhuc sunt bestię, magna ex parte grauis ponderis, quatuor innixę pedibus, quę inde Quadrupedes nominātur: terrā pronæ circunspectant, quam aquis nudatam, uelut sedem stabilem, in qua melius cōsisterent, habuere: grauiores auibus edunt uoces, nonnullæ

nonnullæ truculentas atque horribiles. Cubilia autem in latebris ac speluncis solitudinum & syluarum plerunq; collocant, in quibus ijsdem delitescunt, & importata præda commorantur. *Animantum feritas.* Immanes sunt, ac feræ, nisi quæ sunt hominum industria et procuratione cicures ac domesticæ redditæ: ut propè nullum mansuetum sit animal, quod sui generis etiam ferum & agreste non habere possit. Asianæ dicuntur esse ferociores, Africanæ diuersarum formarum. Cum enim aquarum inopia ad paucos amnes sese promiscuè congregarint, fit, ut ex ea coniunctione dissimiles figuræ progenerētur. Sed Europææ ut ualidiores ac fortiores, ita ad omnem hominum uitam adiuuandam, maioris usus esse perhibentur. *Munimenta.* In ipso ortu firma iam cute sunt munitæ, corio pilis ornato, setis, uillis, lana, ac uellere, aduersus omnes aeris iniurias, tectæ & uestitæ. Primores pedes ad motum magis habent expeditos, & in plerisq; promissa cauda pendet.

Dissimilitudo. Magna est corporum in animantibus uarietas, & ad eam rem uis admiranda, ut in suo quæque genere permaneant. Est in uictu aut diurno, aut nocturno, in amore & odio, congregatione, conuictu, artibus, malicia, astu, mansuetudine, feritate, robore, uiribus, libidine, paruitate & magnitudine, incredibilis toto orbe terrarū obseruata dissimilitudo: ut est peculiare cuiusq; ingenium & conditio, ex naturali cuiusq; humorum constitutione profecta. Itaque ad pastum capessendum, conficiendumq;, est in figuris animantum solers subtilisq; descriptio, & admirabilis membrorum omnium fabricatio. Alia enim oris hiatu & dentibus ipsis capessunt, alia unguium tenacitate arripiunt: alia fugunt, carpunt, rapiunt, & mandunt. Vngulas pedum firmas & solidas habent: ex his quæ coniunctas, cornigeræ non sunt: quę diuisas & bisulcas, maxima ex parte cornibus armantur. Sed quæ carnibus aliarum uescuntur, eædem plerunque sunt solitariæ & soliuagæ: quæ autem herbis nutriuntur, congregabiles sunt, & mutuam uitam degunt. *Arma.* Itaq; arma, quibus quadrupedes contra uim & metum, ad prolis tuitionem, hominum insidias, atque aeris iniurias, sese promptissimè defendant, præter cornua, corij firmitatem, & maximas corporis uires, acutissimis dentibus mordent, ac celerrimè pedibus calcitrant: aut acuminatis unguiū articulis nihil non dissipant, ac discerpunt: plerisq; ad salutem, loco armorum, fuga, & cursus celeritas, nonnullis occultatio: quædam grauiore odore & uenenis inficientes, à se procul aduersarios repellunt. Complures ex his, in tenebris noctu uidēt, quod est alioqui hominibus negatum. Tanta omnibus uis ingenita, ut nunquā antea uisum

sui ge-

sui generis hostem protinus agnoscant, auersentur, & grauissimè suis ipsorū armis persequantur. Sunt enim ita ad quandam uitæ securitatem, cum in excogitandis artibus rationem non perinde ac homines habeant, à prouida Natura instructæ. Sed ad cōcipiendum & procreandū, quo suum genus perpetuum conseruent, uno, statuto, & certo anni tēpore, excitato ueris calore, mas atq; fœmina, commiscendorum corporum partibus accommodatis, proprio quæque coniunctionis appetitu propagantur. Itaq; fœmina exceptum semen complectitur: quod ubi in locis insederit, rapit omnē ferè cibū ad sese, eo'q; sceptum fingit animal, auctum & maturum edit: tum multa diligentia & solicitudine in educando & custodiendo utitur: ut est præcipuus, & intimus quidam amor eorū quæ procreata sunt, communiter omnibus animātibus ingenitus. Sic paulo antè nata, sine magistro, sola duce sua cuiusque Natura impellente, mammas appetunt, earum'q; ubertate saturantur. Nam in ijs quæ lacte aluntur, omnis ferè cibus matrū lactescere incipit: quæ multiplices fœtus procreant, ijsdem & mammarum data est multitudo: sed paucas habent eæ bestiæ, quæ pauca gignunt: tanta semper custodia, ut à raptoribus animosè eos persequētes uindicent, propugnent, uulnera accipiant, nullos impetus aut casus reformident, usque ad eum finem, dum possint firmioribus iam membris latè per terras oberrare, ad uictum necessaria inquirere, et suis iam præsidijs ab insidiatoribus tutissimè sese defendere. Sic undique omni ratione concluditur, mente, consilio'q; diuino, omnia in hoc mundo ad salutem omnium, conseruationem'q; admirabiliter fieri, & administrari. Quocirca ne hunc locum de animātibus totum transiliat oratio, ea similiter inquiramus, quæ sunt alicuius admirationis, quantum institutа breuitas ferre poterit: in qua licet multa, rerum magnitudine prægrauante, oporteat præterire, multa tamen paucissimis uerbis inclusa dicuntur, ex quibus perpetuus & continens rerum cursus facilius cognoscitur. Itaq; animantes, sensus, quos externos uocant, habent quinque, quorum acumen & perspicacia in multis apparet. Nam uisione Lynx, auditione Aper, odoratione Canis & Vultur, gustatu Simia, tactione Arancus, principatum inter animantes habere deprehenditur. Præter maximas motus uires, & ingens corporum robur, excitari uidemus manifestos etiam rerum appetitus, qui mentis & rationis similia quædā simulacra referāt, quorum impulsu accessum habent, uitæ sustentandæ caussa, ad res utiles, amicas, ac salutares: & à noxijs, periculosis, & pestiferis recessum. Edoctæ iam

Ortus & generatio. *φιλοστοργία.* *Magna Prouidentiæ ratio.* *Animantiū multiplices Naturæ dotes.* *Sensus.*

ab ipsa Natura, in maximis suis difficultatibus, morborum ac *Medicamenta.* uulnerum idonea quædã inquirere medicamenta: ut ab ijsdem Medicos rerum uires didicisse, & utiliter ad usum traduxisse, multis & ueris exemplis comprobetur. Nam sanguinis missionem ab Hirudinum suctu, uomitionem à Canibus, & alui purgationem à Ciconijs homines primùm accepisse commemoratur. Præterea herbas norunt complures, quibus se suosq́ conseruent, & parua animalia, à quibus infestantur, protinus abigant. Arborum sationis ratione͂ primùm ab auibus dimanasse traditur, cum deuorata semina, in diuersas collapsa arborum rimas, incrementũ accipere, est deprehensum: aliaq́ multa eiusmodi. *Affectus.* Est etiam inter animantes quædam consensio, sunt manifestæ amicitiæ, & mutua auxilia: apparent utique naturales inimicitiæ, tacita & arcana odia ingenita, quibus multum inter se affici & commoueri scimus. *Sensus communis.* Cernuntur non obscura sensus communis signa atque indicia, præter omnem industriam & Prouidentiam in comparando uictu, ut nonnullæ congregationem & cœtum ciuitatum proximè referre uideãtur: & consuetudinis quadam ratione, à pastione rectà ad suos, tanquam in suam familiam, sese recipiant: & imposita ab hominibus nomina quædã, in quo Canes excellunt, protinus sentiant, perinde ac si intellectum haberent, & recognoscant. *Solertia.* Iam in suis cubilibus, nidis, habitatione, & ædificijs accommodatè & ingeniosè construendis, summa est solertia atque industria. Modum *Sobrietas.* præterea cupiditatum, cibi, potus, ac requietis (tanta inest continentia) pro unius Naturę necessitate, finiunt: neque diuersis escarum generibus, perinde ac homines, capiuntur: unaquæq́ eo quod suæ Naturæ est accommodatum, contenta, ne qua alteri peculiarem cibum præripiat, quo ita omni ex parte abundent, hac quasi mutua atq́ concordi fructuum terræ distributione inter se facta, & minimè destituantur. *Prognostica.* Pleræque animantes, affectione quadam rerum cœlestium, uentos, pluuias, graues tempestates, gestu ac uoce præsentiunt, & ad ea sese præparant: nonnullæ frigus, famem, ac pestem, naturali quadam ratione impellente, fugiunt: & pro temporum diuersitate, in loca uitæ cuiusque magis congruentia, prudenter commigrant, ut omnia in suo genere diuina procuratione sese uindicent, tueantur, & conseruent. *Animantiũ dissimilia ingenia.* Itaq́ cum plurima sint in omni animantum Natura, singulari admiratione dignissima, magni esset laboris, illa eadem instituto huic ordini inserere: quoniã sola rerum genera sequi, hoc tempore est propositum. E multis igitur hęc admodum pauca in eiusmodi scribendi cursu, nobis succurrebant, quæ

bant, quæ prætermitti non debere, ſuperioribus comprobandis, uidebantur. Eſt Elephas maximum in terris animal, & diu *Elephas.* turnæ uitæ: cui in tam uaſto corpore, & in tantis uiribus, aliquid proximũ hominum ſenſibus, quedã etiam ſocietas, intelligentia, prudẽtia, docilitas, memoria, cultus Solis ac Lunæ pro numine, ineſſe traditur: qui idẽ furibũdus, uiſo protinus Ariete, manſueſcit: Suis ſtridore terretur, captus hordei ſucco mite ſcit. Leo audacia animi, ac uirium magnitudine, atque clementia, placabilitati cuidam & iuſtitiæ coniuncta, præditus eſſe *Leo.* dicitur: ſolius tamen Galli cantu, in tantis Naturæ dotibus perhorreſcit. Generoſum quiddam, ferocitate exultans, in Equo *Equus.* perſpicitur, fides & amor in dominos: quem ad multiplices hominum uſus, & ad diuerſa obſequia facilem nobis domitores reddunt. Ceruo animali cornibus ſpecioſo, Natura uitam diu *Ceruus.* turnam, ſicuti & Cornicibus, dedit. Boum terga ſatis declarãt, *Boues.* non eſſe ad onus ſuſcipiendum figurata, ceruices autem natas ad iugum: tum uires humerorum, & latitudines, ad aratra & currus extrahendos. Canum fida cuſtodia, amãs dominorum, *Canes.* quos protinus agnoſcunt, & paſsim conſequuntur, adulatio, odium latratu in externos, præſtans memoria, & ſingularis ad multa imitanda docilitas, quamplurimis domeſticis exemplis comprobatur: maxima iiſdem ineſt ex odoratus ſubtilitate ſagacitas, & alacritas in uenando, quos inde uenaticos dicimus. Vulpecula fraude, inſidiis, & uafritie potiſsimum notatur. Si- *Vulpecula.* mia, licet turpiſsima beſtia, humanis tamẽ actionibus plurima *Simia.* aptiſsimè repræſentat. Delphini, quos ex piſcibus uocem emit- *Delphini.* tere tradunt, præcipuo amore homines proſequuntur, cuius beneuolentiæ præclara extant in ſcriptoribus rerum teſtimonia. Alcyonum inimitabili ſolertia conſtructos in mediis fluctibus *Alcyones.* nidos ita cõſeruari poſſe, eſt admirabile. Celebratur piſcis Muſculus, qui ducis & oculorum officio, ingenti Balenæ uiam *Muſculus.* per mare fideliter commonſtrat. Sed incredibilis eſt piſciculi, quem inde Remoram dicunt, uirium magnitudo & firmitas. *Remora.* Magna enim nauigia, uentis etiam contrà nitentibus, inhibet atque moratur. Grues ordinato in triangulum, & eo multum *Grues.* artificioſo, uolatu utuntur: eædem conquieſcentes, aliquam ex ſuis ad faciendas excubias prudenter conſtituunt. Summa in Ciconiis pietas laudatur, quæ parẽtes iam ſenes factos, mutua *Ciconiæ.* reddita gratia ſtudioſè enutriunt: & à Veſpertilionum iniuriis, platani folia adhibẽtes, ſuos nidos optimè tuentur. Gallus *Gallus.* canorum animal, certa temporum ſpacia, auroræ, meridiei, ac mediæ noctis diſtinguit: qui ut uictus ſilet, ita uictor, cãtu plau

Columba. ſuáq; alas premens,exultat.Seruandæ pudicitiæ,ac fidei coniugalis memorabile exemplum, in ſimplici columba animaduertitur. *Coruus.* Coruus, *Pica.* Pica,& Pſittacus uoces humanas,ſingulari quadam docilitatis ratione,diſtinctiſsimè imitantur. *Hirundines.* Hirundines maximè uocales, luto ac ſtipulis artificioſè intextis, nidos ſuos aptiſsimè in orbem conſtruunt:& ab ijſdem blattas,& alia animalia,aſperſo prudenter Apio,prohibent:quarum à locis calidis aduentus,ineuntis ueris eſt ſignificatio. *Luſcinia.* Luſcinia in tam paruo corpore,& in tam paruulis faucibus,omnes uocum uarietates magna contentione exprimit,atque pullos ſuos ad eandem canendi ſuauitatem ſtudioſè informat.Sed in puſillis animantibus contracta quaſi in arctum ui Naturæ,ſupra omnem admirationem alia multa obſeruamus, & ante oculos poſita intuemur. *Araneolæ.* Nam Araneolæ ſingulari ingenio,machinatione,& ſolertia,ſubtilibus filis,lanificij cuiuſdam ratione, ad uenatum telas & rete intexunt: ut ſi quæ præda fortè inhæſerit, quam adeſſe celeriter ſentiunt,protinus arripiant, atq; conficiant: quarum exemplo homines aucupium, piſcatum, & uenatum introduxiſſe primùm creditur. *Bombyces.* Bombyces folijs mori arboris enutriuntur,quæ tenuiſsima fila artificioſiſsimè ducunt,è quibus Bombycinæ ueſtes præparantur. *Apes.* Apum in ſuccis ſuauioribus,naturali impulſu,latè per flores conquirendis,præcipuam ſedulitatem, in fingēdis fauis, ad communem hominum utilitatem,induſtriam,atque ciuilem,regno conſimilem,quandam adminiſtrationis prudentiam, omnes ſuſpicimus: ut in tanta multitudine,maxima concordia inter ſe degant.Congregabile animal, *Formicæ.* & puſillum, Formica, ſtatum popularem exprimere uidetur: incredibilis eſt uigilantia, diligentia, & domeſticarum rerum ſumma Prouidentia, ut hyemis neceſsitati grana recondat, & eadem metu,ne germinent,caſtrata reponat:cuius unius ſingulare exemplum,excitandę noſtræ diligentiæ proponitur: cæteraq; generi uniuerſo animantum, in terris & aquis degētium, *Rationis ſimulacrum in animantibus.* à Natura data cognoſcūtur, ut non negata rationis cuiuſdam, mentis, opinionis, propoſiti, iudicij,deliberationis,atque memoriæ imitatio & ſimilitudo illis quodammodo uideatur: ita omni ex parte, maxima totius Prouidentiæ uis ingenita appa- *Vocum diſsimilia in animantibus genera.* ret. Et motuum quidem eiuſmodi ſignificationem, non ſolum uocis contētione,qua colloqui inter ſe uidentur (uocum enim multiplex eſt notata uarietas,ut ſunt diuerſa genera,ex quibus ijſdem manifeſtè aliæ inter alias diſtinguuntur) uerùm etiam conuenienti corporis totius quaſi quodam geſtu,pleræq; cauda & auribus declarant. Sed prætermiſſa hac totius Naturæ

immenſa

Obscura rerum Naturæ uarietas.

immensa uarietate, quam nominatim scriptis persequi, nisi maiore opere instituto, perdifficile sit, ad ea iam studium omne conuertamus: quandoquidem emensis celeriter tam longis itineribus, huc, perinde ac in nostrum domiciliũ, sumus deducti: quæ ipsa licet suas etiam habeant difficultates, liberi tamen & ingenui hominis sunt maximè propria, ut seipsum propius intueatur, tantasq; opes multarum ætatum, diuersis obseruationibus notatas, quas nostrûm quisque circunfert & possidet, quantum in hac conditionis nostræ imbecillitate fieri potest, religiosè contempletur. Superiora uerò illa, etsi sint necessariæ ad uitã transigendã sustentandamq; cognitionis, ad humanissimam oblectationem pertineant, atque ad celebrandum tanti artificis memorabile opus, ut debitum officium sit, illa eadem peruestigare: abstrusa tamen, & prorsus abdita, certo consilio, magna ex parte supremus Deus esse uoluit: cum nec omnia humanis subijciantur sensibus, nec satis mente atque ingenio concipi singula, propter uarietatem, & comprehendi possint. Ventum igitur ad id, cui non modò nutriens, augescens, & procreans, quæ latissimè in omni terrarum orbe patet, atque sentiens, excellenter in sese est coniunctum: sed ad omnem perfectionem, collata uelut in unum, & in arctum contracta omni meliore & præstantiore Natura, Intelligens diuinitùs est ingenitum. Ita ab eiusmodi multiplicibus incrementis, summi Dei ex primo in creatione rerum mandato, ordine conuenientissimo, res omnes progressæ uidentur. Cui magna uis illa intelligendi & cognoscendi inest, Homo appellatur, animalium omnium perfectissimum, rationis & orationis præstantia, atque communi societate, ad quam se genitũ agnoscit, præcipuè commendatum. Cuius unius caussa, & ad quem unum atque eundem finem hic mundus à supremo Deo fabricatus: & tanta rerum omnium, stirpium atq; animantum molitio, quæ hoc orbe terrarum infra Lunam continetur, effecta est: & ad illius necessarios usus, quandiu in his terrenis locis, perinde ac uiator aut exul quidam erit, diuinitus condita. Itaque cum cætera, animam quandam habentia, terris firmiter hæreant, aut easdem prona, & ad solum pastum abiecta, spectent, perfectius his animal homo, ad singularis Dei similitudinem expressum, & ad illius cognitionem ac laudes concelebrandas genitum, atque in medio terrarum collocatum, ut insitæ mentis bonitate, ac ingenij ad uirtutem amplectendam celeritate, attollat sese humo, et præstanti cognitionis studio ductus, cœlestia contempletur: seseq; ad uitam cum laude transigendam, rebus omnibus, qua-

Intelligens animal Homo.

Hominis dotes.

Conditi Mundi caussa.

Hominis dignitas.

rum illi in his terris adminiſtratio eſt relicta, abundanter inſtruat. De cuius excellente Natura & dignitate, corporis ad actiones, & neceſſariam ſui conſeruationem, promptitudine atque habilitate, ſingularicꝗ ingenij ad magnos uſus celeritate & acumine, ab eiuſmodi initijs, ut eſt inſtitutum, breuiſsimè di-

Hominis fabricatio.

cere progredior. Igitur cum homo corpore & animo ſit compoſitus, de hoc poſterius, de corpore primùm, cuius artificioſa eſt omnis fabricatio, in multis quidẽ cæteris animantibus par, in nonnullis inferior: ſed omnium in uniuerſum mentis agitatione ſingula dirigẽte, principatum tenet, atq; imperium. Vincimur enim corporum uiribus, robore, & celeritate, quorundam etiam ſenſuum perſpicacia & acumine: ſed quæ perfectiora ſunt, ſolertis Naturæ ſumma Prouidentia in eodem homine elucent, & in eundẽ benigniſsimè tranſlata cognoſcuntur. Corporis itaque partium, quę extrinſecus apparent, quæq; ſuis incrementis magis conformãtur, eiuſmodi quædam deſcriptio, à ſtudioſis hominibus, & peruestigandæ Naturæ diligentiſsimis cõtemplatoribus eſt notata.

Partes corporis humani extrinſecus.

Excitatum enim hoc cœleſte animal diuinitus, bipes, celſum, erectum, ſpectabile, & eximiæ cuiuſdam formæ, ad habendam tantorum in hac uita beneficiorum ſummo Deo gratiam: & ad ſuperarum rerum quaſi originis, cognationis, & domicilij priſtini conſpectum, atque totius

Caput.

huius Naturæ theatri conuenientiſsimè factum. Caput nanq; rotundum, perfectã mundi ipſius formam aptiſsimè referens, faſtigium tenet, arx, dux, rector, princeps partiũ reliquarum: cui propter magnam habilitatem minus carne onuſto, & facilè ſeſe in hanc & illam partem inflectenti, celeriter adſunt, & con-

Vertex.

tinenter inſeruiunt. Cuius ſuprema, diſtinctus in ſynciput, quę prior: & occipitium, quæ oppoſita pars eſt, atque capillis ad ornatum ueſtitus uertex, habet. Prior pars neceſſarijs membro-

Frons.

rum officijs aperta magis eſt, & inſtructa. Nam frons, perinde ac oppoſitum uallum, animi ad triſtitiam & ad hilaritatem affecti ſignificationem prodit. Ad utrunque latus tempora, atque

Aures.

ſemper nudæ & patulæ aures, cochleæ mollis cartilaginis inſtar, ſonis ac uocibus excipiendis & colligendis, ponuntur. In-

Supercilia.

de à fronte ſupercilia, quæ quandam habent faſtus rationem, conſequuntur: quorũ motu aut negamus, aut annuimus. Sub-

Oculi.

iecti ſunt cõcauis foraminibus incluſi duo orbes ſimillimi, oculos dicimus, magno Naturæ artificio compoſiti, ut pars ſit animo uicinior precioſiſsima, lucis uſum præſtans: ijdem mobilibus palpebris, tanquam tegumentis, ab omni externa iniuria muniuntur: oculorum acies, luminũ ſcintillis micans, & totam hominis

hominis imaginem reddens, qua cernimus, pupilla est: hanc corona circundat, quibus animi motus atque uoluntates manifestè declarantur. Sed in confinio exoriens, & ad irrisionem expositus nasus eminet, *Nasus.* patulis semper & apertis ad hauriendos spiritus, ad capiendos odores, & ad respuendas cerebri sordes, binis foraminibus, quæ nares dicuntur. Vtrinque malæ ac genæ tumidæ extant: quarum decens atque ingenuus rubor, pudoris est significatio. Os duplici labro ad sumẽdos cibos, & ad *Os.* loquendum patet, ac conuenienter clauditur, adiunctum naribus spiritu augetur, & leniter motum buccam efficit, risum atque hilaritatem indicantem: inde inferioris maxillæ discrimen *Mentum.* notatur, hęc fertur ad mentum, quod in uiris, maturitatis ac roboris quodam testimonio, decẽter est barba ornatum. Humana hęc est facies, quiq; solius hominis esse dicitur, ad patefaciendas *Vultus.* uoluntates, tacito quodam sermone mentis, uultus. Caput igitur modico annexæ ceruicis, & teretis, ac rigidi colli spacio, *Collum.* medio corporis trunco adiunctum, & conuenienter suprà est impositum. Firmi iam ac ualidi humeri sequuntur, è quibus ab *Humeri.* utroque latere manus subiectis axillis, & brachia neruis, lacer- *Manus.* tis, atque musculis firmata, inflexione atque extensione cubitorum, aptè ad diuersos usus prominent & dependent: quando non ad ambulandum, sed ad operandum & faciendum accommodantur. Summa inde manus, salutis atq; fidei testis, artium *Summa manus.* plurimarum totius uitæ, rationis ac Sapientiæ ministra. Est enim corporis partium una maximi usus: qua non minus à cæteris animãtibus differimus, quàm interius mente, cuius eiusdem inuenta & excogitata in opus illa educit. Vtraque manus digitos habet quatuor, articulis ternis distinctos, & pollicem duo- *Pollex.* bus: qui idem rector atque moderator, digitis aduersus omni- *Digiti.* bus, ad firmam instrumentorum apprehẽsionem flectitur, per se in obliquum, cæteris crassior, minimo mensura par: item reliqui duo inter se, at medius longissimus: quorum omnium fastigia ad firmitatem unguibus clauduntur. Artificiosa hęc est Naturæ fabricatio, ut facili digitorum propter molles commissuras in pugnum contractione, & in palmam concaua uola quasi *Pugnus.* aperta, porrectione, multis rebus conficiendis plurimum inser- *Palma.* uiant. His grauior corporis moles intermedia, quasiq; trũcus, thorax antè cõspicitur: cuius pars est latum pectus, ossibus ad *Thorax.* conseruanda præcordia & uitalia membra, optimè communi- *Pectus.* tum. Fœminis mammæ ad necessariũ infantum ex lacte alimen- *Mammæ.* tum, magis eminent: quibus in extremo sunt papillæ, ad sugendum accommodatæ. Pectori adhærẽs uenter subijcitur, quod *Venter.*

increscere

increſcere illum nutrimenti recipiendi cauſſa oportuit, nullis *Vmbilicus.* oſsibus, abdomine ueſtitus prominet, intermedium ferè umbilicum habens, per quem fœtus, dum eſt in utero, alitur, atq; copioſa inteſtina continens: *Ilia.* in imo ſunt poſita ilia, hinc ad ſexus *Spina.* diſcrimen ſubnexa uerenda. Sed in oppoſitum à ceruice ſpina: cuius partes dorſum, lumbi, & os ſacrum, habentur. Inde uertebræ, carinæ inſtar ſunt, ad ſuſtinendam uniuerſam molem, et complectendam, artificioſè contextæ, ut ſine offenſione inflecti & incuruari commodè poſsit. Iam ſeſsioni, propter conglobatæ carnis copiam, accommodatæ partes, atque ad Naturæ neceſsitatem datæ: quas, ne quid tetri & faſtidŋ eſſent habituræ, eaſdem à ſenſibus procul amādauit. Graue hoc onus duæ quaſi *Crura.* ualidæ columnæ, crura ſuſtinent: quæ prægrandes coxas, multa carne compactas, ad robur & femora habent. Conſequuntur paulatim in anguſtum deficientia, & flectentia ſeſe decentibus nodis, ad gradiendum atq; ſedendum, aliaſq; habilitates, *Genua.* poplitibus ad hoc obſequentibus, genua, in quibus ſignificatio quædam ineſt humilitatis: his coniunctæ ſunt tibiæ, teretibus *Pedes.* ſuris extãtibus optimè firmatę. Poſtremi ſunt pedes duo, ſinguli horũ malleolos utrinq; eminẽtes habent: talo inde, calcaneo, & planta, quæ eſt corporis totius fundamentum, atque ueſtigio ſubiecto, digitis ijs qui in manibus ſunt, aliquanto breuioribus, extrema tenentibus: quibus innixi omnib. ad ſtationem, ingreſſum, & curſus celeritatẽ, corpus uniuerſum, non ſine ſolertis Naturæ & Prouidentiæ admirando artificio, quòcunq; *Partes corporis humani interiores.* lubet, circunferimus. Sed interiora omnia incredibilis utilitatis, & fabricationis mirificæ atque diligentis: quæ cum doctiſsimi *μικρόκοσμος.* homines luſtrarent, nomen Minoris mundi conuenienter homini dedere, quaſi in eo contractam quandam uniuerſi adumbrationem cernerent: ita nihil intus ſuperuacaneũ, nihilq; ad uitam ſuſtentandam non maximè neceſſarium atque opportunum: ut totius corporis debita ratio non ſatis conſtare potuiſſe uideatur, ſi quid eſſet aliter à diuina Prouidentia effectũ.

Alimenta uitæ neceſſaria. Quoniam uerò ita eſt comparatũ, ut confirmandis & reficiendis corporis uiribus, augendis atq; conſeruandis, non ſpiritus ſolum præſidŋs frueremur, uerùm etiam ſicut ipſa terra, imbribus ac pruinis, ad diuerſa procreanda nutritur, cibo frequenti, atq; potione: his enim tribus rebus uita noſtra tenetur, quam *Os.* ad rem os eſt aptiſsimum. Ex omni ciborũ uarietate, dulcibus, pinguibus, ac potu, corporis habitus bonus ſeruatur: ſed aridis, ſiccis, frigidis, atque ſiti, multum minuitur. Extenuandis igitur atq; molliendis eſcis, conſtructi & inſerti gingiuis magnæ duriciei

duriciei dentes, optimè inseruiunt, ac præparant: è quibus aduersi & acuti, morsu diuidunt: intimi, qui & genuini dicuntur, subigunt, atque conficiunt, lingua ad colligendos & deprimendos cibos, humore accedente uolubili, concauo, tanquam testudine, palato adiuuante: per fauces atq; gulam, stomachus etiam dicitur, commodè eosdem transmittunt. Subiecta inde aluus, cibi potus humore permixti, est receptaculum, medium locum obtinens, quę utique uentriculus & stomachus nominatur. Eadem illapsas & exceptas auidè escas, uicinarũ partium communi nexu, amplexu, ac calore, qui multus est, singularíq; opera cogit, miscet, confundit, liquefacit, commutat in album, atque sua ui & Natura concoquit. Secreto inde puro alimenti succo, & salutari, quo aluntur homines, esculentiora permanant ad iecur, artificiosissimam sanguinis officinam: cuius reliquias, bilis flauę tenuiores, fel, atræ crassiores fęces, lien ad sinistram collocatus, opportunè excipiunt, perinde ac superuacaneis sordibus, ne impediantur idonea & salutaria alimenta, corpus expurgantes: ne'ue si illa diffluant latius, deformatum & decoloratum reddatur. Quod ex his tenue, dilutum, & humidum remanet, fertur ad renes, inde infra aluum ad uesicam, idq; mirabiliter completur, & humore distenditur: ut hic aliquandiu seruatus, postea deonerari posit, urinam dicimus, quæ præter alia, ualetudinis etiam bonæ & incommodæ signa plurima in sese continet. Fœminis eadem omnia, nisi quòd uesicæ iunctus est uterus, qui & loci dicuntur, ad fœtum comprehendendum. Discretas similiter inutiles escarum reliquias, multiplici & longo intestinorum flexu, in sese conuoluto, atq; decursu, ut diutius quæ abundant, retineri possint, nec semper cibos appetant, nec frequẽtius sint deoneranda, modò astringentibus sese, modò relaxantibus, Natura suo tempore mittit, reijcit, ac respuit. Interim cum hæc uariè aguntur, ut in ipsa mundi totius fabrica, ad unam consensionem, incolumitatis uniuersi conseruatricem, alia atque alia contrarijs uiribus fiunt: ita præstans Natura, nulli non parti tuendæ diligentem operam adhibens, miro, incredibili, ac diuino artificio cętera persequitur. Nam ex uiscerum omnium partibus, pectoris uallo optimè munitum Cor, princeps, fons uitæ, spirituum, & caloris totius, sedem thoracis mediam, perinde ac regiam, reliquis partibus celeriter & opportunè adiuuandis, consultò obtinet, atque ita mobiliter palpitat, ut igneam quandam imitetur celeritatẽ. Circumpositi sunt, follis instar, Pulmones, raritate quadam, & spongijs assimili mollitudine constantes: qui ijdem ab ore & naribus, per guttur, & asperã arteriam, spi-

Dentes. Lingua. Palatum. Gula. Aluus. Stomachus. Iecur. Fel. Lien. Renes. Vesica. Vterus. Intestina. Discors concordia. Cor. Pulmones.

ritus, & animam, reciproca uicissitudine, ad uitam sustentandam continenter hauriunt, ac reddunt: quodq; uehemẽter est salutare, immodicũ cordis feruorem, & æstum etiam, cùm aut ira plerunque exardescit, aut metu trepidat, grata & peropportuna temperatione atq; refrigeratione recreant & conseruant. Idem cor suum à iecore capit alimentum, tametsi originem ab ipso corde uenas ducere, & sanguinis fontem esse, diuersi suis rationibus, ut sunt multa obscura in hac Naturæ nostræ imbecillitate, existiment. *Spiritus à corde.* Sanguis itaque crassior ab eodem corde elaboratus, pastus est spirituum, in quibus uis omnis illa uitalis, per arterias igneo motu micantes, cõtinetur: quemadmodum ea quæ naturalis dicitur, per multiplices uenas, ab ea quæ caua nominatur, *Sanguis à iecore.* initium à iecore capiens, propagatas, ut discurrat inde sanguis & spiritus per uniuersa totius corporis membra, quæ ita pro conuenienti cuiusque ratione æquabiliter irrigantur, atque uegetantur: ex quibus ijsdem corporis partibus di- *Sordes.* uersæ sordes effluunt, cuius generis sunt sudores, pili, & ungues. Qui uerò spiritus subtiliores facti, à corde ad amplum & *Cerebrum.* capax cerebrum, suprema tenentem, calua, tanquam galea, bene communitum, eidem calfaciendo, cum sit Naturà frigidum ac humidum, subuehuntur, ut alia multa, sic etiam diuinã illam, & immortalem, datam hominum generi, mentis agitationem, sentiendi, mouendi, ratiocinandiq; uim mirificè fouent, atque *Vis animalis.* conseruant. Inde utiq; capit initium, & manat præstans illa uis, *Nerui.* quam animalem dicunt, neruorum ex eodem, atque spinæ medulla, corpore toto, implicatione, & conuenienti ad continen- *Ossa* dos artus ductu: atque ossium commissuris finiendis ijsdem artubus ad omnem firmitatem, robur, stabilitatem, ad motum, & ad multiplices actiones aptissimè inter se dispositis. In quibus ijsdem ossibus conclusa est, ad magnum corporis uigorem *Medulla.* conseruandum, medulla, quę rubens est in iuuenta, sed in senecta albescens: hanc sua soliditate ossa optimè defendũt, ut compages omnis firmior, toris, musculis, nodis, uinculis, lacertis, *Caro.* atque articulis flecti & uerti possit. Quæ ipsa ad maiorem decentiam, & ornatũ, ad complenda uacua, ad calorem retinendum, atque ad uitandas externas iniurias, carne succi plena ue- *Cutis.* stiũtur: ac molli cute in uniuersum, ut extrinsecus apparet, conteguntur. Eadem cutis aliquanto rarior est, quo interiorum necessarijs respirationibus commodus pateat exitus. Itaq; maxi- *Corporis functiones.* mis eiusmodi prouidæ Naturæ pręsidijs, deliberationi, menti, atq; uoluntati ad omnes sensus, motus, functiones promptissimè exequendas, admirabiliter obsequuntur: pars ut nulla sit,

quæ

quæ non certas & idoneas uitæ conseruandæ utilitates subministret. Mouetur autem, & ingreditur ipsum corpus antè: quoniam membra præcipua & meliora sunt ibi posita, & ad imperandum aptiora: sed minus commodè retrò, aut in læuam, aut in dextram: erigitur atq; extollitur sursum, & ut grauia omnia, deorsum fertur. Variæ inde corporum habilitates atq; opportunitates, manibus, pedibus, & toto corpore adiuuante, ac uariæ actiones cernuntur: cuius generis esse possunt, status, ingressus, sessio, inclinatio, accubatio, saltus, cursus, natatio: ex quibus uirium firmitas & magnitudo cognoscitur, dum apprehendere, trahere, retinere, ducere, repellere, impellere, premere, tollere, uehere, portare, gestare, uertere, rumpere, conuellere, & disijcere aliquid conamur. Atque ita ab ipsis rerum primordijs supremus Deus hominem figurauit: qui cum tueri sese diutius non posset, constituto certo uitæ degendæ termino, data generandi facultate, permixto utroq; sexu, & sobolis propagatione terra oppleta, genus humanum perpetuare uoluit. Quam ad rem prouida sui conseruatrix Natura, simile sibi moribus & forma, ut plurimũ gignere docuit, ut sunt alterutrius seminis uires, & ubertas maior. Fluit nanque, & manat de uniuersi corporis, & ijs præcipuis partibus secretum, decerptum, spirituq; plenum semen, quod suis conuenientibus uasis ad testes defertur: hic commutatum procreationi fœtus, pòst uterus excipit. Nascitur ex eo parẽtibus præcipuus quidam amor in liberos, quos non aliter beneuolentia, studio, cura, & solicitudine in educando & informando prosequuntur, quàm partem sui potiorem ac meliorẽ. Sed generationis humani fœtus quædam eiusmodi descriptio à studiosis rerum naturalium est deprehensa. Concipiendi, & partus gerendi, quodq; anni tempus homini conueniens habetur. Itaque Solis uim in hæc nostra corpora habentis ratione, exceptum à fœmina uiri semen, & utroq; commixto, huius efficiendi maiorem uim in sese continet, illius patiẽdi: dextrum latus mares, cum plus habeant caloris, sinistrum fœminæ tenent: iam uteri complexu incalescit, & sensim in coagulum concrescit: atque eo sanguine, quem maternum dicunt, fouetur & alitur: sic rudis cogitur massa, quæ primis septem diebus lacti consimilis, & sanguinea est nouem consequentibus: eadem duodecim accedentibus quodammodo increscit, partes inde nobiliores paulatim efformantur. Et alendo quidem Cordi, in quo uitalis spiritus & caloris est principium, sanguinem Iecur subministrat: qui in reliquum transmissus, cæteris partibus figurandis atque enutriendis optimè

Motus. *Habilitates.* *Virium ratio.* *Generis hominum procreatio.* *Parentum similitudo.* *Semen.* *Amor liberorum.* *Fœtus humani conformatio.* *Partes nobiliores.*

inseruit. Ipsum uerò è salutaribus totius corporis partibus Cerebrum, euecto subtiliore seminis spiritu formatũ, plurimũ fouetur. Has iam partes cæ consequuntur, quibus tanquam ministris, illæ eædem præcipuæ partes utuntur. Quocirca decem

Adumbratio fœtus.

& octo adiectis ad superiora diebus, & XLVI circiter expletis, prima tanti operis adumbratione cõsummata, arteriç à corde, uenæ à iecore, nerui à cerebro, ac spinæ medulla uariè deducti, locis conuenientibus, & ad constitutionem, & ad conseruationem, summa prouidæ Naturæ ratione stabiliuntur, & firmantur: ut coagmentatio illa maiore innutrita alimento, solida

Mens.

magis indies reddatur, & grandescat. Mens interim simplici ex Natura constans, nulli terrenæ materiæ permixta, totius corporis administrationi, certo summi Dei consilio, inseritur. Ita-

Fœtus.

que membrorum absoluta conformatio, Fœtus & infans nominatur: qui idem animali uita præditus, ad motum accommodatus, optimè conclusus, & in semet conglobatus gestatur, sitis

Lac materni.

inter duo genua naribus. Appropinquãte partu, mammæ dulci succo, humor est candens & pinguis, turgescunt, atq; distenduntur, quo partui alendo fœcundum pectus lactis fontibus

Maturitas.

exuberet. Maturescunt autem partus, septem nonnunquam, plerunque nouem, aut circiter decem Lunę cursibus: mares ex calore ingenito celerius, fœminæ tardius: sed mensis octauus mortem adferre traditur. Atque ita completo hoc omnium in

Infans.

his locis terrenis excellẽtissimo opere, nudus & inermis infans editur. Initium ortus à uagitu, ploratu, & lacrymis: quod fragilis & imbecillis uitæ mortalium, ad premendam immodicam insolentum superbiam, quoddam testimonium esse creditur. Sunt hæc quidem ipsius corporis, sed maiora & ampliora sunt eidem conclusa, quibus diuinitus multa esse cõcessa intelligun tur, quorum gratia hæc sunt primùm cõdita & fabricata. Nam

Sensus externi quinq;.

eidem corpori & animo sensus externi, quasi quædam lumina & fenestrę, interijciuntur, qui extrinsecus obiecta patefaciunt. Habent cætera animãtia sensus quidem eosdem, sed eorum integritas & præstantia in uniuersum consultrix utilitatum atq; opportunitatum Natura, uni homini, ut animantũ perfectissimo, est elargita. Et in capite, tanquam in arce, ad uultum, loco ut edito, & animi cõceptibus, consilijs, rationiq; uicino, totius habens imperium: ita & ad uitæ usus necessarios accommodato, quasi satellites & ministros prudenter collocauit: quorum incredibilis est alacritas, & ad obeunda rerum omnium, quæ illis subiectæ sunt, celeriter percipiendarum munera, promptitu

Oculorum sensus.

do. Oculi nanque, tanquam speculatores, principem locum altissimum

tisſimum tenent: ex quo multa cõspicientes, suo fungantur munere: siquidem duobus quasi clarisſimis luminibus, formas rerum omniũ, toto cœlo, aquis & terris, disſimilibus coloribus, luce perspicuum medium illustrante, potisſimum discretas, ad ordinis, numeri, motus, magnitudinis, decentię, atque uenustatis discrimina, & earum cognitionem comparandam longius, certius, uerius, ac uelocius cęteris sensibus indicant. Sunt enim colorum diuersa genera, è quibus album uisionem disgregare, nigrum cõgregare traditur: ab his duobus cæteros colores generatos, nominibus à rebus uarijs, quadam affinitate deductis, ingeniosè distingui uidemus. Iidem oculi, quos maximè diligimus, charos habemus, & studiosè conseruamus, uirtutes atque uitia cognoscunt, iratum, propitium, lætantem, fortem, ignauum, audacem, & timidum: præterea Naturæ totius amplitudinem, Solem, sidera omnia contemplantur, ut singulari huius sensus beneficio, ad supremi Dei cognitionem pręstantes, & diuinitus informatæ mentes, primùm adductæ sint, & in summa admiratione retentæ. Aures deinde minus remota sentientes, latus utrunque, perinde ac attenti & uigiles, ad audiendi præstandum officium custodes, posſident: dum sonos diuersos, acuto uelociore, graui tardiore, & his interiecto medio, ex corporum collisione, in sublime aeris moti atque impulsi, Natura elatos, & ad cerebrum atque animum protinus relatos, celerrimè excipiunt, & subtiliter distinguunt. Harum admirabile est iudicium, quo uocis genera eiusmodi permulta discernuntur, canorum, fuscum, lene, asperum, graue, acutũ, flexibile, durum, quæ solum auribus hominum iudicantur. Maxima etiam est in hoc sensu uis, ad intelligendum accommodata, Prudentiæ & Sapientiæ comparandæ, atque disciplinis omnibus percipiendis. Ea est auditus ratio, ut cui primùm negatur, idem & sermonis usum non habeat, Natura surdos simul & mutos reddente. Propinqua autem sentit odoratus, nariũ singulari opera, commutatam à diuersis rebus circumflui aeris Naturam, qualitate sicci quadam ad odorem efficiendũ, humore aereo insito, conueniẽter excitata. Itaq; cum omnis odor ad supera feratur, eum aut suauem, aut minimè nares celeriter prehendunt: ac proinde uicinitatem oris ad cibi & potionis iudicium, etiam ad cerebrum fouendum atque recreandum, cõsultò sequuntur. Tres hi sunt sensus maximi quidem usus, quicq; dignitati, ornamẽto, & ad Prudentiam optimè cõparati esse uidentur: sed quantum ad præsentem ipsius corporis conseruationẽ, qui duo hos consequuntur, ipsa rerum coniunctione, nullis medijs utentes, ma-

Colores.
Oculorum præstantia.
Aurium sensus.
Soni.
Aurium iudicium.
Voces.
Intelligentia aurium.
Odoratus.
Odores.
Sensuum usus & necesſitas.

gis sunt necessarij: licet etiam omnium animantum generi communes, in homine tamen, propter temperationem quandam, plus efficaces, cum in cæteris tribus plerunque uincatur. Itaq; ad sentienda rerum genera, quibus uescimur, latitat in ea parte *Gustatus.* oris, qua esculentis & potulentis iter Natura patefecit, Gustatus, lingua & palato saporibus, humoris qualitate ex ui caloris excitata, optimè discernendis, & ad cor per uenas, tanquã nun- *Sapores.* cios, referendis. E' tanto saporum numero alia dulcia sunt, aut amara: alia pinguia, acria, salsa, acerba, austera, & acida: ut uoluptuarius sit maximè ad nutriendum hic sensus, & doloribus fa- *Tactus.* cillimè commoueatur. Res autem magis solidas, fluitantes toto corpore æquabiliter per sanguinem, & subtiles, tanquam rete, subtus cutem diffusi spiritus, qui in manibus, & in extremis earum digitis potissimum cernuntur, magno rerum discrimine *Qualitates tactui subiectæ.* assequitur is sensus, qui Tactus inde appellatur. Nam omnes ictus, & nimios caloris atq; frigoris appulsus, sicca & humida, grauia & leuia, mollia & dura, lenia & aspera, densa & rara di- *Sensuum cum fabrica mundi consensio.* scernit, ac diiudicat. Eadem omnia adeò sunt incredibili cõsensionis rerum inter se Naturæ consilio & ordine composita, ut in his quinque sensibus quædam cognatio cum uniuersa mundi fabrica deprehendatur. Nam in uisione ætherea luminis ratio, in odoratu ex insito calore ignea Natura, in auditu sonus ex percussis corporibus, aere dimoto excitatus, in gustatu ex aqua humidum quiddam, in tactu terrenum præcipuè perspicitur. Ab ijs, tanquam nuncijs atque interpretibus, cuiusmodi sit rerum, quæ toto orbe continetur similitudo, quoniam falluntur plerunq; ad arbitrum & iudicem, per uias quasdam artificiosissimè à Natura fabricatas, ad cerebrum, in quo est con- *Animus, hominis pars altera.* clusa Animi pars melior, celerrimè transferunt: et cum sit idem animus altera hominis, eaq; summa pars, huic tota illius Natura paret, & continẽter obsequitur. Præclara nanq; conditione à supremo Deo factum hoc animal homo: cui ficto iam corpo- *Animi in corpus humanum aspiratio.* re, diuinitus primùm animus est ad sui expressum simulacrum conclusus: ut solum ex tot animantum generibus, & ex tot Naturis, particeps rationis, cogitationis, atque sermonis, quando cætera expertia sunt, & corpore uersus humum proiecto, ad *Animi natura.* pastum abiecta. Itaque eundem animum seiunctam à quatuor illis primis rerum notis, & usitatis Naturis, quintã quandam, atque eam simplicem habere tradiderunt: quod excellentes atque multiplices dotes, quibus ornatus ad diuinitatem proximè accedit, confirmant: ut & sensum animi, & rationẽ Deus uideatur dedisse, quo appareret nos ab eo esse generatos, qui est

uera

uera intelligentia, uerus sensus, et summa ratio. Contemplationi igitur rerum cœlestium atque terrenarum genitum animal, sedem animi totius corporis supremam, maximè quietam & tranquillam; nec ita commotionum atque perturbationum fluctibus expositam, delegit. Inde aduenientes ab externis sensibus rerum species & effigies (præcipua est docilitatis atque indolis cuiusdam significatio, commendatioque) protinus excipit ac cognoscit, ijs quæ sunt rerum præsentium, & circa singula posita rum, quodãmodo acquiescens, intimus sensus, qui ob id Communis dicitur, in prima parte, ut nonnulli credunt, cerebri collocatus, cæterorum quinque, perinde ac facto unanimi ad fontem concursu, diligentis & fidelis ministri officio, assensione & dijudicatione celeri ac expedita, ad uicinam Cogitationem, medium cerebri obtinentem, protinus concepta omnia perfert. Locus hic esse dicitur, & fabrica præcipuarum animi humani functionum, rationem quandam rerum futurarũ habentium. Princeps autem pars animi, perinde ac oculi corporis, infuso à primordijs nostri ortus spiritu, Mens, quam datã à Deo, magnam uim rerum præstantissimarũ in sese continentem, acrem & uigentem, celerrimeque cœlo & terra contenta agitantem, atque sagacem, omnes admiramur. Mentis inde optimam eam esse portionem dixerunt, quæ potissimum nos à feris separat; Rationem, qua una datam hominum animis perpetuitatem intelligimus. Hic acceptæ, retentæ, & collectæ rerum species, diutius seruantur, altius exquiruntur in uniuersum, comparantur, atque componuntur. Inde præter cætera, mentis acumen, inuentio, ars, industria, solertia, consilium, iudiciũ, opinio, & ipsa denique ad tractandas res hominum accommodata Prudentia, proficiscitur. Subtiliter utique rerum caussas inuestigat, quo uidelicet quidque ex quibus causis efficiatur, ut similitudines rerum consequentium cum primis decenter aptentur & coniungantur: pariter eiusdem munus est, inquirere quod uerum, simplex, semperque est, & uniusmodi, alia ab alijs acutè dijudicare: concludere etiam, resque definire, circunscriptèque complecti. Ex quibus ijsdem primis notionibus & intelligentijs, quæ sunt in omnibus similiter natæ, inchoatæ, & sine doctrina adumbratæ, præcipuo munere diuinitus accepto, Scientiæ, & cætera animi bona, multiplici ætatum, & diligenti obseruatione ad magnos usus sunt deprehensa. Itaque omnium doctrinarum animis nostris sunt sparsa uariè semina: ut cum eadẽ ratio, harum conuenienti exercitatione, fuerit cõfirmata, & suam quandam maturitatem assequuta uidebitur, absolutio sit, & habitum iam

Animi sedes.
Sensus Communis.
Cogitatio.
Mens.
Ratio.
Ratiocinatio.
Ars.
Prudentia.
Scientia.
Seminaria doctrinarum.

faciens

faciens perfectio, quę Virtus & Sapiētia ritè nominatur, opus omnium, quæ hominis animo insunt, multo diuinissimū. Sensibus autem percepta, simul & præclaræ animi cogitationes, eiusmodi progressionibus firmatæ, in proximam (ut quidam sequuntur) à tergo partem, hanc Memoriam dicunt, in qua est pręteritarum rerum firmum quoddam & stabile domicilium, atque locupletissimus thesaurus, ad omnem diuturnitatem tutissimè & fidelissimè impressis atque signatis rerum innumerabilium uestigijs ac simulacris, reconduntur, & conseruantur: quæ collapsa cum ex interuallo recurrūt, uim hanc reminiscentiæ, Recordationem appellant. Quanquam hasce triplices animi functiones (sunt quippe in magna obscuritate, ignorationeq́ positæ) diuersis partibus minimè distinctas, sed in una atque eadem cerebri ipsius sede effici & permanere censuerunt. Sic eadem memoria, ut frequenti & repetita meditatione confirmari solet, ita perit intermissionis diuturnitate, & facilè elabitur, ut Obliuionis nomen habeat. Ex quibus cognosci satis potest, animum ipsum trium esse temporum participem, cum præsentia solum corpus sentiat: sicuti animantes, quæ paulum admodum præterita aut futura assequuntur. Hæ sunt præstantes animi, summum imperium tenentis, dotes, quæ communi mentis atque ingenij appellatione significantur. Atq́ ita in animo facultas ea, quam rationis participem, Animalem dicunt, inesse intelligitur, quę neruis à cerebro & spinę medulla ductis adiuuatur. Inde ut nostrum est arbitriū, delectūs, iudiciū, consiliū, nostraq́ rebus bonis cōsentiens, & mala declinans Voluntas, animi intētione firmata, sensus omnes, & corporis motus, ad actiones perficiēdas, cōuenientissimè regit atq́ moderatur. Procul autē à ratione duas alias partes animi, in appetitu positas, quæ cum sint etiam feris quodāmodo cōmunes, hominem huc atq́ illuc rapiunt, cōsultò Natura separauit. Et Irā quidem atque excandescentiam in corde posuit, rationi in arce collocatæ uiciniorem: quo illa eadem suis stipata satellitibus, ni altera consequens cupiditas imperata facere uellet, uiribus tandem cogeretur. Hæc pars hominē excitat, nec languere sinit: ut medium inter utranque obtinens, quæ extrinsecus iniustè fiunt, admoneat, & rationi obedientia reddat: cum per arterias, respirationes à corde profectę, toto corpore diffunduntur: quæ eadem uis, ita à corde manans, Vitalis nominatur. Ingenerat eadem pars, animi quandam magnitudinem, in laboribus perferendis, & periculis sustinendis promptitudinem, atq́ constantiam, quam Fortitudinem & Tolerantiam dicimus. Sed cum

Memoria.

Functionum animi obscura sedes.

Vis Animalis.

Voluntas.

Appetitus.

Excandescentia.

Vitalis facultas.

ijdem

ĳdem uehementiores motus à rectæ rationis præſcripto nimium declinant, cientur Affectus atque perturbationes impulſu ueræ alicuius rei, aut præproperæ boni aut mali cuiuſdam opinionis: quibus conſultoribus, quaſi contrarĳs uentis inter ſe luctantibus, multū animus exagitatur.

Perturbationes.

Nam futuri boni expectatione, Libido, ac boni pręſentis Lętitia, & geſtiens Voluptas ducitur, eſca eſt quædam malorum: ſed futurum malum Metus, præſens Dolor & ægritudo auerſantur.

Cupiditas.

Cupiditatem uerò & appetitionē, tertiam animi partem, longius eadem Natura ſubter diſcluſiſſe uidetur, ne moleſta eſſet & importuna rationis interpellatrix, atque ad ipſum iecur cōuenientiſsimè repoſuiſſe: è quo oriūtur ĳ rerum appetitus, & ea delectationum deſideria, quæ per uenas toto corpori diſperſa, Naturalia eſſe dicuntur:

Vis Naturalis.

quibus tum ad nutriendum, tum ad generandū communiter omnes impellimur: ne aut ſiti, aut fame, rebusq́; alĳs neceſſarĳs deſtitutum corpus langueſcat & extinguatur: præterea ut ſimili à ſe legitimè progenito, diuinitus conſtitutam generis hominum ſucceſsionem optimè continuare poſsit. Itaq; cum hæc animi pars integra eſt, & ſibi cō ſtat, rationiſq́; monitis paret & obſequitur, neque in contrarium delabitur, affectibus etiam abducentibus, ſalutares in hominum uita degenda uirtutes retinentur: Continentiam, Temperantiam, atque Verecundiam eaſdem aptiſsimè uocant. Atque ita rectæ rationis præſcripto & iudicio egregia uoluntas, ſupremo è loco dominatum obtinēs, cum hæ duæ animi partes imperiū detrectant, diuinitus ſemper adiuta, ſuo quodam iure ſeſe opponit, uictrix è certamine præſtanti hac conſenſione, & mutua horum affectionum concordia perficit, ut una uirtutū excellentiſsima Iuſtitia ad omnes uitæ uſus congruentes optimè retineatur. Eſt hic laudabilis, diſsimilibus ex rebus conſtans, partium animi, & ſuauis concentus,

Concentus partium animi.

ut illa cœleſtium rationem, contrarĳs uiribus admirabilem conſenſionem atq; ordinem ſeruantium, proximè imitari, ſumma rerum in omnibus adminiſtrandis Prouidentia, & conuenientiſsimè referre uideantur. Sed ipſam rationem (ut ſunt hominū res, ne inſoleſcamus, uarĳs expoſitæ commutationibus & calamitatibus) quodammodo ſolutam amentia conſequitur, debilitatam ſtultitia, grauius oppreſſam & uitiatam deliratio: ſed quaſi ruptis atque effractis eiuſdem rationis cōpagibus & uinculis, furor fit, & inſania.

Mentis uitia.

Intus hæc geruntur, cum ad eadem patefaciēda, & motus animorum declarandos, ſolers Natura multas dare ſignificationes nutibus, manibus, ac geſtibus docuit. Frons nanque aut exporrecta, aut adducta,

Animorū explicatio.

ducta, & oculi, quasi quædam animi fenestræ, quemadmodum ad hilaritatem & ad tristitiam affecti sumus, perinde ac certissimi indices exprimere uidentur. Vultus ipse totus, quod nos antè dixisse meminimus, animi imago, & quoddam speculum, ita est compositus, simul & reliquum corpus, ut sunt illa, quæ interius uariè agitantur: nisi cum in corruptis Naturis ita simulationum inuolucris uoluntates occultantur & teguntur, difficile ut sit iudicium. Sed omnium maximè indicat mores, uolun-

Oratio. tates & studia aperit sermo atque Oratio: ut uerissimè comprehendi possit, qualis quisq; sit habẽdus. Alterum est proprium à ratione datum hominibus bonum, originem ab ipsa mente, cuius est nuncia, tanquam à fonte ducens, ut uiuam quandam imaginem animorum repræsentet: qua eadem re præstamus feris, quòd colloquimur inter nos, quodq; exprimere dicendo sensa animi, & consilia possumus. Vtitur ad hoc ex intimo pectore, pulmonum ui, laterum, atque faucium: à quibus impulsa uox, lingua uolubili, & ne facilè exiccetur, humore plena, palato acumen suum illidente, septo dentium offensione, & labris compressione multum adiuuantibus, ne se immoderatius pro-

Cantuum flexiones. fundat, fingitur atque terminatur. Eadem lingua certis, & studiosè exercitatis motibus acuminata & uibrata, innumerabiles cantuum flexiones, & sonorum uarios modos suauiter expri-

Sonorum uis. mit. Soni itaque distincti, res conceptas animo uerissimè declarant, cum accommodatus aurium sensus, impulso, uti suprà diximus, aere, admirabiliter excipit, & ad animum alterius uelocissimè perfert: magna ad id cautione Naturæ, quæ unicam linguam, & binas aures dedit, commonefaciẽs audienda quidem

Magnus orationis usus. multa, sed perpauca esse loquenda. Hæc eadem oratio, cogitationum interpres, cum omnia ad uitam pertinentia exprimendo cõtinere quodammodo in sese possit, homines hominibus conciliat inter se, consulendo, docendo, communicando, & iudicando: ut hoc conuenienti animorum uinculo, societas humana, & cõmunitas, carere nullo modo possit. Præter eiusmodi plurima, hac eadem oratione, cœlestis machinæ fabricationem describimus: & totius rerum in Natura, in moribus, & in doctrinis, uarietatem animis comprehensam, ingeniosè & copiosè explicamus: ut sit illud etiã, in quo maximè impressa sint

Sensuum, mentis, & orationis mira celeritas. diuinitatis uestigia, admirabile, quòd sensuum omnium in magna alacritate atque promptitudine apprehẽsio, animi omnia perlustrantis, & quasi in conspectum etiam, mundi totius amplitudinem, sibi constituentis, uelocissimus conceptus, atque orationis inde multiplicis uarietatis expressa cõformatio, propè eodem

pè eodem temporis puncto, tanta celeritate conficiantur, ut loquentium perpetuitas, ijsdem & dissimillimis de rebus teneri possit, & diutissimè produci. Ex hac celeritatis ingenij præstantia, mortali corpori inclusa, pro nostra imbecillitate, & nostris humanis uiribus, Prouidentiæ ipsius quædam ratio æstimari & conijci potest: quæ per uniuersas mundi partes intẽta discurrit, omnia regit, omnia moderatur, ubique præsens, & ubique diffusa. Rectè igitur cogitata & meditata, quod est caput, & summa excellentis in nobis rationis atque uirtutis, prudenter & explanatè efferũtur, ut laudatissimis actionibus & factis ad omnem uitæ perfectionem possint comprobari. Itaque ut in uniuersum de Homine deinceps cõsideremus, corporis & animi tantus est, & tam mutuus consensus, tanta societas atq; coniunctio, ut alterius alter affectiones protinus sentiat, declaret, atque proferat: & alterutro bene habẽte, multum uirium alius ab alio capiat, atque ad obeunda sua quisque munera paratior reddatur. Animo tamen in omnibus superiore, quem summus Deus, ut dominum atque imperantem obedienti præfecit corpori. Sic cum mentis integritati apta & idonea partium corporis functio & compositio obsequitur, ad omnem præstantiam hominis pulchritudo & formositas conspicitur eximia, quam dignitatem & uenustatem dicunt. Quoniam uerò neque corpus necq; animus satis sibi possent constare, aut per se cõsistere, motu & exercitatione conuenienti, necessarijs negocijs in hac communi uita tractandis, uires firmare atq; retinere solemus: quando ita recalescit, & coloris bonitatem conseruat, tuendæ ualetudini accõmodatam, quo ita ipsum ualidum ac uegetum in multam ætatem duret. Itaque dierum ac noctium uicissitudo saluti & incolumitati animantum est idonea, tribuens aliud agendi tempus, aliud requiescendi: ut ita grauiores diurni labores, opportuna noctis quiete subleuentur: dum humidi uapores ab alimentis excitati, sursum ad cerebrũ uehuntur: illis suauiter solutis, protinus obrepit somnus, occlusis oculis, palpebrarum ad hoc usu dato, & ui caloris interius recepta, cessant actiones, sensus interquiescunt, & à simulacris auocantur: donec fessa membra, salutari hoc sopore irrigata, uegetentur, auribus tamen semper patulis, quo grauioribus sonis homo excitari possit. Vigil interim animus, tanquam ignis obducto cinere sopitus, cum non est altior somnus, relictis quibusdã priorum cogitationum uestigijs, eiusmodi antè uisa reuoluit & agitat. Somnia inde ijs, quæ à nobis uigilantibus & loquentibus geruntur, similia sic apparent, ut nos dormire nesciamus: quæ stu

Prouidentiæ admiratio.

Cogitationum, orationis, & actionum consensio.

De homine in uniuersum.

Animi & corporis cõsensus.

Exercitationum utilitas.

Quieti

Somnus.

Somnia.

dia ac uoluntates aperiunt, ut etiam euentus prę ſentes & admirabiles habere deprehendantur. Hæc aut corporis, ex quatuor humorum ratione, conſtitutionem patefaciunt: aut cum ita remiſſus eſt, ac liber dormientis animus, quæ diuinitatis etiam dicitur eſſe quædam ſignificatio, futura antequam eueniant, proſpiciunt: quorum poſtquam ſomno ſoluti ſumus, memoria integra, ut alijs eadem commemorare poſsimus, ſeruatur: quanquam multis ſomniantium uiſis minima cenſetur fides eſſe adhibenda. Sic igitur mens nocte falſis uiſionibus auocatur, ne facilè excitetur: ut per diem ueris, ne obdormiat. Ac in æſtimatione & comparatione hominum, licet ſit communis quædam omnibus inſita Natura, nulli è tam infinito numero, qui aut locorum, aut temporum ſpacijs diſiunguntur, nec corporis, nec animi ratione inter ſe ſimiles inueniri poſſunt, multa ſunt aliorum atque aliorum digna admiratione diſcrimina, præter loquendi uarietates, & linguas diſsimiles, quibus alios populos multum ab alijs diſtingui, in magna perturbatione rerum ſuarum, uidemus. Corporũ diſsimilitudo maxima è quatuor Naturis & elementis, quibus ſunt quodammodo compoſita, uerißimè perſpicitur: igneum quiddam bilis flaueſcens refert: ſanguis rubens, & confuſos in ſeſe humores continens, uti eo alantur ſpiritus, ita aeris habet Naturam: albeſcẽs pituita, aquis eſt ſimilis, & terræ inſtar denſa bilis, quam atram nominant: quæ ipſa partium diei progreſsione, quadripartita temporum anni ratione, & ætatum etiam flexu, multum commutantur. Quorum omniũ proportione, permixtione, æqualitate & concordia, integritate & puritate, ſalua atque incolumis eſt corporis uniuerſi, ad idoneas functiones obeundas, tẽperatio quædam, & conſtitutio, forma omnis ſplendet, & uires conuenientes retinentur. Sed inæqualitate & diſcordia, copia & inopia, uitio et corruptione, humores cõcreti atq; collecti, Morbos gignunt, quibus in diſcrimẽ corpus ipſum adducitur. Horum tanta eſt uarietas, nulla ut pars ſit corporis totius, quæ peculiares non habeat affectiones, Naturæ noſtræ contrarias, quibus affligatur, alijs alio morbi genere laborantibus. Iiſdem plerunque comes eſt, ex immutatione à ſolita Natura, Febris, certis dierum ſpacijs conſtanter recurrens dolor. Ex ſitu locorum & regionum, diſsimilitudo etiam in Naturis hominum deprehẽditur: in alijs longior eſt uita, & ſalubritas maior: in alijs frequentius morbi oriuntur, aliaq; diuerſa incommoda: ut quæque regio ad aquilonẽ frigida eſt, & ad auſtrum calida: ex quibus obſcurari alios cernimus, alios albeſcentia habere corpora, alios ha-

bitus

Margin notes: Somnia naturalia. — Diuina. — Corporũ diſsimilitudo. — Humores quatuor. — Humorum concordia ad ſanitatem. — Morborum origo. — Febris. — Locorum diuerſitas.

bitus opimos, autq; gracilitates retinere: præter corporum proceritatem & paruitatem, uires atque imbecillitatem, quæ locorum Naturis sunt etiam dissimilia. Ea est plerunque partium corporis totius constitutio, ut ex his animorum propensiones atque uoluntates cognoscantur & explicentur, maximè ex eadem quatuor Naturarũ affectione congruentes & accommodatos animorum motus fieri commemorant. Sanguis nanque copiosior alacritatem, flaua bilis ferociam & iracundiam, pituita inertiam & segnitiem, atq; atra bilis metum quendam ac tristitiam manifesto discrimine adferunt. Inde illa affectuum atq; perturbationum tanta uarietas, quę momento temporis uariè & frequenter recurrit. Similiter quibus partes cerebri subtiliores, ijdem sunt magna ingenij celeritate præditi: quibus rudes & crassæ, in ijsdem stupor & tarditas deprehenditur. Varietas eiusmodi in animis maxima apparet, præter ciborum, totius educationis, consuetudinis, ac disciplinæ ratione, in ijs qui eas terras incolunt, in quibus est aer purus & tenuis, cum sint illorum ingenia acutiora, & ad intelligendũ aptiora: uel in ijs qui crasso cœlo, & concreto uti consueuerunt, quod ex mentis duricie & stupore cognoscitur. Inde ritus uarios in diuersis gentibus, mores, uitę instituta dissimilia, atque in omnibus actiones diuersas generari uidemus. Sed certis ætatum spacijs atq; progreßionibus, corporum & animorum discrimina manifestius declarantur: siquidem hominum studia & uolũtates accesßione annorum ita cõmutantur, ut à seipsis quique dißimiles reddantur, nec facilè à quoquam diu non uisi recognosci poßint. Ea etiam est hominum conditio, & tot insidijs petitur uita nostra, ut in utero fragilis utique sit: cum uix pauci ad iustum ætatis incrementum ueniant, & uitæ præfinitũ cursum conficiant. Præter diuersi generis monstra, & figuras à solito Naturæ humanæ ordine alienas, quæ graues rerum euentus, non minus quàm ostenta portendere dicuntur, etiam abortus incidunt, & claudicationis, cæcitatis, atque surditatis infortunia comitantur, sic mutila & deformia membra nonnunquam gignuntur. Dißimilis est maris & fœminæ cõstitutio: imbecillioribus hęc, firmioribus ille, ex calore ingenito, animi corporisq; uiribus. Sed quoniam ex hac occasione in ætatũ cursum incidimus, hic locus est à nobis tractandus: ut Naturæ historia, à suis primordijs progressa, conuenientem hunc rerum exitum cõsequatur. Itaque infans primo ortu sic nudus iacet, quasi sine animo, suorum expectans necessaria ad uitam præsidia: lac alimentum nostræ Naturæ aptißimum, de matris uberibus, & ad incremen-

Animorũ dissimilitudo. *Affectus.* *Ingeniorum uarietates.* *Mores.* *Aetatum progressio.* *Infortunia de ortu nostro.* *Infantia.*

tum, & ad sui conseruationem fugit: iracundus, facilis in lacrymas, dum per ætatem, quid uelit, nullam dare significationem potest. Vbi paulum firmitatis accesserit, cōnititur ut sese erigat: sensibus, animo, & manibus iam uti posse quodammodo uidetur: quodq; humanitatis est proprium, arridet, & eos agnoscit, à quibus educatur, uiribus & magnitudine indies proficit: sed propter capitis pondus, tardius quàm cætera animantia, sese ad ingressum cōponit. Vt uerò emerserint dentes, solidior cibus, mammas iam exhorrescens, huic succedit: & parentum atq; domesticorum æmulatione, uocem ad uerba & sermonem conformat, ac fari incipit, gestiens, & sese exhilarans, gratus, & iucundus. Cum paulum processerit, ingredi atque incedere assuetus, æqualium collusionibus oblectatur, & in horas mutatur: fragili adhuc & imbecilli ætate, suis morbis, & ijs frequentibus, leui ex re affligitur. Quoniam uerò ex cœlestium ordine & ratione, ætates consimilem naturam referre traditur, infans ob humoris copiam diutius dormiens, uicinū orbem Lunam proximè consequi creditur. Excipit hanc minimè malam & simplicē ætatem

Pueritia. Pueritia, membris compositis aliquanto firmior, uoce propter tenues spiritus exili, clara tamen, & distincta, cum delapsis prioribus, alij dentes recenter succrescunt: ut ad animi sententiā aperiendam, & ad mandata perferenda sit expeditior. Itaque puer congregatione suorum ducitur, datq; se ad ludendum: ut multa lusus genera, quæ domesticis, opificum, ciuilibus, bellicis rebus, ac serijs prouectiorum actionibus similia uideantur, non sine ingenio comminiscatur, atque laboriosè exerceat: nec facilè conquiescat, nihilq; non imitetur: deq; eo quod superest, gratificari uelit, ac curiosius animaduertat, quæcunque domi fiunt: etiam fabularum huic ætati accommodatis auditionibus, recētis quasi Naturæ stimulis ad cognoscendum res admiratione dignas, impulsus retinetur, iram facilè cōcipit, quam tamen deponit celeriter. Hic clarè elucet ex ingenita uirtutis indole melioris Naturæ iudicium, & futuri ingenij lumen, uitiorum utique propensio quædam deprehenditur. Manent, quæ illa ætate animis sunt impressa, ut auelli postea non possint, sicut non facilè erigitur incuruata semel planta. Hac memoriæ tenacitate aptissima ætas primæ ad rerum cognitionem & tractationē suscipiendam informationi: ut si quid seriò discendum sit, primis illis puerilibus annis maximè proponi soleat. Quæ tanta docilitas, ingenij in quamuis partem mobilitas, atque morum uarietas, ex cœlestibus globis Mercurium repræsentare uidetur. Sed cum ad cibum capiendū, ex insito calore pueri sint auidiores, fit, ut suis incre-

incrementis aucti, in longiores febres sæpius incurrant. Pubertatis uerò tempore, ineunte Adolescentia, maior est uirium & *Adolescentia.* proceritatis accessio, uox aliquanto asperior, sensus multo acutiores, ut laboribus sustinendis corpus firmũ reddatur. Pudore atq; liberalitate ut facilè adolescens retinetur, ita minis & metu abalienatur. Serijs iam negocijs, ludicra omnia prioris ætatis relinquens, adhiberi incipit, quo pericula & difficultates ad rerum usum cõparandum adeat. Cognitione, præcipuo in nobis bono, maiore ducitur, & agendi cupiditate uehementius incitatur: commentari incipit, & se scire gaudet, & alijs narrare gestit, cumq; æqualibus certat: si uincit, effert se lętitia, laudis & approbationis amans: uictus, animo debilitatur, ac demittitur. Atque ita minimum in discendo laboris sentiens grauitatem, maximos facit progressus, ut breui ea addiscat, quæ grandiorem ætatem optimè instruant, nec unquam deserant. Sed cum insit maxima imbecillitas consilij, incerta omnium ætas, quam in partem inclinet, quamq; habeat uoluntatem, cupidè agit omnia, & breui fastidit, ambitiosior ad honores, quàm pecunię auidior. Profusus est adolescens, ac liberalis, compositus in cultu, & ad amores ardentior, leuis, inconstans, multa sibi spe meliore proposita bene euentura persuadens: secura ætas eorum, quibus uita omnis distinetur, conuiuijs, lusu, saltationibus, nihil ut cunctetur diem proferre: atq; pertinacia, ferocitate, insolentia, & dicacitate potissimum notetur. Efferuescens itaque sanguis, calore huic ætati proprio, ad omnem iracundiam facilè commouet, ut pugnis & gladijs cum æqualibus adolescentes decertent. Longitudo omnis accedit, & in uiris quidẽ, matura iam ad procreationem ætate, genas barba uestit, ac fœminæ ad concipiendum idoneæ redduntur. Huius ætatis uarij mores, & ad uoluptates propensa uoluntas, tertium ex cœlestibus orbibus, Venerem, cõsequi maximè uidetur. Ex magnitudine incontinentiæ ijdem adolescentes facilius in multiplices morbos incidunt, grauius ægrotant, & tristius curantur. Valentior est Iuuenta, uoce acutiore, *Iuuentus.* incalescenti adolescentiæ, & refrigeratæ senectuti interiecta: firma totius corporis in latum excrescentis constitutione, & temperationis constantia quadam medium ætatum obtinens. Iam plurimum de prioribus studijs remittit, perinde ac maximis atque periculosissimis è uitæ difficultatibus incolumis & saluus iuuenis euaserit: ad liberorum procreationem maximè idonea ætas, seria nanque rerum domesticarum ut sibi, coniugi, atque liberis optimè sit, ad omnes superandas uitæ necessitates, prouisum, cura suscipitur; iam & amicitias comparare, & honores

capessere,

capeſſere, ut eſt cuiuſque conditio, ſtudent. Flos quidam ætatum, & perfectio hęc eſt, ut principatum teneat, perinde ac Sol corporum cœleſtium rector habetur. Adiungunt huic in progreſsione & aliud ætatis diſcrimen, in qua eadem ſuam quandam maturitatē ratio uidetur aſſequuta, & corpus ſuum utiq; robur, ut utroque melius quodammodo uti poſsimus, & nos ipſos, quod magnum eſt in omni uita, melius cognoſcere, uſu rerum, & multa tractatione, uerſutia in gerendis negocijs, calliditas atq; Prudentia comparata, ſimul & in propoſitis retinendis conſtantia, ut adminiſtrationi Reipublicæ, & grauioribus laboribus ſuſtinēdis ſit accommodatior. Itaque cum muſculis & lacertis uires inſint firmiſsimæ, Virilis ætas nominatur, & Marti quintum locum ex cœleſtibus obtinenti, conuenienter aſcribitur.

Virilis ætas.

Senectus. Aduenit ſenſim irrepens, & à ſummo inclinans, extremus huius uitæ actus, & ætatis peractio quędam, Senectus, quæ calore illo naturali ſeſe refrigerante, multum uiribus atq; ſenſibus lāgueſcit & debilitatur. Ac proinde ſpretis & contemptis iuuenilibus ſtudijs, labores minuere, & ab ijs interquieſcere neceſſe habet: animum uerò, quaſi in tranquillum, quietum, & ſedatum uitæ genus tranſierit, ad meliores cogitationes exercere. Igitur ſenes diuturno illo rerum uſu, tot periculis & difficultatibus exercitati, utilia maximè inquirunt, & quæſitis parciſsimè utuntur, ac ſemper metuunt, ſpe minimum ducuntur, tardiores in iudicando, nihil niſi dubitanter & timidè pronunciant, aut difficulter credunt, prioris ætatis errores multiplices recognoſcunt: & quibus rationibus prouideri poterat, tum acutius, re iam confecta, cernunt: uariam rerum multarum cognitionem aſſequuti, earum frequenti recordatione, ſuperiora tempora ſemper commendantes, plurimum afficiuntur. Licet uiribus debilitata, iudicij tamen maturitate idonea ætas, Reipublicæ negocijs cōſilio & Sapientia moderandis. Inde honos illi, ac reuerentia defertur, & dictis illius ſumma habetur fides atque autoritas: ut à ſenibus doceri & informari, ſit laudabile: perinde ac nos plurimum tribuimus, & monitis eorum acquieſcimus, qui longum & difficile iter, aut periculoſam nauigationem confecerint, quam eandem nos ſuſcipere aliquando oporteat. Eadem ſenectus, cum præclaras habeat, quibus commendetur, uirtutes, pietatem, uerecundiam, & caſtitatē, Ioui, ſexto ex orbibus accōmodant.

Decrepita ætas. Iam uerò ingraueſcens ſenectus, areſcentis plātæ inſtar, uoce tenui, cum ſint ſpiritus imbecilliores, caluitio, rugis, & canicie accedente, per ſe ipſa morbus eſt, adferētę hoc Naturę neceſsitate: ſenſus omnes infirmi, auditus atq; uiſio,

uiſio,dentibus,ciborum conficiendorū inſtrumentis, dilapſis, non ad mandendum ſolum, uerùm etiam ad loquēdum minus apta. Sentit grauia tum intemperantis adoleſcentiæ incommoda, frigida eſt omnis temperatio, & ad generandū non idonea ætas. Incidunt morum uitia,ut ſint decrepiti ſenes queruli, moroſi,iracundi,minimè patientes,triſtes,anxij,& difficiles. Igitur effœtum corpus, decoloratum, incuruum, & membris intortis tremēs,baculò innititur,ac tardius incedit:ut ex ordine cœleſtium ultimum,& eundem tardiſsimum, Saturnum non malè repræſentet: ea eſt ſuperiorum cum terrenis obſeruata à ſtudioſis hominibus conſenſio. Sed repueraſcens nonnunquam, quaſi repetito à Luna uitæ ordine, ſimplicius, quicquid ſupereſt æui,tranſigit: & obrepente, tanquam ſomno, morte, ex his corporeis uinculis, nulla moleſtiâ, & minimo dolore tandem ſoluitur. Eſt hic legitimus atq; præfinitus ætatis hominum curſus: quem tamen etiam perbreuem, ne immodicè inſoleſcat, aut ſuperbiat humanus animus, uariè interrumpūt, præter ſexcenta morborum genera, nouis quotidie occurſantibus: quæ cum hæreditarijs, ex cibi ac potionis copia & inopia, calore & frigore nimio, laboribus immodicis, quiete, uigilijs, ac uoluptatibus, diuerſis etiam affectibus, metu, gaudio, curis, ſolicitudinibus, ærumnis, atq; aeris ex elementorum ratione corrupti contagione quadam, tum contrahuntur, tum augentur. Grauia etiam multa interueniunt, cuiuſmodi eſſe poſſunt, quæ repentè nobis inopinantibus, & nonnunquam leui de cauſſa accidunt: calamitates etiam, procellæ, tempeſtates, eluuiones, hiatus, uaſtitates, terræ motus, naufragia, ruinæ, incendia, noua & inſolita indies periculorum & caſuum genera: ſimiliter & ictus, morſus, incurſiones, atque impetus ferarū: latrocinia terra mariq; & quæſita ad improbos publicè puniendos diuerſa & atrocia ſupplicia: quæ item ſunt grauia uenenis, quibus ſoli homines alienis utuntur, ſeſe aut alios interimere, aquis ſe immergere, præcipitem dare, aut inciſis uenis, alijsq; rationibus necem ſibi adferre: quæq; ſunt his grauiora, multis in diſcrimen ſimul uenientibus, cum homines inter ſe factionibus, ſeditionibus, bellis exagitātur, ad hæc utentes pugnis, ſaxis, gladijs, omni armorum genere, & tormentis. Adeò uidentur in ſuam perniciem ſponte ruere: cum cætera animantia, non niſi in diuerſa genera, maxima ex parte ſæuiant & graſſentur. Sed dum morbi maioribus difficultatibus premunt, ſenſuum ſtupore quodam ſolitos cibos faſtidit ſtomachus: immiſſos, nullam eorum ſuauitatem ſentiens, reſpuit: membra conſuetum officium deſerunt,

Diuerſæ hominum calamitates.

Morborū uis.

propter debilitatas uires,corpus iacet ac decumbit: macies, & uultus deformitas,quę intus sunt difficultates,patefaciunt. Somnus capi non potest, uariæ interueniũt uoluntates, ciborum dissimilium immodica appetentia: consequuntur gemitus,eiu- *Instauratio.* latus,suspiria,& laboriosæ uolutationes. Instaurantur nonnunquam à grauioribus morbis,& sensim amissas uires recolligũt, atque solitis uitæ muneribus iterum sese homines accommo- *Corporum tabes.* dant. At ingrauescens morbus humore illo natiuo, qui paulatim iam ab ipso ortu, quasiq; à radice continenti iactura (est enim cursus à die natali ad mortem perpetuus) consumebatur, arescente & exiccante sese,simul etiam ingenito calore,unde uis tota uiuendi manat,subtracto quasi alimento,refrigerante sese, & luminis instar consumpto oleo extinguente, infirmum tan- *Diuinatio.* dem ac debile corpus,multis modis exagitant. Interim animus ex hac uita excessurus, & in patrias sedes ab hoc terreno exilio commigraturus, multa cogitatione reuoluit: multa, in quibus occupatior fuit omnis uita,nonnunquam refert,& quædam diuinitus pronunciat:ut qui sunt moribundi,uim quandam diuinandi,deq; futuris uerba faciendi assequũtur: inde tanta uis extremæ illius uoluntatis est concessa testamentis condẽdis. Iam *Appropinquatio mortis.* uerò,morte impendente,consequitur partium omniũ languor & imbecillitas:turbantur,intereunt,corrumpuntur omnia:inæquales sunt, & formicãtes uenarum atque arteriarum motus & percussus,oculi lumen refugientes,& languidæ aures,cæteriq; sensus solitum usum prorsus amittunt, uox deficit, rigent & contrahuntur membra, difficili hoc cõflictu, grauia suspiria trahuntur,& in præcordijs Mors concipitur. siquidem ut primùm uitam cor ex uisceribus concipere, ita extremam esse partium quæ moriuntur,existimant: corpore toto immoto recum- *Orta occidere.* bente,perpallido, decolorato,& exangui: quod utique omnibus,quæ in terris sunt nata,commune habetur,atque à certa & definita Naturæ lege diuinitus est constitutũ,ut omnia ab origine suis prouehantur incremẽtis, aucta inde paulatim à fastigio decrescant,& abeant unde orta sunt,atque intereant: sic & recenter natis, alia proximè ex ijsdem progenita, succrescant: quæ ipsa uicissim successione cõtinenti, alijs nascituris loco cedant. Inde sunt illæ generis hominũ à suis primordijs progressiones,quas secula & ætates nominamus: puncto temporis animi fit è corporis custodijs,cõpagibus,& uinculis, secretio atq; *Corporis dissolutio.* dissolutio: ipsum corpus è terra constans, quando sunt omnia Vniuersitati reddenda,ut partes singulæ in suam quandam elementorum Naturam redeant,sensibus omnibus dilapsis, frigidum,stu-

dum, ſtupidum, & inane cadauer ad humationem atque ſepulturam relinquitur. Animus autem pars in homine, ut ex curſu huius hiſtoriæ ſuis locis ſæpe eſt demonſtratum, ſimplex, minimeq́ ex quatuor illis notis ac uſitatis Naturis cõmixta, ſed maximè diuina, ſuo & à ſupremo Deo conſtituto, orbis terrarum adminiſtrãdi munere perfunctus, ueluti ex utero in meliorem uitam, & maiorem lucem translatus, eodem in cœlũ, unde primùm fuerat demiſſus, in priſtinũ ſuę cognationis domicilium, ex his terrenis omnibus prorſus liberatus, purus & integer, felici ac proſpero curſu remigrat, atque regreditur. Itaque cum eum ordinẽ uniuerſa hac Naturæ hiſtoria ſequi oportere, pro noſtra ingenij mediocritate iudicaremus, à minus perfectis curſu perpetuo ad magis perfecta ſumus progreſsi: ut poſt deſcriptum ſuis partibus hominẽ, hæc prętereunda non ſint, quo ita conuenientem finem primus hic Vniuerſitatis rerum liber conſequatur. Genios eſſe, nulla terrena contagione uitiatos, quibus ijſdem ſupremus Deus interioribus miniſtris, nuncijs, ac legatis, ad ſua hominibus patefacienda conſilia, & ad neceſſariam totius generis humani tutelam, utitur. Sed in aduerſum perpetuò colluctari malos atque aſtutos ſpiritus, qui à Dei miniſterio deſciuerunt, ut ad omne malum pernicioſis & multiplicibus artibus homines pertrahere identidem conentur. Igitur ex conditis totius Naturæ mundi huius rebus, atque ex ſingulari adminiſtrationis eorum omnium, quæ cœlo & terra latiſsimè continẽtur, Prouidentia: quod principiò poſitum, per omnem hanc hiſtoriam eſt continuatum, ab ſapientiſsimis hominibus ſumma & abſoluta prępotentis Dei æterna maieſtas, luce illa noſtris mentibus magno beneficio inſita, uerius ac maniſeſtius æſtimari poteſt: ut ingentem ſui admirationem omnibus excitet, atque ardentem amorem animis conciliet: quæ eſt (cæteris Naturæ uniuerſæ rebus conſeruandi noſtri gratia genitis) præcipua ortus & conditionis hominum cauſſa: quam eandem piæ mentes, ueri ac debiti officij memores, concordiſsimè profitentur.

Animi perpetuitas.

Angeli.

Deus.

PRIMI LIBRI HISTORIAE *Vniuerſitatis rerum, qui eſt de Natura,* FINIS.

EXCVRSIO AC TRANSITVS EX HISTORIA NATVRAE, IN ALTERAM TOTIVS HISTORIAE VNIVERSITATIS RERVM PARTEM, QVAE DE PRVDENTIA INSCRIBITVR.

Historiae de Natura commendatio.



BSOLVTA EST, ET EXPOSITA à nobis in genere totius historiæ de Natura, breuissima, sicuti eramus polliciti, & simplicissima descriptio: cuius forma, quasiq́ue facies ita illustris apparet, ut in ea perspicienda, & caussis rerum peruestigandis, sicuti est dignissima ingenuo homine occupatio, ita pastus animorū, & delectatio suauissima meritò habetur. Quocirca par est, hic mirari, & grata animi beneuolentia ueteres omnes prosequi, ac priscos illos rerum obseruatores, quorum singulari cura atque diligentia nihil propè in tanta obscuritate (ut est humani ingenij capacitas) relictum intentatum, nihilq́ue quod uitæ prodesse existimarent, ab ijsdem occultatū: tanta cognoscitur in illis tradendis benignitas, & tantum in explicādis studium, ut bene is apud eos uixisse uideretur, qui nouum aliquid uitæ hominum adiuuandæ excogitasset, & in communem usum, literis consignatum, protulisset: atque ea tam multiplici conatu inuestigarunt, & pertractarūt, ut propè eadē discendi & comprobandi solum laborē nobis reliquerint. Itaque tantæ rerum magnitudini & uarietati deprehendendę, publicæ magnarum Rerumpub. atque potentum Principum opes, laudabili facto, liberaliter sunt impensæ: & præclara ingenia nullo emolumento rei familiaris inuitata, sese acerrimis studijs, perpetuis uigilijs, periculosis & longis peregrinationibus consumpserunt: ut nihil tam inuolutū uideri potuerit, quò non acumine ingenij, multo rerum tractandarum usu atque exercitatione, lustrando & obseruando peruenerint. Nam intuentes in rerum cœlestium ordinem, constantiam, & uarium motum, spretis rebus terrenis, pariter & in præstantissimas animi nostri dotes, de ipsius perpetuitate, deq́ue summo uniuersi fabricatore Deo, bonitate diuinitus nostris mentibus insita, adiuuante, ueritati consentanea multa sunt assequuti, & literis prodiderūt. Sed iam in diuersa hominum studia, inde à Naturæ lustratione & collocatione proximus fiat transitus: quæ ipsa eadem constabunt manifestius,

Priscorum hominum obseruationes.

Impensæ & labores.

Successus.

nifestius, cognitis eiusmodi rerum naturalium primordijs, quarum præscripto atque ductu studiosissimi & optimi uiri multas per ætates, ut laboriose, ita & utiliter ad magnos rerum tractandarum usus sese composuerunt. Quam quidem ad rem, ne recedamus à perpetua rerum omnium instituta continuatione, ut constamus, & cõpositi sumus ex corpore atque animo, ita duas ad res nati, ad agendum, & ad intelligendum: inde cunctæ res, quarum usum in terris habemus, studiaq; nostra, cuiuscunque modi illa sint, corporis alia, alia animi Naturam rationemq; sequuntur: ut cogitanti attentius, duæ similiter uitæ partes, quod antea diximus, possint aptissimè constitui. Et ad corporis quidem conuenientes effectiones, atq; multiplices uitæ hominum sustentandæ actiones, Prudentia: ad animi uerò præstantes cogitationes atque intelligentias, Sapientia: licet ita disiungi & separari non omnino debere, quibusdam uideri possit, apertius tamen, ac distinctius, quæ hoc consilio uolumus, congruentissimè poterunt accõmodari. Siquidem omnes cogitationes, motus animi, & obsequentes huic corporis actiones, aut ad consilia de rebus honestis, pertinẽtibus ad bene beateq; uiuendum, capienda referuntur: aut ad ea comparanda, quæ cum mente & ingenio cõstent, in studijs cognitionis, scientiæ, & ueritatis uersantur. Ac Prudentiam datam hominibus idcirco existimatur, ut hominum generi uniuerso ad societatem nato, & ipsam Naturam in rebus necessarijs manuum opera imitanti, consultum bene sit, ac prouisum. Sapientiam autem, mentis atque rationis ingenitæ, & in capite collocatæ officio, ut cognationem & communitatem quandam se habere cum diuinis rebus, summi Dei beneficio, uariè contemplantes, intelligerent. Quocirca ut hoc propositum à nobis utriusq; discrimen magis constet, Prudentia ad res tractãdas est comparata, quæ in rebus hominum perturbata sunt, uaria, dubia, fortuita, & commutationibus exposita, utiliter moderatur: & in his omnibus, quæ consultatione & deliberatione indigent, uersari consueuit. At Sapientia contemplatur & considerat, quæ sunt uniusmodi, firma & perpetua, quæq; nullo cõsilio habent opus, neque mutantur: sed sunt diuturna, & permanent. Igitur Naturæ, quam ex tribus cognitionis gradibus primam esse, suprà demonstrauimus, secundo loco hæc Prudentiæ tractatio proximè succedit: quæ quomodo primùm fuerit ab hominibus deprehensa & notata, priusquam ad enumerationis illius ipsius collocationem ueniatur, paucis hæc altius repeti possunt. Vnum è maximis bonis, diuinitus hominum mentibus ingenitis, est Memoria, qua una ad rerum

Studia ex hominum Natura duplicia.

Prudentia.

Sapientia.

Vtriusq; uirtutis usus & discrimen.

Prudentiæ incrementa.

Memoriæ uis hominibus ingenita.

cognitionem fidelius conseruandam & custodiendam, nihil habetur accommodatius: ut eadem in hac communis uitæ consuetudine, rerum nouitate & admiratione animis nostris excitantis, frequentius dum recurrit, toties repetita, etiam cum aliquo periculo agitata, & asiduitate exercitationis confirmata, certam & conuenientẽ, quasiq; ex multis rebus ijsdem in unum comportatis, ornatam Experientiam, uitæ mortalium ducem gignit: quæ ipsa singula, in quibus potissimum uersatur, congruenti ordine colligendo, & frequenter idem faciendo (ut est eiusmodi progresio ad maiora) mentem optimè instruens, uarijs rerum coniecturis, sensum quendã in uniuersum & in commune facit, multarum quasi Naturarum unam & eandem consensionem, ad utilem, certum, constitutum, atque propositum uitæ finem, ut ea quæ in Natura quodammodo deesse ac deside rari uidebantur, auxilio, præsidio, & imitatione cæteris in illius rebus compleri conuenienter posint: iudicio ita ad res eiusmodi tractandas, ex his inter se collatis & coniunctis, bene informato: Artem cognitionem hoc efficientem, & experimenta regentem, nominant: ad cuius præscriptum res aliæ in uita atque aliæ, certis & exploratis rationibus, nõ temerè, casu, aut fortuitò efficiuntur, usu rerum uario & diuturno, longa meditatione & obseruatione in notandis rebus, atq; exercitatione omnino firmantur. Ex his progresi considerati homines, & publici commodi studiosi (liceat enim hoc tempore nobis ita ad rerum progressionem tenendam, liberè distinguere) partem illam positam in actione cõsultatricis animæ, plenius inquisierunt, quæ præstanti iudicio, atque rerum conuenienti & necessaria tractatione, in his uersatur, de quibus est consilium, & delectus eorũ quæ sunt uel expetenda, uel fugienda: ut locis, temporibus, personis, rebus accommodata bona deligentes, reijcientes contraria, salui & integri esse posimus: omninoq; in his rebus, quæ ad utilitatem, & commoda hominum inquirenda, ad facultates, ad opes, ad copias parandas pertinent. Sunt enim homines hominum caussa generati, ut ipsi inter se præsidijs omnibus, et operis in medium allatis, alij diuersis in rebus prodesse possent. Hanc excellentem uirtutem, hoc efficientẽ, conuenientisimè Græci à commodando, Latini à prouidendo Prudentiam appellarunt: utiliter enim uersantem in rerum humanarum negocijs tractandis, coniectorem esse optimum, atque uatem quendam, de ijs quæ proposita sunt, oportet. Eadem Prudentia non nisi mutua & ea diligenti, longa & asidua hominum inter homines cõsociatione, consuetudine, atque exercitatione, potest comparari. Hanc idcirco

Experientiæ progresio.

Artis origo.

Prudentia in quibus uersetur.

φρόνησις γὰρ, ἡ φέρουσα ὄνησιν.

Prudentia.

Prudentiam conuenienter Naturæ subiici.

idcirco non malè Naturę considerationi subiecisse uidebimur: protinus enim ut nati ortiq; sumus, uitæ necessitati maturè est prouidendum & consulendũ: siquidem Prudentia, altera quędam est Natura: quam efficere, & proximè in omnibus rebus uitæ necessarijs imitari conamur. Itaque Prudentiæ subiecta omnia deinceps eo ordine, quo quidque primum, quem nobis ad historiæ rationem hoc tempore præscripsimus, sicuti antè in Natura factum est, explicabuntur.

Tractationis ordo.

Quam ad rem ne quid minus distinctè fiat, & genera dicendorum omnium complectamur, à rudi & simplici hominum uita, primordia in omnibus ducere uoluimus: inde ut quidque hominum usu & tractatione est in rebus auctum & excultum, illud continenter subiecimus: quo dissimilia hominũ studia in sese tuendo & honestando (quemadmodum ipsa rerum parens Natura diuersis ex rebus, contrarijs quodammodo, & pugnantibus inter se, consensione quadam omnia producit) ad communẽ hominum tranquillitatem optimè comparata uiderentur: quæ ipsa unum in locum è dispersis obseruationibus relata, plenissimè simul & iucundissimè conspici, cognosci, & comprobari inter se poterunt. Tametsi ea quæ sunt cogitationis & considerationis animi, præcedere corporis actiones debere, plerisque uideatur. Sed hic ordo historicus est multo conuenientior: quandoquidem diuturnus rerum usus artes, doctrinasq; omnes, quas habemus, peperit: ut par sit, de communi rerum usu principiò dicere. Ac multo minus nobis placuit eorum ratio, qui non primas progressiones sequũtur, sed uaria rerum genera quædam statuunt, minus inter se coniuncta atque colligata: ut nullum memoriæ conseruandæ præsidium, cum pars ea sit studiorum maxima, quæsijsse & attulisse uideantur.

Ordine memoriam adiuuari.

Cuius memoriæ cum habetur ratio, multa perspicua, & ad intelligendum expedita redduntur.

Naturalis ordinis indagatio.

Illud enim toto opere persuasissimum mihi fuit, ut omnia, quantum cogitatione, quantum lectione, quantum ingenij atq; iudicij mediocritate consequerer, ad naturales quosdam rerum, & continentes cursus accõmodatè referrem: quando studiosè inquirentibus nulla uideri poterit in quoque genere ordinis ratio, aut tutior hac eadem naturali, aut conuenientior, aut quæ communitatis literatorum assensum magis habere possit. Rationes, quibus adductus sum, ut ita crederẽ & statuerem, ad finem horum quinque librorum adferre, pro uiribus sum conatus.

Remotis personis Prudẽtiam esse tractatam.

Ac Prudẽtiæ historiam ita tractaui, ut remotis personis, cuncta quę in mentem uenirent, persequerer, cum tamen illæ eædem inseri suis conuenientibus locis potuissent: existi-

exiſtimans melius eſſe, ut illa nominatim uno loco poſita legerentur: quæ fuit occaſio libri tertij, de Principatu inſcriptionem habentis, faciendi, qui idem altera quædam pars eſt huius hiſtoriæ de Prudentia. Memores tamen nihil nos hoc tempore conari aliud, & experiri, quàm breui & anguſta hac expoſitione, noſtrum hoc conſilium proponere: quod aliter commodius fieri non poſſe uidebatur, quàm eiuſmodi Vniuerſitatis rerum collocationē inſtituere, ut non deliberaſſe ſolum, quod perfacile habetur, uerùm etiam exiguum aliquid in eo genere nos tentaſſe & cœpiſſe appareret. Sit igitur conſilij & adumbrationis ſcribendę hiſtoriæ de Prudentia, tale quoddam initium.

EXCVRSIONIS AD PRVdentiam finis.

CHRISTO-

CHRISTOPHORI Mylæi, de scribenda Vniuersitatis rerum historia, è quinque libris Secundus, qui est de Prudentia.

PROOEMIVM.



ROVIDVM ANIMAL HOMO, tanquam benè à Natura instructus uiator, uniuerso terrarum orbi administrando diuinitus præficitur, ut ingenij celeritate, qua una re cæteris animantibus præstat, atque rerum indigentia & necessitate continenter impellente, singulari conficiendarum rerum duce & magistra, utilem degendæ uitæ mortalium Prudentiam adipisceretur, & obtineret. Cuius ipsius præsidijs (quando hominum utilitati cuncta maria, cunctæq; terræ patent, ut commodorum ex his omnium in homine sit dominatus) uitæ sustentãdæ accommodata longè lateq; disquisijsse, totisq; uiribus diu multumq; contendisse, ad exprimendam multis in rebus alteram Naturam, omnium ætatum memoria cognoscitur. Est hic labor certo ac diuino iam à primordijs rerum consilio, ad agendum communi ingenito studio propositus, ne animi simul & corpora non conuenienti exercitatione firmata, ocio, ignauia, atque socordia languidius ac remissius sese haberent. Nam fieri nostro ipsius naturali iudicio, usu & tractatione rerum uidemus, ut cum res affluunt, omnis industria, & animi intentio penitus minuatur: cum uerò est rerum difficultas, ad inquirenda multiplicia præsidia quisque suscitetur, utiliter retineatur, atque occupetur. Itaque licet cæteris animantibus iam ab ipso ortu eadem Natura, nihil illis laborantibus, uarios & copiosos pastus totis

Administratio rerum terrenarum homini concessa.

Labor hominum generi propositum.

terris latissimè fuderit: hominum tamen ea est cõditio, & quasi quædam prima imbecillitas, nihil ut illis sine labore suppetat, & eo mutuo. Nam recẽter natus infans, nudus atque inermis, suorum ad conseruationem & incrementum salutarem opem ingemiscens postulat, efflagitat, atque expectat. Quam ad rem laudabile est omnibus insitum studium, ut priores ad ea quæ sunt & uictus & cultus, perpetua quadam generis hominum progressione copiosè suis quisque relinquere præcipuè laborent. Eadem ratio, præter alia communitatis inter homines iura, hominem hominum appetentem effecit, ut ijdem ex omnibus dispersis Naturæ muneribus, usum meliorem studiosè inquirerent. Societati etenim atq; communitati nascimur, ut patria, parentes, & amici, nostra opera, nostrisq; studijs utantur. Inde temporum spacijs, usu rerum omnium efficacissimo magistro, & ingenij præstãtia, labor, qui suscipiendus fuit, magna ex parte est imminutus, cum ad inuenta animo, & percepta sensibus, adhibitis hominum manibus, in medium proferrentur, singulis communi accedente consensu suum munus obeuntibus, creuit artium multitudo, quibus cõmunes operas adferre quique studerent, ut nostris alij, nos aliorum laboribus uicissim uteremur: à quibus ijsdem cum auxilia petuntur, uita communis excultior fit, munitior, atq; cumulatior. Hæc omnis cognitio licet magna ex parte non sit monumentis literarum tradita, sed in communis uitæ usu, & exercitatione opificum atq; artificum tota posita: tamen quoniam historiam instituimus, priusquam ad eam partem, quæ est administrationis Rerumpublicarum, fiat ex his progressio, nihil uetat, quo minus pauca eiusmodi attingamus: ne cursus hic Vniuersitatis rerum institutus, aliqua uitæ occupatione relicta, interrumpatur. Neq; minus illa debent probari, si hoc loco quædã cognita satis, uulgata, nullaq; scriptione digna adferuntur: quando id potissimum inquirimus, qui sit rerum omnium ordo seruãdus: quod constare satis non poterit, nisi eiusmodi rationibus, quas sequi sumus conati, enumerẽtur. Quanquam nec inutile fuisset, prætermissis ijs, quæ sunt solertiæ cuiusque, & industriæ, quæ'que propter uarietatem arte nulla includere possumus, si ueteres ac nostri in his studium maius, ut illa fidelius perpetuis literis conseruarentur, posuissent: & in his maximè, quæ ab opificibus, cum sunt magno rerum incommodo, non satis benignè suppressa, sæpius eadem excogitare, inuenire, ac diuersis ætatibus laboriosè comprobare, & iterum experiri cogimur.


Parentum commune studium.

Labores hominum in commune.

Artium uulgarium tractatio.

NARRA-

NARRATIO.



GITVR cum ſupremus Deus iam à primordijs rerum omnium, hominem, propter admiſſam grauem offenſionem, ad multiplices labores in hac uita terrena & ſuſcipiendos & perferẽdos, quaſi relegaſſet, neceſſarias ad res conuerſus, quæ ad uictum pertinerent, primùm quæſijſſe uidetur. Nam conſeruandi ſui maximum ſtudium communis rerum parens Natura ingenuit: quod elucet in homine certius, qui non ſolo ſenſu, ut cæteræ animantes, ſed ipſa ratione inſtructus & ornatus, omnẽ hanc imbecillitatem uincere atque ſuperare poteſt. Itaque ſimulac natus eſt infans, quæuis ori admouet, inquirens alimentum ad ſeſe tuendum: quaſi iam certus, ſe minimũ temporis poſſe conſiſtere, niſi corpus cibo ac potu frequenter repetito alatur atque ſuſtentetur. Pòſt ut cœpit, ætatis progreſsione, maiorem intelligentiam habere, multo id facit diligentius, alienans ſemper ſeipſum ab interitu, & ijs rebus omnibus, quæ noxia eſſe, & interitum adferre cognoſcuntur. Ac principiò rudi, ſimplici, & omniũ artium ac uſus experti uita (nam ab ijs huius hiſtoriæ ſunt ducẽda primordia) ſponte natis, & paſsim obuijs diuerſi generis herbis ac fructibus, naturali iudicio & periculo facto, ſalubria à perniciosis diſcernens, cuiuſmodi fuere glandes, caſtaneæ, ſylueſtria pira, ficus, & poma, homo ueſci cœpit: expoſita aqua communis animantum omnium fuit potio. Ignis dein uſus hominum uitæ, quorum cœleſtis eſt origo, proprius atque neceſſarius, calfaciendo corpori inuentus, adhibetur: cibis etiam, qui crudi erant, atque inſalubres, molliendis atque mitigandis: præterea ad ferendũ obſcuritati ac tenebris, lumine accenſo, ſubſidium, & ad uarias opificum actiones peragẽdas, eundem utiliter accommodarunt. Primam autem occupationem uitæ degendæ, Agriculturam frugibus percipiendis, atque Pecuariam fuiſſe tradunt, pecudum grege per paſcua deducto, ut inde opportunum lactis alimentũ, & eo in coagulum diſcreto atq; cõpreſſo, paratum caſei uſum haberẽt. Iam uerò propius ſeſe congregantes, de impoſitis à primo parente rerum nominibus (quod noſtra religio primordia rerum omnium uerisſima cõtinens profitetur) optimè conſenſerunt. Minus enim commodum fuiſſet, ad patefaciendas mentis noſtræ uoluntates, quibuſdam uti ſignis digitorum, capitis, ac totius corporis uario motu, quod in his qui muti ſunt, fieri uidemus. Aptius uerò, & opportunius, uolubili hac lingua, uoce modò elata, modò depreſſa, mo-

Victus primi hominum occupatio.

Simplex hominum uita.

Ignis uſus

Pecuaria.

Nomina rebus impoſita.

dò inflexa, ad omnes animi motus explicãdos, orationem conformare. *Nominum ratio.* Rebus igitur nomina data tum conſideratè, cum earum Naturam quandã & affectionem referre atq; exprimere uellent: quo ita cum expediret, celerius à quouis recognoſci poſſent, & intelligi: tum etiam pro arbitrio & uoluntate conſequentium temporum, aut ut quidque, nullis conſtantibus de cauſsis, fortè contigerat, perinde ac impreſſas diſtinctis ſonis rerum notas ſeruarunt. *Sermonis uſus.* Atque ita ultro citroq; ſermones, ad communem uſum neceſſarios, publico omnium conſenſu, & longa exercitatione conferre cœperunt: quod animantum omnium ſolus facit homo, cuius beneficio manſuetior, ne in feram & agreſtem uitam degeneret, prohibetur, quin potius ſocietatem atque congregationem amet, & ſequatur: ut cum per ſe nihil poſsit quiſquam, hoc quaſi firmiſsimo uinculo, qui ſunt patriæ eiuſdem, optimè colligentur, & mutuis præſidijs ſeſe adiuuent. Nam cum externi homines, quiq; ſunt diſsimilis & alienæ linguæ inter ſe occurrunt, quàm magno & neceſſario deſtituantur adiumento, in tanta linguarum uarietate experiũtur: ut cum homo ſocium ſit animal, homini propè inutilis ex hac linguarum ignoratione reddatur. *Linguarum uarietas.* Ex diſiunctis locorũ interuallis, fluminum, montium, maris interuentu, cum nulla, aut non ita frequens eſſe poteſt conſuetudo, nullaq; habẽtur inter ſe commercia, rebus etiam principatuum cõmigratione diuerſarum gentium commutatis, linguarum retenta eſt omnis diſsimilitudo: ex qua eadem multiplices gentes, ſuis uiuentes inſtitutis, exortas tradunt: quæ peculiarem linguam, ignotam cæteris, multo loquentium uſu comprobatam & conflatam, diutiſſimè ſeruarunt. *Linguarum cultus.* Longo dein rerum uſu atque tractatione ad uerius, certius, & explicatius cogitationes noſtras exprimendas, aptis translationibus, acutis prouerbijs, commodis & illuſtribus ſententijs, etiam uulgò tritis, pleræq; ex his auctiores ſunt factæ, excultiores, atque elaboratiores. Prima hæc eſt communis omnium hominum, & non mediocris ad cõparandam Prudentiam, aſsidua loquendi conſuetudine firmata cognitio, omnem mentis animiq; ſententiam propriè, eleganter, aperteq; ſermonis ratione poſſe explicare. *Reditus ad uictum.* Verùm ut ad uictũ reuertamur, uita ſpacijs temporum excultiore facta, dum alia, ſuſcitatis ſemel ad excogitandum ingenijs, ab alijs deprehenderẽtur, prouiſum eſt, cum intelligerent homines, ſe imperiũ terræ habere, & illius ſe eſſe cultores, quãdiu hic eſt peregrè uiuendum, diuinitus conſtitutos, ne eadem beluarum efferaretur immanitate, aut paludum fœditate, aut ſaxorum impedimentis, atque

ſtirpium

ſtirpium aſperitate uaſtaretur. Itaque maximo ferri uſu intro- *Ferri uſus ad agriculturam.* ducto, cum Naturam & ingenium eiuſdem terræ, ut ſunt multiplicia genera, probaſſent atq; cognouiſſent, quæ magno cum fœnore & uſura ſemper redderet, quod acceperit, nō hyemem quidem propter lutum ac gelu, neque æſtatem propter ſiccitatem immodicā: uerùm autumnum propter maiorem aeris temperiem, atque uer delegiſſe conſultò uidentur: quo eodem an- *Aratio.* ni tempore, pluuijs dilapſis, agro ad maiorem fœcunditatem ſtercorato, gremio terræ mollito (id fit, cum candē aratro proſcindunt) & conuenienter ſubacto, ut ſemen æquabiliter ſparſum excipiat: primùm id occatum cohibet, deinde tepefactum uapore, & complexu ſuo diffundit, & elicit herbeſcentem ex eo uiriditatem. Iam inutiles herbæ naſcentes, runcatione & ſarritione euelluntur. Eadem herbeſcens uiriditas nixa fibris ſtirpium, ſenſim adoleſcit: culmoq; erecta geniculato, uaginis iam quaſi pubeſcens includitur: è quibus cum emerſerit, fundit frugem, ſpicæ ordine ſtructam, & contra auium minorū morſum munitur uallo ariſtarum: quæ tandem ſub meſsis tempus (maturitatis id eſt ſignificatio) latè flaueſcunt: has tempeſtiuè demetunt, in manipulos & faſces colligant. Pòſt ipſa meſsis in a- *Meſsis.* rea tribulis, aut equorū greſsibus exteritur, aut perticis flagellatur, pro diuerſa gentium conſuetudine. Excuſsis inde granis, uentilatione aut uanno frumentum diligenter ſecernunt, reponunt, ac recondunt. Atque ita factum eſt, ut relictis glandibus (his enim quaſdam gentes pro cibo uſas primùm fabulæ commemorant) ex ijſdem frugibus mitiore cibo cōuenienter præparato, homines deinde ueſcerentur. Ac primis utique tempo *Vitis à primo Noe ſatu.* ribus agreſtem uitem ſatam ab altero generis hominum parente, ac pòſt in apricis collibus ad ortū maximè, & ad meridiem poſitam, foſsione, omniq; diligenti ad fœcunditatem cultura, optimè manſuefecerunt: ſiquidem uitis Natura caduca eſt, & niſi fulta ſit, ad terram fertur: eadem ut ſe erigat, clauiculis ſuis, quaſi manibus, quicquid eſt nacta, complectitur: quam ſerpentem multiplici lapſu, & erratico, ferro amputans, coercet ars Agricolarum, ne ſylueſcat ſarmentis, & in omnes partes nimia fundatur. Itaque ineunte uere, in ijs quę relicta ſunt, exiſtit, tanquam ad articulos ſarmentorum, ea quæ gemma dicitur: à qua oriens, & mox floreſcens, uua ſeſe oſtendit, quæ & ſucco terrę, & calore Solis augeſcens, primò eſt peracerba guſtu: deinde maturata dulceſcit, ueſtitaq; pampinis, nec modico tepore caret, & nimios Solis defendit ardores. Ex uberrimis & lætiſsi- *Vindemia.* mis eiuſmodi uuis, tempore Vindemiæ, dulces ſuccus, ut calca-

tæ sunt, torculari etiam fortissimè exprimuntur, Vinum appellamus: quod suis uasis conseruationi repositum, ad conuenientes quotidianæ potionis usus, sustentãdis uiribus, & firmandis *Arbores.* accommodatur. Cum Arborum fructus nimis essent acerbi, hominum manus, amputatione etiam adhibita, mitiores quodammodo faciens, in pomarijs & plantarijs easdẽ arbores ordine descriptas atq; dispositas, utiliter excoluit. Quam ad rem plurimum commendantur, & speciosi habentur, in quincuncem directi ordines, quòd cum omni ex parte aspiciũtur, recti *Insitio.* sint, quodq; terræ succum æquabiliter trahant. Pòst Insitionis, casu, uti tradunt, deprehẽsa laudabili solertia, factum, ut ad maiorem propagationem, fructus diuersis in locis perciperentur. Inde magna pomorum ubertas, uarietas, iucundus odoratus, gustatus, & aspectus. Herbæ diuersi generis, & olera ad eam ra*Horti.*tionem, in Hortos, hominum diligentia, suis areis, spacijs, & paribus interuallis distincta, transferuntur, quo ita ex agrestibus grandiora fiant, simul & meliora. Itaque alteram succidiam hortum appellant, quòd in eo herbæ esculentæ, ad usum domesticum semper paratæ & expeditæ, habeantur. Summa est etiam in plurimis herbis suauitas odorum, & pulchritudo florum, quos diuersis anni temporibus terra liberaliter gignit, ut sem*Pastiones quadrupedum.*per nouitate, usu, & copia delectemur. Ratio dein habita iumentorum atque armentorum, quæ altera est ab aratione & fossione, totius Agriculturæ occupatio, tum ad fœturam & sobolem, tum ad opus rusticum faciendum: cuius generis sunt ad uectiones & onera, equi, asini, muli, cameli, & boues, quibus iuga imponimus. His alendis exposita gratæ uiriditatis irrigua prata, & minimi impendij, ex quibus hyemis necessitati paratum fœnum colligitur, ac in fœnili reponitur. Pascuntur etiam totis campis, pratis, arbustis, & syluis, uaccæ, lactis copiam reddentes, uituli, oues, maximæ propter lanam & stercorationem utilitatis: capræ, sues, qua pecude nihil Natura genuit fœcundius, ducẽte pastore, cui sunt ad maiorem custodiam canes adiuncti. Itaque præter accommodata pastionibus eiusmodi lo*Syluæ cæduæ.*ca, syluę cæduæ relinquuntur, ad hyemandum, ad necessarium alijs in rebus domesticis ignem excitandum, atque ad omnem *Villaticæ pastiones.* ædificandi materiam comparandam. Seruantur apum examina, quæ animantes Natura cõgregabiles fingunt fauos, ad suauem mellis, & ijs expressis ad magnum ceræ usum. Alũtur domi, & sustentantur gallinæ, pulli, turdi, columbæ, turtures, anseres, anates, pauones, perdices, phasiani, aliaq; eiusmodi: & ea omnia ad usum, ad fructum, ad uescendum. Itaque referta est

cella

cella uino, oleo, melle, lacte, butyro, caseo, ouis. Sunt diuersi generis & alij fructus, humidi ac sicci, poma, nuces, atque pira. Plenum horreum frugibus, frumento, tritico, hordeo, siligine, auena, ac uarijs leguminibus: cuiusmodi habentur pisum, faba, lens, milium, cicer, oriza: quæ est uniuersæ Agriculturæ multiplex opulẽtia. Hæc ipsa singulari Agricolæ parci, frugi, ac prouidi uigilantia atque diligentia prudenter administrãtur, cum actionum omniũ idonea anni totius tempora deliguntur, cum apta ad diuersos usus instrumenta comparantur, cunćq; seruorum munera conuenienter distinguuntur: præterea cum tempestiuos fructus percipiendi, reponendi, condendi, atque suis occasionibus distrahendi, omnes opportunitates sequuntur. Simplex horum hominum uita, minimeq; malè cogitantium, ut ad communem hominum utilitatem nati uideantur. Præcipua nanque fuit, & laudabilis, in qua omnes primùm uersabantur, occupatio, tanti habita ueterum consensu, ut omnium rerum, ex quibus aliquid exquiritur, nihil Agricultura melius, uberius, dulcius, homine libero dignius, & ad ualetudinem firmandam, cum semper sit aliquid, quod agatur, cõseruandamq; accommodatius diceretur. Qua eadem bene habente, omnia inter homines succedunt: at ea relicta, spreta, deserta, aut oppressa, terræ & maria nullos usus præbent. Est enim Agricultura generi uniuerso salutaris & necessaria: in hac repositæ iustæ, parabiles, ingenuæ, & certissimæ diuitiæ: parens est, & alumna artium cæterarũ, in quibus ĳ uersantur, qui conuenientia ad diuersos usus, & ad rerum nostrarum amplificationem opera relinquunt. Expedit nanque, ut sit uita instructior, & societas hominum retineatur, unumquemq; certum aliquod munus, quod sibi tractandum iudicio & naturali propẽsione delegerit, obire diligẽter, & fideliter exequi. Igitur multorũ inuentis augescente hominum industria, rerum omnium copia munitiores & locupletiores ut essemus, quoq; parata & in promptu alia atque alia inuenirẽtur, artes propè innumerabiles, mutuum inter se auxiliũ ferentes, utiliter sunt institutæ, & per multa tempora consultò retentæ, distributis conuenienter muneribus, quæ quique in hac uita exercerent, & studiosè persequerentur. Ex opulentia agricolarum acceptum frumentum, ignara adhuc ætas, laboriosè in molis, quas trusatiles dixerunt, circumagendis terebat: pòst rotis, aqua, uento, aut iumentis conueniẽter impulsis, melius id ipsum fecit inter duas molas, is qui nunc Molitor nominatur: à quo secretam è furfuribus farinam, addito fermẽto, & perfusa calescẽte aqua, Pistor subigit:

Cella. Horreum. Frugi agricola. Agriculturæ laus. Artium multitudo. Molæ frumentariæ. Pistor.

atque

atque confectos ex ea massa panes (calidis primùm cineribus nondum exculta ætate operiebant) in furnum coquendos immittit. Præter multa genera deliciarum, necessitas rerum maritimarum, ad diuturnitatem nauticos panes, rursus atque iterum *Panis.* coctos, indurare docuit. Panis quotidianus est, & communis mortalium cibus: cui quasi suauius & salubrius cōdiendo, præ- *Opsonia.* ter cætera Agriculturæ multiplicia cōmoda, in quo genere est succidia, à domestico fundo accepta, & in carnario suspensa, etiam animantum, bouis, udituli, ueruecis, & porci carnes, recenter in portiones dissectas, Lanius uenales habet. Vbertatem & suauitatem omnis generis piscium è fluminibus, piscinis, lacubus, & uasto mari, magna in ijsdem capiendis hami & retium industria usus, Piscator importat: quæque canum singulari sagacitate, uenatu ceruorum, aprorum, & leporum nanciscimur, atque aucupium perfert: ut ita bestijs terrenis, aquatilibus, & uolantibus commodè uescamur. *Ciborum delectus & opportunitas.* Quorum omnium ad uictum quotidianum uarietate & copia, ut sunt facultates, quo id diutius fieri posit, ut est cuiusque ad temporum anni idoneam rationem diuersa corporis cōstitutio, atque parabilis, moderati, & salubris cibi cura, magnus fit delectus. Eam ad rem ut multorum in præparando minuatur labor, iam parata à diuersis hominibus uaria opsonia promuntur: idque in maioribus potissimum ciuitatibus, propter multitudinem & frequentiam externorum, ac eorum qui solis opificijs tractandis, atque mercibus distrahendis occupantur, præter alios, uacationem laborum habentes. Nam con- *Penus.* fectum iam panem ex alio accipimus, uinum inde, conditas sale carnes, coctas etiam, pisces, aues, olera, cæteraque uictus communis ad penum pertinētia, in quibus singuli uersantur. At in prin- *Coquus.* cipum & locupletum familijs eruditi palati Coquus, ad sapores discernendos introductus: qui ex omni auium genere, & diuersorum animalium selectis partibus, additis suis & accommodatis cuique condimentis, delicatos cibos reddit: in quibus uoluptatum blanditijs, & gulæ irritamentis exquirendis, hominum cupiditas longius & curiosius à cōmuni usu recessit: præter id, quòd aceruatio saporum pestifera est, & condimenta ualetudinem incommodam reddunt. Artem hanc adiuuant, & in omni genere lautis ciborum conditionibus instruunt, olitores, salsamentarij, fartores, dulciarij, cupedinarij: ita nanque à necessarijs *Conuiuia.* orsa primùm cuncta, ad nimium uenerunt. Igitur cum se dare iucunditati, præter domesticam, consuetam, & priuatam cuiusque uictus rationem, delecti homines, communis societatis amantes, beneuolentiæ inter se confirmandæ gratia, in locis amœnis, domesti-

domesticis,aut publicis, cum ij qui nobis sunt sanguine uel affinitate coniuncti,æquales etiam,contribules,& populares,cum externi hospites aduenerint: cunq; nuptiæ celebrandæ, apparatis opiparè & artificiosè conditis epulis,splendidè excipiuntur. *Instructor.* Instructoris & conditoris Prudentia,quid primò, quid secundò apponi debeat.Iurulenta,elixa,assa,tosta,& frixa,quæq; sunt epulæ diuersi generis, aptisimè distinguuntur, & fercula opportunè asidentibus atque accumbentibus collocantur:cœnam claudunt secundæ mensæ,& bellaria. Hic liberalibus & iucundis sermonibus exhilarātes sese,humaniter & communiter uiuunt: inde est Latinis Conuiuiorum nomē accommodatum. *Hospitia publica.* Sed necessariò hominibus ultro citroq; commeantibus,præter sancta hospitij atque amicitiæ iura, opportunè illis & commodè excipiendis, passim locis regionum idoneis, in ipsis uillis, simul & oppidis, diuersoria, cauponæ, ac publica Hospitia sunt conuenienter disposita, in quibus peregrinātes paratum cibum capiant, iumenta reficiantur, cæteraq; ad subleuandos peregrinationum labores pertinētia, in promptu habeantur: quod est maximum tuendæ huius communitatis hominum, & præsens adiumentum. *Cultus corporis.* Proxima uictui diligentia fuit cultus ac uestitus, in propulsandis externis ab aere commutato iniurijs,tuendi sui caussa: quandoquidem cætera animantia, etiam in ipso ortu, tegumentis suis naturalibus obducta sunt: at homo delicata, tenera, & molli cute nudus, quasiq; inermis, ac rebus omnibus destitutus: ingenij tamen celeritate, omnem necessitatem uincente præditus, nascitur. Quocirca uti obuio & simplici alimēto prisci homines, sic etiam cultu imparato, necessitatis & uerecundiæ caussa, primùm contenti fuere. *Tegumenta.* Exposita erant arborū lata quædam folia, & pertenues cortices: sed his magis accommodatæ ferarū, quas fortè ceperant, detractæ pelles & exuuiæ: maius fuit, & solertis ingenij, ut est à necessitate ad rerum ornatū progressio, cætera, quę multis temporum spacijs deprehensa sunt, & retenta, præsidia adhibuisse. *Pannus.* Itaque ex tonsa ab ouibus lana, inde lota, discreta, & collecta, nendo tenuissima fila ducunt: quibus araneorum telis instar, artificiose contextis, Pannus conficitur, cuius magna est ad cultum hominis opportunitas, & ex uarietate colorum, quibus ab infectoribus tincta est eadem lana, ornatus. Sunt artifices, qui aptissimè textis lanæ filis, capiti contegendo pilea, diuersi utique coloris & formæ, adornant. *Tela.* Præter hæc ex decorticato lino & cānabe, stupas dicunt, ad molliciem lanæ tundendo coactas, tenuior & candida fit Tela, quæ magni est usus ad res domesticas; ut sunt mātile, mappa, linteum, interior

tunica, ad mundum muliebrem instruendum, ad uela, retia, & *Sericum.* funes. Sed maioris est ornatus, cum Bombyces uermiculi, maximo Naturæ artificio, subtilissima fila deduxerint, parare ex his diuersorum colorum pannos, ad locupletū & principum *Aureæ uestes.* cultum: similiter è filis auri & argēti ingeniosè pannos maximi *Peristromata.* precij intexere. Fiunt etiā ex lanæ filis, uarijs coloribus tinctis, textilia opera, quæq; acu pinguntur, aulæa, peripetasmata, stragulæ, peristromata, tapetia, eorum quæ terra cœloq; conspiciuntur, figuris consimilia: historiæ etiam, & fabellæ, ad ornatum, & aspectus oblectationem, in ijs habentur: uillosis oriens potissimum utitur. qui hæc opera relinquunt, Textores nomi*Sartores.* nantur. Iam uerò ut panni usus sit, Sartoribus traditur, quē illi, demensa & æquata corporis magnitudine ac forma, ut est gentis, uoluntatis, necessitatis, etiam temporū anni, & facultatum ratio, in partes conuenientes forfice dissecant, ut easdem acu benè sutas, corpori toto uestiendo & contegēdo accommodent. *Sutores.* Cum uerò ad ingressum, & ad frigorum iniurias arcendas, firmiora pedum tegumenta habenda sint, optimè prouisum, ut è præparatis pecudum & iumentorum corijs, calcei habiles & apti ad pedem, à Sutoribus, subula utētibus, conficerētur. Annexæ & introductæ artes multæ, quæ diuersa corij genera zonis, cingulis, saccis, loculis, atque ephippijs parandis adornant. *Pelliones.* Cumq; foras per brumam ad opus, aliàq; sit eundum, nec continenter domi ad focum sedendum, paratas animantū pelles, uillis relictis, commodè uestibus interius subijciunt: quorum hæc est occupatio, Pelliones appellantur. Infinitæ sunt artes, præter eas quæ collapsa & detrita reficiūt, exornant, aut expurgant, quas curiosior uita exquisiuit, dum à necessarijs artificijs ad elegantiora, luxum & pompam nimium persequentes, de*Curationes corporis.* fluximus. Propius autem ad corporis munditias, capillum & barbam Tonsores pectine explicant, componūt, & adornant, *Lauationes.* uel nouacula abradunt. In balneis sudor manat è toto corpore, aut in aquis calidis sulphuris, nitri, aluminis, salis, atque metallorum salubres lauationes, pro morborum cuiusq; ratione, pa*Chirurgia.* rantur. Acceptas plagas curant ij, qui à Græcis Chirurgi nominantur: similiter putrefacta, conuulsa, & fracta membra, tumores, & nascentia ulcera, quæ grauius per reliquū corpus sæuire possent: & ad id multis adhibitis unguentis, ustione, atque am*Anatomia.* putatione opportunè utuntur. Cadauer ijdem, aut Medicinæ studiosi, diuersis instrumētis, nouacula, spongia, serra, terebra, malleolo, scalpello, & eiusmodi aperiūt: quo ita partium totius corporis humani situm explorēt, & omnis generis functiones

in con-

in conſpectum ſibi proponant. Itaque morbis interioribus ſanandis, diuinæ Medicorum arti etiam inſeruiunt Pharmacopolæ, qui uaria & multiplici in arte cum uerſentur, ſtirpium & herbarum omnem copiam, aromata, quæ ex oriente potiſsimum importare ſolent, & eorum omnium quæ ex animantum partibus idonea habentur, quæq; ex abditis terræ uiſceribus eruuntur, maximè diuitem ſupellectilem, cum ſint ſalutarium medicamentorum terræ pleniſsimæ, ſibi comparant. Fructus ijdem, & cibos condire, multa ægris accommodata & delicata parare didicerunt. Iidem ſuccus & liquores uarios exprimunt: oleum, uiſcum, gummi, aliaq; multiplices uires & effectus habentia, educunt: in quibus ſingulis deprehendēdis, Antiquitas magna diligentia, regiones toto orbe terrarum inuias, inacceſſas, & diſiunctas adire, luſtrare, experiri, ad communem mortaliū ſalutem, minimè eſt grauata. Miſcent illa, & uariè componunt, ut rerum Naturam, elementorum permiſcendorum ratione imitari uideantur. Inde ſuauis odoris unguenta, potiones, atq; alia ſumenda, haurienda, & apponenda parantur: ita è pluribus & contrarijs inter ſe Naturis, unam quandam mitigādis & profligandis morbis conuenientem, ſcienter efficiunt, quorum maximas utilitates longinquo temporum uſu & periclitatione animaduerterunt, & perceperunt. Sequuta eſt corporis conſeruationem, habitationis & domiciliorum cura, ut ab cœli iniurijs primi homines cum ſuis affinitate aut ſanguine coniunctis, ſeſe mutuò melius ac tutius defenderent: cum ſub dio pernoctare, ut nec commodum, ita nec ſalubre eſſe uideretur. Itaque principiò in ſyluarum cauas arbores ſeſe includere, in ſpeluncas & foueas, communi beluarum domicilio, abdere ſeſe conſueuerant: cum uiſum eſt, paratis ad hoc uehiculis, rudi adhuc ætate, cōuenientius uti: in quibus mollius decumbentes, quò nox oppreſsiſſet, ſedes cum grege & armentis collocarent. Sed conſociati homines (ita paruis ab initijs progreſſum ſemper eſt ad maiora: et frequenter aliquid faciendo, illud ipſum tandem melius facere didiſcimus) ſtabiles ſedes deligere, poſtquam utilius eſſe cognouerunt, ſimplicem auium ſolertiam imitari uolentes, luto, ſtramine, ſtipulis, & arundinibus, Caſas atq; tuguria, quo tectis ſepti, æſtus ac calorum moleſtias ſedarent, frigora & tempeſtates pellerent, ingenioſè conſtruxerunt: quibus in locis, ſocijs coniuncti animis, cōmuni opera, uxor, liberi, propinqui, amici, ſerui degerent. Edocti pòſt melius, reſciſsis uirgultis, uiminibus, ramis, ac frondibus, & ijſdem aptè ſubacta argilla intextis, firmiora aliquāto ædificia habuere. Maior uerò ea fuit induſtria,

Pharmacopolæ.

Habitationes hominum.

Speluncæ.

Vehicula.

Stabiles ſedes.

Caſæ, Tuguria.

Domus bene materiatæ.

& grauioris laboris (ita in eo quod eſt ſummè neceſſariū, multum homines occupantur) bene materiatas ædes, in multos annos duraturas, fabricari. Itaque præter uarios lapides, truncos arborum, & ingentia ſaxa excindere, aut coctilibus laterculis uti cœperunt, quo ita ſtructuras moliri, & eiuſmodi quandam

Aedificatio.

deſcriptionē facere poſſent. Primùm perfoſſa altius terra, tum lapidibus, calce, & arena, ut arctius hærerent, aptiſsimè diſpoſitis & coniunctis, firmiſsima fundamēta poſuerunt: & interius, quòd frigidus ſit locus, cellam uinariam accommodarunt. His deinde ueſtibulo & ianua, quo pateret aditus & egreſſus, reliqua, parietes omni ex parte erexere: qui quòd ibi eſſet pręcipua

Contignationes.

habitatio, luminibus ac feneſtris contignationes conuenienter diſtinctas habuere. Suis interuallis ſunt culina luculento foco ac camino inſtructa, cibis coquendis: & ad hybernandum uaporaria, atque hypocauſta. Iam diſponūtur cubicula, triclinia, & cœnacula. Quam ad rem locupletibus (nam humilioris fortunæ homines una contignatione ſunt contenti) cura eſt laxitatis, ad copioſam familiam ſeparatim capiendam, & ad hoſpites ſuos atque aduenas excipiendos. Inde columnarum interuallis multa artificioſè diſtinguuntur, pauimenta arte elaborata fiunt, ſuperiora cælatis & laqueatis operibus ſumptuoſè ex-

Tectum.

ornantur. Poſtremò his omnibus contegendis, Tectum ad arcendas pluuias, uentos, ac tempeſtates, conuenienter impoſuere: cui plerunque propter ſiccitatem, horreum ſubdere conſueuerunt. Adiuncta ſunt ædificijs cùm alia, tum etiam hortus, ſtabulum, fons, puteus, auiarium, piſcina, leporarium. Præter pri-

Publica ædificia.

uatas cuiuſque ædes, uicis ad ornatum totius ciuitatis ordine coniunctis, templa, mœnia, turres, propugnacula, mercatus, curiæ, thermæ, porticus, theatra, palatia, regiæ, & caſtella publicè

Monimenta.

maximis ſumptibus extrui ſolent. Iam uerò ad diuturnam poſteritatis memoriam ſepulcra, columnæ ac pilæ ingentes, pyramides, obeliſci, coloſsi, & arcus eriguntur. In ſtructuris eiuſmo-

Aedificiorum cauſſæ.

di ſumptuum in primis ſubducitur ratio, facultatum & rerum quæ poſsidentur, cura habetur potiſsimum ualetudinis, ad anni temporum commutationem, uſus, amœnitatis, commoditatis, ornatus, atque dignitatis, ut appareant ex diſsimilibus familijs inæquales ſtructuræ, quibus habitabiles terræ tectis & urbibus diſtinguantur: quorum hæc eſt profeſsio, Architecti dicuntur, quos eoſdem uehementer commēdat Hiſtoriarū atq;

Supellex domeſtica.

Picturę ſcientia, & ſolers dimenſionū ratio. Sed ad domos multiplici inſtrumento & ſupellectile ornandas atq; inſtruendas, innumeræ artes repertæ: quæ quo in promptu ſint omnia, &

parata,

parata, nominatim à ſingulis opificibus certæ in hac uita exerceantur. Ex omni uarietate una Fabrica, inuentu facili materia, lignum tractans, rudes arborum truncos, & paratos ex his aſſeres, norma & circino dimenſos, ſecuri, aſcia, cuneis, malleo, ſerra, terebra, dolabra expolit & exornat: opera autem relinquit, ſubſellia, menſas, abacos, lectos, ianuas, contignationes, ſcalarum gradus, columnas, parietes, atque tectum. Parantur etiam dolia, pocula, cæteraq; uaſa lignea, fagina, & hederacea: ſimiliter lecticæ, plauſtra, currus, uehicula, aratra, nauigia, quæque ſunt in tam multiplici hominum occupatione diuerſi generis. Eſt huic coniuncta, quę conuenienter torno utitur, & ligna ad globos, ſtatuas, diuerſasq; figuras exprimendas, ingenioſe ſolerterq; incidit. Magnæ induſtriæ habetur, uaria rerum inſtrumenta, Machinas appellant, nauigijs faciendis, cæteriſq; ſtructuris accommodata ſubtiliter inuenire potuiſſe, & ad uſus expeditos aptare: cum grauiora pondera funibus, perinde ac neruis in corpore animato, impellenda ſunt, trahenda, & extollenda: cum aquæ hauriendæ, aliaq; obſidionū tormentis dirigendis pertinentia: idq; facilius, celerius, minore labore & impenſa, ut præſtanti ingenio humano uires quantumuis ingentes ſuperari poſſe, ex his intelligatur. Quæſitæ etiam ad neceſſarios uſus Molæ, non ad terendum frumentum ſolum, ſed etiam ad alia quædam. Itaque è rotis aqua impulſis illa eſt induſtria profecta, cuius ratione è contuſis ueteribus, ac iam tritis lini & cannabis pannis, atque perfuſo humore, aliquot diebus maceratis, charta et papyrus aptiſsimè efformatur: qua exiccata, calamum aut pennam in temperatum atramentum tingentes, ſcribimus. Præter membranæ uſum, à Librarijs & ſcriptoribus eadē charta uſurpatur. Habuere olim librarios diuerſi generis, qui ingeniorum monumenta ſcitè & uenuſtè exarabant: horum profeſsio maxima ex parte hodie relicta, introducto nouo & laudabili ad omnem ſcripturæ celeritatē, ſuperioris memoriæ inuento: Typographiæ nomē ei arti dedimus, qua ipſa plumbeis characteribus, pro literarum atque notarum numero ingenioſe fuſis, & in cellulas ſui cuiuſque generis aptiſsimè diſtinctis, ad eandem, qua ſcribimus, rationem typos expeditè ſeligunt, componunt inuicem, quaſiq; colligant, ut paginæ totæ æqualibus inter ſe uerſibus compleantur. Has marginibus ferreis arctè, ne dilabi poſsint, concludunt, & diligenter emendant. Poſt atramento, quo hæreat, parato, duabus ſemipilis mollibus ad conuenientem reſperſionem utentes, prælo ſubijciunt, ac fortiter comprimunt. Itaque iuſto paginarum numero expreſſo,

Fabrica. *Opera fabricæ.* *Tornus.* *Machinæ.* *Molæ papyraceæ.* *Librarij.* *Typographia.*

ijdem typi diſſoluuntur, ac in ſuas cellulas reponuntur: ut reliquis totius inſtituti operis partibus effingendis, rurſus atq; iterum, pro uerborum ſerie, coagmentari poſsint. Repetitis inde frequenter utraq; ex parte eiuſmodi, quas uocant, formis, ſcriptores diuerſarum linguarū, perinde ac ſigillo ceræ impreſſo, quodam numeroſo partu in multa exemplaria celerrimè tranſcribuntur: *Typographiæ laus.* quorum ut eſt commoditas, uenuſtas, & elegantia maior, ita laborioſæ & lõgæ ſcripturæ habita ratione, precium longè minimum. Nam ſcriptoris unius libri pluris olim uenire ſolebāt, quàm hodie tota propè bibliotheca: ut priuatus libris non minus abundanter ſeſe poſsit inſtruere, quàm tum maximis ſumptibus Reſpublicæ & Principes uiri comparare potuiſſent. Effectum etiam illud eſt hac induſtria, ut ſtudioſi homines in omni genere ſcriptorū maximos progreſſus habeant: quandoquidem omnia quæ oppreſſa diutiſsimè latuerant, in lucem ad communem uſum iam proferuntur: ut ſemel editi libri, non perinde poſsint deinceps obliuione poſteritatis extingui. Digna profectò ars, quæ iuſtis de cauſsis, ſicut olim Pictura, propter maximum ſtudiorum uſum, inter diſciplinas liberales adnumerari debeat. *Glutinatores.* Libros ita uenuſtiſsimè excuſos, ut haberi in manibus, & expeditè à ſtudioſis literarum explicari & euolui poſsint, Glutinatoribus librarijs cōcinnandos tradunt. *Bibliothecæ.* Ex his Bibliothecæ tum publicæ, tum priuatæ inſtruuntur, orientem potiſsimum reſpicientes, ne à blattis & tineis corroſi libri, etiam computreſcant. Eoſdem libros pro diſsimilitudine profeſsionum in ſuos conuenientes ordines, ut inueniantur facillimè, diſtributos, diligenter adſeruant, quo non eſt locupletior alius generis hominum theſaurus. *Operoſæ artes.* Conſequuntur multiplices operariæ artes, quibus omnis uita inſtruitur. Præter ligni materiam, ex animantum oſsibus atque cornibus multa parantur: *Ebur.* ſed magni uſus eſt de Elephantinis dentibus Ebur, ad uaſa, pectines, aliaq; eiuſmodi. Ac operoſæ artes habētur, quæ maximo ignis uſu, ad diuerſas res efficiendas, cognito, ea quæ *Plaſtice.* eruuntur ex terris, fabricare ſolent. Itaq; è ſubacta argilla, atq; pingui & tenaci luto, uaſculorum minoris impendij plurima genera, urceos, lateres, ollas, lances, tegulas, cæteraq; fictilia opera præparant. Inde etiam ſimilitudines, figuras, ſtatuas, atq; ſimulacra, ut quiduis imitari, fingere, & formare didicerint: quæ ipſa inductis uarijs coloribus, in ardentes fornaces poſita, magis indurantur: qui illa tractant, Figuli, ars Plaſtice nominatur. *Vitrum.* Arenis autem, & ſtirpium cineribus, ſolerti temperatione colliquefactis, Vitrum in quas lubet formas conflari poſſe, ad

diuerſos

diuerſos uſus deprehenſum. Hoc eodem fiunt pocula multipli
cia, feneſtræ & lumina illuſtriora ſunt: etiam ſpecula, imagini-
bus reddendis, aere quaſi repercuſſo, & in oculos admirabili-
ter regeſto. In ergaſtulis magno hominum labore ex ipſis uiſcę- *Ergaſtula.*
ribus terræ, metalla omnis generis eliciunt, atque effodiunt.
Ferrum ex his neceſſarij uſus, quo cæteræ artes omnes ſuũ mu- *Ferrum.*
nus ex conuenienti ad incidendi firmitatem, & ad tundendi ſo
liditatem, tẽperatione exequuntur: ignibus remolleſcit, & mal
leis tenaci forcipe, ad incudem uehementer tunditur, atque do
matur. Inſtrumenta nanq; effici uidemus agriculturæ, uectio- *Ferrea inſtru-*
nis, domus, rei militaris, & nauticæ, cum malleis & lima claues, *menta.*
ſeras, cardines, peſſulos, clauos, uomeres, ligones, falces, ſecu-
res, ancoras, aliaq; propè innumerabilia conficiunt. Sunt mul- *Horologia.*
tæ his coniunctæ artes, quæ præter alia magni ingenij opera, fa
bricatis etiam ad debitum & legitimum pondus rotis, Horolo
gia: quibus ut in ſolarijs deſcriptis, uel ex aqua confectis, edito
ſonitu horæ declarãtur: & Sphæras, orbium cœleſtiũ uarium *Sphæræ.*
motum ac ordinem referentes, ſolerter præparant. Eſt autem *Ferri incom-*
ferrum temeritati hominũ inuentum, non ad neceſſarios uſus *moda.*
ſolum, ſed ad noſtram perniciẽ, cum fabricant, præter cultros,
etiam gladios, enſes, clauas, thoraces, galeas, ſagittarum & lan-
cearum ſpicula acuminata: idq; ad bella, ad cædes, ad homici-
dia: ut optimum ſit ferrum, idemq; peſsimum uitæ mortalium.
Omnes terræ fibras perſequimur, in uenas penitus abditas ho
minum auaritia altius progreditur. Aere, quod primùm ab ho *Aes.*
minibus inuentum putant, utimur ad inſtruendam uaſis fami-
liam, ut ſunt lebetes, ahena, cacabi, lucernæ, lampades, candela-
bra. Inde etiam ſtatuas atq; ſimulacra fingunt. Scriptorum uti-
que monimẽta, & inſcriptiones honorificæ, ad diuturnitatem
in ære incidebantur à ueteribus. Ex eodem Bombarda, inuen- *Bombarda.*
tum ſuperioris ætatis, funditur: quæ ui pulueris è nitro, ſulphu
re, & tiliæ cineribus compoſiti, atque cum fulmine affinitatem
quandam habentis, globos diuerſi generis, paruos & ingentes,
maxima pernicitate euomit: & quocunque inuaſit, cuncta pe-
netrat, diſturbat, ac diſsipat. Fiunt è plumbo uaſa, unguentis et *Plumbum.*
odoribus diutius conſeruandis accommodata. Similiter è ſtan *Stannum.*
no ad excipiendas eſcas idonea parantur: quo eodem ænea ua-
ſa illita, gratiores ſapores faciunt, & cõpeſcitur eruginis uirus.
Sed precij maioris, quæ argento & auro conſtant, ad locuple- *Argentea &*
tum domos diuite & magnifica ſupellectile inſtruendas, pocu *Aurea.*
lis, calicibus, ſignis: quibus Cælatura multũ inſeruit, dum præ- *Cælatura.*
ter uaſa ingenioſè fabricata, annulis & coronis gemmæ artifi-

cioſè

cioſè includũtur. Iidem numiſmata, torques, & emblemata, plena artis opera, ſolerter conſtruunt. Auri bonitas indice lapide

Chemia.

probatur, igne perſpicitur, trutina pondus examinatur. Chemiam uerò tractantes, expenſa diligenter metallorum Natura, & quæſita quadã inter ſe amicitia, ad diſſolutionis & coagmentationis interiorem & occultam rationem, quo ex uilioribus in precioſiora commutari poſsint, multis rerum experimentis occupantur, confiſi arte minuere ſe poſſe eorum quæ à Natura, in ipſis terræ uiſceribus, fiunt diuturnitatẽ. Sunt hæ omnium maximè laborioſæ artes, quæ igne utentes, & malleo, ab horis plerunque antelucanis cõtinenter in obeuntem uſque Solem operi intentis opificibus, ſumma induſtria exercẽtur.

Opificum in uicos ciuitatis distributio.

Itaque ijdem opifices propter uarietatem & multitudinem nominatim ſunt in uicos idoneos diſtributi, ut in ſingulis ſinguli uerſentur, & ſit ſpecioſa diſtinctis tabernis & officinis totius ciuitatis forma. habent quandoq; appenſa & expreſſa ſigna, quibus emptores admoneantur, quæ apud quoſq; uendi & fabricari ſoleant.

Opificum approbatio.

Commendantur ijdem aſsiduitate, diligentia, uigilantia, labore, fide, & probitate, quibus excitata celebri de ſe fama, multum confirmantur. Præterea ordine ſua omnia diſponunt, & cõuenienter collocant, ut inueniri expeditè poſsint. Parſimonia item & frugalitate, quo diutius in his uerſari poſsint, res ſuas plurimũ ſtabiliunt: impenſarum, laboris, lucri diligentẽ habent rationem, & omnes conſeruandi atque diſtrahendi quærunt opportunitates.

Opera.

Sed opera probantur materię precio, integritate, & bonitate: tum formæ elegantia, uenuſtate, & conuenientia: dein artifice maximè idoneo, ſolerti, & perito: pòſt fine, quòd eadem opera faciant ad commodos, aptos, atque neceſſarios uſus, & ad

Materia.

diuturnitatem habeantur. Ac materiæ bonitas, locorum etiam diſcrimine & uarietate cognoſcitur, quãdo res plurimæ alijs in locis meliores naſcuntur, & inueniuntur. Temporũ etiam quadam ratione iudicari ſolent, cum deteriora alia, uel utiliora, ſuis temporibus fiant: quę omnia multo rerum communium uſu & tractatione deprehẽſa atque percepta, non ſcriptis, aut ullis ſermonibus ſatis intelligi comprehẽdiq; poſſunt.

Relaxationes.

Sed nec ſemper ſeriæ & operoſæ mortalium omnium occupationes: quæſitæ ſunt ad ſuſtentandam commodam ualetudinẽ, relaxandorum animorum & corporum, ne grauitati laborum ſuccumbant, opportunitates, inuitamenta, atque oblectationes. Nulla enim uitæ pars, nullaq; conditio his carere poteſt, ſiue corporis uires ſint renouandæ ac reficiendę, ſiue animus leuandus, & reuocandus ab ijs moleſtijs, ærumnis, curis, ſolicitudinibus, quæ uitam

omnem

omnem uariè diſtrahunt: ut conuenienti hac intermiſsione & remiſsione, ad propoſita perſequẽda uegetiores & paratiores inde reuertamur. Itaque cum è ſenſibus principatum oculi teneant, his quaſi paſcendis inuenta ab hominibus Pictura uidetur, ars in primis liberalis, ingenua, & inter liberales repoſita, ut nobilioribus adoleſcentibus olim cognoſcenda proponeretur: quæ eadem ex umbrarum profecta lineamentis, accedente ſingulari artificum æmulatione (approbationis quippe ingenij & ſolertiæ magis, quàm quæſtus rationem habent) alijs atque alijs inuentis, eorum formas, decentiam, & uenuſtatẽ, quæ toto orbe terrarum cernuntur, expreſsè & appoſitè refert, atq; imitatur. Varios etiam animorum affectus, & animi motus affingens, ut artis admiratione ſolum in his ſermonem, aut ſpiritus deſiderari, homines pronuncient: ſiquidem penicilli debita aſperſione conuenientes, cuiq; rei ſuos adhibent colores. Hac eadem Pictura, eorum qui locis atque temporibus à nobis diſiunguntur, & diuerſarum actionum effigies, forma, atque memoria diutius ſeruatur, cuius uſus loco fuit hiſtoriæ: inde tabulæ & parietes illuſtribus picturis artificioſè exornati, ut aſpectus rerum multarum totius Naturæ, ſpacia & tractus regionum, in domos ad omnem oblectationis uarietatem introducantur. Coniunctæ huic Sculptura atque Cælatura, eiuſdem uſus & delectationis. Alter aurium ſenſus, concentuum ſuauitate in primis afficitur, præter uocalis Muſices oblectamenta, atque gratas auium uoces, inſtrumẽtis diuerſos, & eos diſtinctos ſonorũ modos, homines artificioſè ſunt imitati, oris conuenienti inflatione, fiſtulis, ac tibijs, follium impulſu, atque uario tactu: ſimiliter in eliciendis digitorũ, aut plectri opera, neruorum ac fidiũ ſonis: cuiuſmodi ſunt cithara, lyra, & teſtudo, aliaq; multa, ab ingenioſis quæſita & exercitata, quorum omnium in ſolennibus celebritatibus & epulis magnus eſt uſus. Sed ad utrunque ſenſum ſimul recreandum, etiam odoratum, à conuiuijs æquales ijſdem ſtudijs imbuti, aut eiuſdem conditionis potiſsimum, iucundis inambulationibus per hortos, odorum ſuauitate gratos, & uirentibus herbis ac floribus conueſtitos, per amœna ſalicta & plantaria, per ſyluas, arbuſta, colles, prata, & uarios fluminum decurſus, per lacuum ripas, & lætiſsima oræ maritimæ littora, multum exhilarantur. Quæ ipſa eadem à ſingulari Prouidentia, non tam ad neceſſarios uitæ hominum uſus, procreata ſunt, quàm ut undiq; in omnibus eſſet admirabilis, ad conuenientem generis hominum oblectationem. Incidunt plerunque iucundi ſermones, qui aut de dome-

Pictura.

Muſices inſtrumenta.

Inambulationes æqualium.

Colloquia familiariũ inter ſe.

ſticis rebus,& familiaribus negocijs habentur: aut de Republica,& communium temporum cōditione: aut de artificum laudabili induſtria, & de egregijs operibus, quæ illi efficiunt, de gentium diuerſis inſtitutis ac moribus, de ueteri rerum geſtarum memoria, de abditis & obſcuris rerum naturaliū cauſsis, de liberalibus artium ſtudijs,atque multiplici literarum tractatione. Nam ij qui lōgis peregrinationibus, rerum uario uſu & cognitione ſunt inſtructi,ſimul & homines literati,in tanta eorum quæ ſcriptis ueterum ac recentiorum continentur,magnitudine & multitudine, quæq; ex aliorum dictis ſuſcitata multum ingenia per ſe excogitant,ſermones docti,uarij,& eruditi minimè deſunt,de quibus amicè inter ſe conflictentur,ſuauiter

Vrbanitas. & utiliter conferant. Admiſcētur eiuſmodi colloquijs feſtiuæ, iucundæ,& acuminis cuiuſdam pleniſsimæ narrationes, fabulæ ingenioſæ,ſubtilia ænigmata,non ineptæ & raræ dubitationes,facetiæ item,ſales,ioci,omnisq; illa Vrbanitatis doctrina: argutè etiam, ſcitè, & breuiter dicta,illuſtres & graues ſenten-

Apophthegmata. tiæ, quæ Apophthegmata uocantur: ijſdem hominum ſocietas & coniunctio,depoſita omni ſeueritate negociorum,atque

Luſus genera. occupationum grauitate,retinetur. Præter puerilia luſus genera,quæ multiplicia habentur, illi ætati accōmodata,minus probari poſſunt, quæ diuerſis placent, aleæ, tali, teſſeræ,foliorum uarij luſus, acierum maximè ingenioſus & militaris conflictus: præſertim ſi non intermiſsionis, ſed quæſtus minimè liberalis

Spectacula. gratia exerceantur. Oblectationis etiam ſunt theatra & ſpectacula ſcenicorum,in Comœdijs & Tragœdijs agendis atq; recitandis, & hiſtrionum ac ſaltatorum uarij, longa exercitatione acquiſiti motus,& artificioſi geſtus,atque Circulatorum mirandæ artes,ocioſæ multitudini tenendæ,cum multa minus ue-

Exercitationes. ra,ut uideantur tamē,repræſentant. Sed corporis uiribus,quę ocio langueſcunt,optimè firmandis, plurima introducta exercitationum genera,curſus,ſaltus, iactus diſci,ictus,lucta,nata-

Pila. tio,geſtatio,nauigatio,uectio,equitatio, luſus etiā pilæ, æqualiter animi ſimul & corporis uires exercentis, quæq; ſunt eiuſ-

Militares exercitationes. modi propè innumerabilia. Militaris autē exercitationis ſunt, gladiatorum certamina,& athletarum: arma inde omnis generis conuenienter tractare,lanceis cōcurrere, inſilire in equum, eundem ſcirè circumagere, & uariè decertare: tum etiam ferarum uenatu aſſueſcere: præterea minoribus bombardis & arcu globos atque tela ad ſcopū dirigere. Interijciuntur hæc continentibus laboribus nō incommodè, & conſultò, ne corpus ſatietate aut faſtidio abalienetur, aut nimia grauitate atq; pondere

dere

Relaxationum modus.

dere opprimatur. Verùm eadem cum sunt immodica, superuacanea, aut intempestiua, ut plerunq; ab ociosis fit, maximo exitio esse tum firmitati corporis, quæ conuenienti labore conseruatur, deprehendimus: tum etiam mentis integritati, quæ ad seria, grauia, & ad uitam cõmuniter degendam necessaria à prudentissimis referri debet. Itaq; multis & diuersis elaborãtibus, ut diuinitus cõdita sunt omnia ad usus hominum, ita alios alijs prodesse debere, communibus utilitatibus in medium allatis, prudenter animaduersum: ut commutatione officiorum, dando, accipiendo, tum artibus, tum opera, tum facultatibus hominum inter homines societas cõmodè retineatur. Quandoquidem rebus ita ultrò citroq; commeantibus, uita hominum munitior fit, nihil ut in omni genere eorum quæ arte & manu effecta sunt, desideretur. Et eam ipsam ad rem cùm Natura bono cõsilio cunctas terras peculiari munere uoluerit dotatas, ut fruges apud alios in copia et bonitate maiore, apud alios locorum ratione laudabilius uinum nascatur: similiter ut omnis generis stirpes atque animantes, gemmæ, lapides, metalla, liquores, oleum, fructus, lanæ, & eiusmodi plurima, ad conuenientes usus uitæ mortalium sustentãdæ, diuersis in locis habeantur: cumq; apud alios suis occasionibus multiplicia opificum & artificum opera fiant, utiliter introducta est Mercatura, quæ multa undique, quibus egemus, laboriosè atque periculosè inuehens, & multa eorum quibus abundamus, exportans, longè lateq; disiunctos toto orbe terrarum homines, communibus eiusmodi præsidijs & cõmercijs, ut coniunctiores sint, perficit. Ex Mercatorum numero alij in uniuersum uendunt, collecta ex diuersis, ut emptores postea illa per partes alijs reuendant: alij quæ perceperint, & fabricarint: ita nulla est inter homines uarietas maior, aut occupationum dissimilitudo, quàm eorum qui opera conficiunt, & eadem longè lateq; transferunt: maxima habita ratione mensuræ, numeri, & ponderis: ut est rei cuiusq; propria Natura, commoditas, & gentis cuiusque sua, ac longo tempore seruata consuetudo. Inseruiunt Mercaturæ diuersa hominum genera, præter baiulos, sunt aurigæ, qui equos ac boues iungunt, ad uehicula, plaustra, & currus trahendos: similiter onera ijsdem equis, asinis, mulis, camelis gestanda imponũtur. Est etiam Nautica ars fructuosa quidem, & ad multiplices res facilius, minoreq; impensa transferẽdas, maximè conueniens: sed magnis naufragiorũ periculis exposita, quæ in fluminibus, lacubus, & uasto mari exercetur. Ratibus, coniunctis rudibus lignis, principiò sunt homines usi: maiore deinde audacia naui

Rerum & operum translatio.

Terrarum peculiaria munera.

Mercatura.

Mercaturæ quæ inseruiant.

Nautica.

Nauigia. gijs faciendis animum conuerterunt. Primùm nanque carinam, fundamenti instar, suis costis texuere, parietibus omni ex parte ad formam prægrandis uasis assurgentibus: hos clauis, ut hæreant, firmissimè connectunt: & pice, ad prohibendũ aquæ ingressum, illiniunt. Pars prior nauis, prora: quæ est posterior, puppis nominatur: hanc suis partibus constructam, remis longè latéque impellunt, perinde ac mobiles in eo elemẽto domus. *Vela.* Sed ad incredibilem celeritatem reperta uela, quibus tanquam uelocissimis equis, uentorũ ui nauis fertur & incitatur: ut quas res uiolentissimas Natura genuit, earum moderationem homines habeant. *Gubernatores.* Gubernatores ij sunt, quibus nauticæ scientiæ peritis, locorum ac temporum ratio multiplici rerum usu & tractatione cognita & explorata: ut frequenter circunspicientes cœlum, stellas tanquam duces sequuturi, maria etiam atque terras, minus errabundo cursu per immensum uagentur, & in tutissimum portum, atque eum destinatum, se ac sua omnia prouehant, atque recipiant. Eiusmodi onerarijs nauibus omnes undique ad uitam copiæ, alijs ad alios translatis, suppeditantur. Præter multiplicem rerum indigentiam, qua diuersi premuntur, sequuta negociorum & commerciorum inter homines uarietate & magnitudine, alij Reipublicæ administrationi, & rei militari, alij præclarissimis literarum & doctrinæ studijs, Medicinæ cognitioni & exercitationi, atque Diuinis literis occupati, uacationem à cõmunibus uitæ huius laboribus necessariam habuere. *Permutationis usus relictus.* Ex dissimilibus huiusmodi studijs, & uitæ degendæ conditione, tanta est facta hominũ inæqualitas, ut relicta difficili & impedita rerum permutatione, ad translationum æqualitatem seruandam, necesse fuerit intermediũ aliquid, quo metiri omnia possent, quærere: ac primùm certa pondera ex particulis æris, argenti, & auri ultrò citróque sunt commutata: precij operum & mercium ad uenditionem & emptionem introducendam, facta ab artificibus æstimatione: quam ad rem precium copia minuitur, sed augetur raritate & indigẽtia. *Numi introducti caussa.* Pòst ad uitandas imposturas, Principum & Magistratuum publica autoritate firmata, qui cudẽdæ monetæ ius habent, ex ijsdem metallis Numus signatus: æstimationem amittit, uiliore metallo permixto, remissione & amplificatione precij, aut ponderis diminutione. Facilis iam uisa est hæc permutatio, intermedia pecunia, ut ætatum consequentium approbatione, apud omnes gentes fuerit retenta. Factum inde, ut qui eiusmodi numos haberet, quæcunque ad uictum & cultum, cæteráque usui uitę necessaria essent, commodè sibi suísque posset cõparare, & peregrè obeuntes,

obeuntes, ijsdem opportunè instruerentur. Vitiosum deinde fuit, sed in negociationibus regionū disiunctissimis atq; transmarinis uisum est expedire, propter metum periculorum, & ad opportunitates minimè prætermittendas, è pecuniæ mutuatione, præter institutam primùm rationem, fructum aliquem percipere, cuius eiusdem pecuniæ immodicū studium res priuatas & publicas sæpissimè labefactauit.

Fœnus & usura.

Diuitiæ.

Qui diligētia, assiduitate, & parsimonia cæteris præualent, mercium magnitudine & multitudine, auri & argenti signati numero, facti ornatu, atque infecti pondere, ædificijs, agrorum possessione, inde locupletum nomen, seruis omni artificiorum genere peritis, supellectili, omniq; ornamento domus, armentis, pecoribus, & ad opus faciendum diuersis iumētis, sunt instructi.

Usus opum.

Diuitias & opulentiam comparant, quam horum laborum & periculorum præmium atq; perfugium homines statuunt: quo quasi instrumento iuuantur, ad usus uitæ degendæ necessarios, ad commoditatem rerum acquirendarum, ad liberalitatem in ferenda salutari indigentibus ope, & ad gratificandi facultatē, ijs quibus prouisum ac consultum uolunt.

Abusus.

Abutimur autem diuitijs inconsiderata, quæ fundum non habet, largitione, & fomite malorum auaritia, atque in luxu, & perfruendis homine indignissimis uoluptatibus.

Paupertas.

Commiserationis est, humanæ conditionis habita ratione, Paupertas, quæ aut uirium corporis imbecillitate, aut grauibus infortunijs, alijsq; uitæ calamitatibus est oppressa: quæq; solis facultatibus destituta, emergere nequit, ad ea uitæ obeunda munera, quæ sibi quisque cum iudicio delegerit.

Humilis conditio.

Humilis & mediocris conditio, nullis, aut minimis implicata & constricta rebus, perniciosas curas, animos multum exagitantes, eximit, & præclaris cogitationibus liberas habet rationes, cum excitantur ingenia ad res maiores inueniēdas, cumq; omnem industriam ad res tractandas adferunt, ut præter commodam ex assidua corporum exercitatione ualetudinē, & singularem uitæ integritatem atque probitatem, animi etiam tranquillitatem et securitatem, quicquid inter mortales est magnoperè laudabile, primordia ex hac priuata et solitaria uitæ degendæ ratione duxerit.

Prouidentia in communibus huius uitæ rebus.

Sunt enim omnia non modò in rerum naturalium rato & constanti ordine, sed etiam in hac communi mortalium uita, certo atque diuino consilio, & summa Prouidentia, diuersis rationibus introducta. Itaque eiusmodi occupationibus hominum dissimilibus, hanc uitæ societatem uariè implicari expedit, & communes utilitates in medium adferre, ut alij pecunias habeant, alij artes ad communem usum exerceant,

ceant, alij præſint, & res adminiſtrent autoritate, potentia, & facultatibus: periculoſa nimium fuerit, ad euertendam publicam *Rerum communitas.* ſalutem, rerum æqualitas & communitas. Nam frequentes contentiones, atque acerbas, etiam inter ſanguine & iure aut affinitatis, aut amicitiæ coniunctos, exoriri uidemus: ut non ea ſit futura communis diligentia, aut idem ſtudium in conſeruandis rebus: cum alij alijs nimium confiderent, cumq́; optimi improborum & ocioſorum iniurijs expoſiti, rebus laborioſe partis, iniquè priuarentur. Ac nec in tanta hominum malicia ſatis inuenirentur, qui uitæ accommodata uel inquirerent, uel ſuſceptis tantis laboribus, quos ſuſtinere conuenit, præpararent: ut multorum temporum uſu & tractatione, priuatarum rerum (quo certus quiſque ſit, quid poſsideat) *Rerum proprietas.* per ſingulos adminiſtrandarum comprobata ſit ratio, & magnis de cauſsis conſtanter retenta. Itaque fieri conſultò exiſtimandũ, bonitate noſtræ Naturæ impellente, non aliter quàm uidemus diuerſas eſſe corporis functiones ad unam conſeruationem, & animi ad eandem rationis conſenſionem: ut alij imbecilliores, fortioribus cõſilio, Prudentia, æquitate commendatis, uolentes acquieſcant, & legitimè imperantibus parêre uelint: ſine quibus communitas & congregatio generis hominum minimè poteſt firma, ſtabilis, & diuturna retineri. Altera iam ſequitur pars libri huius de Prudentia, quæ in uniuerſum de hominum rebus inter ſe uerba facit, atq; totius multitudinis, à familia progreſsione facta, communem & publicam tuitionem enumerat. *Oeconomia, hoc eſt, de tuenda re familiari.* Igitur ut hæ mortalium diuerſæ occupationes, quibus domus ſupellectile inſtruitur, locũ idoneum habeant, quando ſeparatim nulla coniunctione effici commodè poſſunt, & uagis libidinibus opportunè occurratur, conſeruationi generis data eſt uxor, *Coniugium.* & partis utriuſque legitima conſenſione diuinitus inſtitutum Coniugium, prolis ſuſcipiẽdæ cauſſa, liberis noſtris certius recognoſcendis, & familijs rectè ac liberaliter ab unoquoque inſtituendis atque informandis: ut ſit bene morata, beneq; conſtituta familia, quaſi perfugium ſolicitudinum & curarum omnium: quando hic prudenter non rixandi quæritur ulla occaſio, aut contendendi: ſed intimæ beneuolentiæ, ac mutui amoris iucunditas, totiuſq; animi hilaritas & tranquillitas. Eandem uxorem noſtris accommodamus uiuẽdi moribus, ut ſit perpetua comes laborum, & incommodorum omnium fidelis ſocia. Parua enim eſt quędam Reſpublica cuiuſque domus, ſuis inſtitutis & legibus ordinata, atque ad unius imperium ſeſe componens: in qua eadem omnia ſint inter uxorem & maritum communia. Siquidem arctior eſt habenda in ciuitate,

& prima

& prima hæc ſocietas muneribus conuenienter diſtributis: ut cum uir audacior ſit, & robuſtior, externas propulſet iniurias, *Viri & uxoris munus.* labores grauiores ſuſtineat, atque domum neceſſaria importet; fœmina autem timidæ Naturæ, importata condat, ſeruet, tueatur, promat, & conſideratè, tanquã publicis in rebus Quæſtor, ſuis diſtribuat. Eadem charitate eſt maiore, ſtudio erga liberos, & patientia, ad molliter in tenera ætate illos nutriendos atque educandos: aut cum fieri id non poteſt, ſelectis nutricibus commendandos. Domeſticas operas & curas ſuſtinet illa facilius, quæ uiri animum abalienare poſſent, & diſtrahere. *Liberorum institutio.* Grandiores uerò factos, idem uir, cum ſit prudentior, domeſtica diſciplina informat, aut Pædagogis erudiendos tradit, & Ludimagiſtris: ut in concurſu æqualium, laudabili æmulatione ad doctrinam certatim amplectendam, uehementius inflammentur: inde ex ſcholis digreſsi, ciuilia inſtituta, mores patrios, ritus, & leges cognoſcunt. *Dominus.* Dominus in familia, gubernatoris inſtar clauum tenet, & imperium, totius curam ſuſcipit, luſtrat ipſe, & circunſpicit omnia: progreſsiones rerum, incrementa, ac ſucceſſus notat. Et ad eam rem, ualetudinis confirmandæ gratia, ſimul & rei familiaris amplificandæ, ſuo unius exemplo cæterorum diligentiam excitat, & ante lucem operi manus admouet. Ac in ampliore familia, propter negociorum magnitudinem, & rerum adminiſtrationem, ſua obeunt ſeparatim munera Serui, *Serui.* aſsiduitate, ſolertia, obſeruantia, ſobrietate, taciturnitate, patientia, & fide potiſsimum commendati. His cum alimenta ſubminiſtrant, ac debitam mercedem perſoluunt, fit, ut in officio & labore commodè retineantur. Eidem Prudentiæ domeſticæ, pecuariam, agriculturam, uenatum, piſcatum, architecturam, mercaturam, ac regiæ domus adminiſtrationem plerique ſubijciunt, & eiuſmodi nonnulla, de quibus ſuis locis, ad ordinem totius tenendum, meminimus. *Diligens impensarũ ratio.* Quocirca eorum quæ in agro & uilla percipiuntur, quæq; ad diuerſos uſus pro facultatum ratione impenduntur, diligens & accurata habetur ratio: non prætermittuntur occaſiones rerum agendarum: nihil eſt tam puſillum, quod à frugi & attento patrefamilias negligatur: ſupellex omnis, inſtrumenta, uaſa, arma, ueſtes, frumenta, uinum, cibi, ad ſuos & conuenientes uſus ſeruantur, debito ordine diſponuntur, atq; collocantur. *Parsimonia.* Sed ad rei familiaris certiſsimam conſeruationem & amplificationem, præter diligentiam & uigilantiam, nullum uectigal locupletius, quàm frugalitate & parſimonia uti, atque uendacem potius quàm emacem eſſe: ut ad quotidianũ uictum, cultum, ac ædificiorum uſum neceſſaria ſuppetant: & liberis,

quorum

quorum præcipuus noſtri ipſius ſanguinis communione, Natura ingenitus amor, relicto conuenienti patrimonio, bene ſit

Liberorum nuptiæ.

prouiſum: quibus ad iuſtam ætatem prouectis, et honeſtiſsimis uitæ artibus informatis, cõueniens moribus & cõditioni (quando parem pari coniungi debere, tutiſsimum à prudẽtiſsimis ueriſsimè pronunciatur) adoleſcentibus uxor communiter ſuſtinendis ſumptibus dotata: filiabus, quæ iam grandes & nubiles ſunt, maritus datur. Atque ij ſimiliter ſuis prouident, & ætatis progreſsione imbecilliores factos parentes, ijdem liberi iam robuſtiores, pia eiuſmodi relata gratia, adiuuant. Eſt hæc generis hominum continuatio perpetua, & laudabilis progreſsio, quæ nulla omnino eſſet, niſi familiæ talibus coniugijs legitimè con-

Affinitates & cognationes.

ſtituerentur & confirmarentur. Itaque cum eiuſdem ſanguinis una in domo capi non poſſunt, in alias domos, tanquam in colonias, ſeparatim res ſuas commodè, & ſine ulla mutua perturbatione adminiſtrare uolentes, exeunt, cognationibus ita factis locupletioribus, & affinitatibus: qua beneuolentię coniunctione,

Rerumpublicarum ſeminarium.

& arctiore charitate, homines plurimum deuinciuntur. Multiplex hæc familiarũ propagatio & ſoboles, Rerumpublicarum bene inſtitutarum principium eſt, & origo. Locus in quo naſci-

Patria.

mur, Patria dicitur: cuius in animis noſtris atq; ſenſibus tantum ſtudium eſt ingenitum, ut multa huic poſtponamus: etiam pro illius ſalute & conſeruatione mortem oppetere, honeſtum iudicemus: quæ eadem plurima beneficia in ſeſe continens, magna charitate eiuſdem loci homines optimè cõplectitur: ut ad communem patriam concordibus animis augendam, tuendam, & conſeruandam, facilè ſint homines coniuncti inter ſe, congrega-

Homo ſociale animal.

ti, & retenti. Eſt enim homo diuinitus ad ſocietatem, & ad communitatem progenitum animal: ut præter alias multas ciuiles, quæ deſcribi ſolẽt, rationes, ideo ex fera & agreſti uita primùm

Primum Religionis ſtudiũ.

ſeſe homines congregaſſe tradant: quo non ſolum de admiranda mundi totius fabrica inter ſe accommodata colloquerentur, uerùm etiam, quod maximè referebat, de ſupremo Deo ſanctè, innocenterq; ſentirent, deq; eius immẽſa erga genus hominum benignitate, mutuis confirmati animis, & uoluntatibus ijſdem, ſumma omnia ad uitam moderandam pronunciarent. Religionis locus ad finem hiſtoriæ de Sapientia eſt repoſitus, ut conueniens ſit cœptum de multitudinis adminiſtratione curſum ſuis

Homines ad cœtus celebrandos conuocati.

incrementis iam perſequi. Itaque circa rerum initia, ſine mutuis inter ſe præſidijs, ita diſiuncti homines, & ſeparati, nihil ſe effecturos cum intelligerent, frequentes cœtus concelebrare oportere cognouerunt. Inuitabat communis ſocietatis deſiderium,

ſiquidem

ſiquidem homo animal eſt Natura congregabile, et ſolitudinis minimè patiens: uſu deinde atque conſuetudine mutuus quidam ingeneratus amor confirmatur: ut is naturalis conſociationis affectus, recto iudicio, ui rationis, & morum ſimilitudine impulſus, conſtanter inuicem illos retinuerit. Firmiſsimum etiam fuit linguæ eiuſdem uinculum, ad uoluntates patefaciendas, in conferendis ſermonibus de ijs rebus, quæ communiter & priuatim eſſent neceſſariæ. Nam rerum difficultate interueniente, frequenter cōſultare inter ſe, ac deliberare, ad publicam incolumitatem retinendam, cœperunt: quæ fuere coniunctionis humanæ, atque ſocietatis primordia. In collocandis igitur ita multiplicatis familijs, ad ſedes ſtabiles firmandas, cœli primùm ſalubritatem & temperiem prudentiſsimè in locis editis delegerunt: agros dein fertiles, percipiendis frugibus: pòſt irrigua prata, nemora, & ſyluas, ad pabuli ubertatem, atque materiam uſui ædificationis accommodatam: ſimul & lapides, ac terram tenacem, lateribus faciendis. Aquarū etiam copiam ex ſcaturientibus fontibus, aut effoſſa altius terra, è puteis hauriendam, ad neceſſarium potionis uſum ſibi, armentis, pecudibus, & iumentis præbendum. Inde conueniens, à Græca fontis uoce, Pagi nomen deducitur. Quæſierunt pariter fluminum & lacuum opportunitates, atq; maritimas regiones littoribus, quibus in locis habitarent, portuoſis factis: idq; ad res ſuas transferendas, & alienas recipiendas, quo ita rebus omnibus neceſſarijs abundanter undique inſtruerentur. Quocirca in eiuſmodi rerum primordijs nondum conſtituta certa uitæ degendæ ratione, cum in loca uacua ueniſſent, è communibus quodammodo facta ſunt propria, ut conſequentibus deinde temporibus, ſuis de cauſsis ad diuerſos fuerint translata. Erat quippe hominibus propria quædam eiuſmodi ratio conſtituenda, & æqualitatis ius conueniens, ad omnem tranquillitatem uitæ retinendam, ut ſpacijs regionum, immobilibus terminis ac limitibus circunſcriptis, certa cuique eſſet, ad quam colendā ſua diligentia impelleretur, & diſtincta poſſeſsio, ne ab ocioſis, labori aliorum confidentibus, incultum & deſertū ſolum relinqueretur, néue per auaritiam temerè alius in aliena irrumperet: unde Litis nomen, à dimotis limitibus originem traxit. Atque ita frequentes diſcordias ex eiuſmodi rerum communitate naſci & exoriri ſolitas, hiſce artibus prudenter ſedarunt. Igitur ab immanitate quadam, & feritate, ad humanitatē, manſuetudinem, ciuilitatem, & iuſtitiam progreſsi homines, diſperſas locis diuerſis domos, maiore impellente charitate, propius coniunxerunt: &

Linguæ eiuſdem firmum uinculum.

Sedes habitationi accommodatæ.

Πηγή.

Rerum occupatio.

Termini ac limites.

Litis nomen.

Hominum ciuilitas.

runt: & facta eſt ad hanc rationem, iunctis in unum ædificijs, *Vicinia.* Vicinia, in qua res ad uictū neceſſarias mutuis laboribus præpararent, atq; communis permutationis iura omnia ſeruarent, ſimul & metuendas ferarum incurſiones cōiuncti melius prohiberēt. *Rerum affluentia.* Omnibus negocio intētis, breui in copia res affluunt, & magnę opes ab hominibus modeſtis, luxus atq; lautitiarum ignaris, cōparantur. *Contemptus.* Sed in opulentia cum bene ſecum agi quique putāt, ingenito primo noſtræ originis errore, cæteros contemnunt, nullius iam præſidijs ſe egere exiſtimantes, ſecuro ſe eſſe poſſe animo, inflantur quodammodo, ſuperbiunt, inſoleſcunt, magna eorū qui humilioris ſunt fortunæ, deſpicatione, ut populares ſuos & tribules minimè pares eſſe præ ſe ferant. *Luxus.* Conſequuntur omnis generis deliciæ, luxus, immodicæ uoluptates, atque impudentia: & quod grauius eſt, humiliores contumelioſè laceſſunt. *Odium & contentiones.* Illa in hominum odium & inuidiam facillimè trahuntur: inde magnarum contentionum ſeminaria exoriri, & graues rerum motus inter homines cernimus: dum nemo ſe contemni, & rebus neceſſarijs deſtitui uult: dum multi ocioſi tantum habent, quantum manu ac uiribus, per cædem & uulnera, aut eripere, aut retinere poſſunt. *Prædatores.* Itaque prædandi animo, alienis ut laboribus utātur, quamcunq; occaſionem arripiunt. Ac cum ita diſsimiles ſint animi, & prauis affectibus ducantur, diuerſis è locis, eiuſdem conſpirationis homines in agros alienos irrumpunt, & populantur omnia: quibus fortioribus aduerſari uolentes, unum in locum præſidij gratia conueniunt: eódem iumenta & gregem deducunt, atque ſuas comportant facultates, *Vicus.* ut Vicus iam amplior coniunctis pluribus ædificijs reddatur. Hæc primùm fieri ſolita ſunt priuatim, inter uicinos, *Bella.* propinquos, & coniunctos: inde multis coaleſcentibus, tota gens & populus in alios fecit impetum, ut publica odia publicis iniurijs, graui multorum ſtrage ulciſci cœperint. *Arces.* Quam ad rem locis regionum ſuarum opportunis, in collibus, & ad anguſtias montium, Arces & caſtella, immiſſa cuſtodia, & firmo præſidio cōmuniunt, quibus aduenientes hoſtes arceri & prohiberi poſsint, ne ſubita & repētina irruptione aut incurſione, nec opinantes & imparati à quoquam opprimantur. Incidunt *Rerum nouarum ſtudioſi.* homines flagitioſi, & rerum nouarum auidi, qui omnia permiſcent, & cōmotos iam per ſe animos, ad mutuam iniuriam inferendam ſolicitant & prouocant, ut acerbius iam ad uim faciendam, & ad infeſta arma res deducantur. Igitur cum nec illud ſatis eſſe uideretur, uicos eiuſmodi & arces habere, cumq; grauius premerentur, ſpe maioris cuſtodiæ rerum ſuarum, & ut

ipſi

ipſi communiter in tuto uiuerent, ſuis ipſorum uiribus nixi, & communis patriæ cõſeruandæ ſtudio adducti, multa adiumenta introduxerunt. Eſt enim hominum animus in excogitandis ſalutaribus præſidijs maximè ſolers, ut ſi quid primum fefellerit, nouis, atque ijs melioribus inuentis, rerum ſucceſſum & euentum confidenter experiri uelit. Loca itaq; quæſierunt, non ſolum Natura per ſe munita, atq; hoſtibus minimè peruia, ad fluminum flexus, & ad collium altitudinem: uerùm etiam artis ratione, uicos eiuſmodi alta foſſa, uallo, mœnibus, omniq; opere, ac turribus extrà prominẽtibus, & oppoſitis propugnaculis cinxerunt atque ſepſerunt: relicto circa mœnia uacuo ſpacio, quod Pomœrium dicitur. Loci ita multitudine domiciliorum, & coniunctione tectorum in unum concluſi, Oppida ab ope, aut opibus ferendis, nominantur. Vrbes etiam, ab aratri curuatura, quam aruum dixere: ſiquidem priſcos homines in condendis urbibus primam deſignationem atque deſcriptionem aratro feciſſe traditur. Hic prętcr communem ab externis quibuſque defenſionem, concordes animi, ordinis atque iuris conſenſu, morum beneuolentia, & utilitatum communione ſociati, multa adiumenta & ornamenta ad rerum ſuarum amplificationem & conſeruationem, maximis contentionibus inquiſierunt. Eiuſmodi hominum conuenticula, quòd mutuo quodam uinculo ſocietatis omnis multitudo coeat in unum, Ciuitatum nomen habuere. In eadem hominum frequentia opportunum eſt, communis uſus & conſuetudinis ratione, multa ex diuerſis cognoſcere, & experiri plurima, ut homo homini diſcendi eſt & proficiendi ſumma occaſio. Ciues itaq; ſociati ſuis legibus, conſilijs, & inſtitutis, res omnes moderantur, atque rebus omnibus ad uitam tranſigendam neceſſarijs, cumulatè ciuitatem inſtruunt. Frequentes nanque coloni, quibus eſt demandata agrorum cultura, certis diebus cõſtitutis euocantur, conueniunt, & omnem Agriculturæ opulentiam uenalem exponunt. Locus inde à ferendo, Forum dictum: ſimiliter nundinæ, quòd nono die in urbem coloni uenirent: mercatus etiam, & emporium, ab emendis rebus, & uendendis, atque omni negociatione, appellatur. Iidem agricolæ uiciſsim artificum & opificum uaria opera, ac inſtrumẽta, quæq; ad uitam pertinent, facta eiuſmodi neceſſaria permutatione, exportant. Accommodata quippe eſt hæc occupationum diſtinctio, ne qui ocioſi degant, quod eſt cõmunitati pernicioſum, ut alij in agris degentes, operi ruſtico ſint aſsidui, & cõtinenter in eo uerſentur: alij omnis generis opificia laborioſè exerceant: alij obijcientes

[Margin: Solers hominum animus. — Oppida. — Pomœrium. — Vrbs. — Ciuitas. — Hominum utilis conſuetudo. — Vtilitatũ communicatio. — Forum. — Nundinæ. — Hominum diſtinctio.]

sese periculis, finitimas ciuitates, atque socias, & plures gentes excurrant, quo res faciant ita communes, & sint mutua hominum etiam locis disiunctorum auxilia. *Morum deprauatio.* Sed nec in ipsa ciuitate incrementis aucta, sibi constare satis possunt: ea est morum deprauatio & licentia, ut cum defensionis gratia in ciuitatem conuenerint, securi inter se esse nequeant, multa sint pericula, premantur alij ab alijs, perturbẽtur omnia, & misceantur grauius, quàm hostilibus incursionibus: ita fit, ut cum deest externus hostis, in nos ipsos, & in nostra uiscera sæuire iam non reformidemus. *Viri ad rerum administrationem asciti.* In tantis difficultatibus, & multorum querelis constituti, publicæ utilitatis habita ratione, expedire cognouerunt (fœminis interim domesticis negocijs retentis) ut ex uiris alij suis laboribus occuparentur: alij rerum administrationi, ætate, usu, consilio, Prudentia, uirium & animi præstantia atq; magnitudine commendati, publicè præficerentur: quibus ijsdem ad tuendam communem tranquillitatem, summa rerum ac imperium est delatum, ut illorum fidei se, suaq; omnia, decernendi autoritate, quod æquum bonumq; uideretur, concessa, tutissimè traderent. *Stipendia.* Inde quo statum suum possent conseruare, nec cæteris ad uitam agendam rebus nimium distraherentur, factum, ut eiusmodi publici consilij autores, publicis facultatibus etiam adiuuarentur. *Dominatus.* Est autem illud imperium tenere, atq; parêre & obedire, adeò rationi cõsentaneum, ut ad omnem rerum incolumitatem, naturali quodam iudicio et admonitione, alia quæ potiora sunt, præsint: alia uerò, quæ imbecilliora, consultò obsequantur. Itaque ab eiusmodi primordijs Respublica è dispersa, dissipata, confusa, perturbata, liberè errante, nullo neque naturali, neque ciuili iure descripto, nullis institutis ac legibus euagante, in statum meliorem atque ordinem est adducta. *Sodalitates.* Nam cum uis rationis, & innata illa societas, quæ homines primùm conciliauit, etiam bonos ciues ad cœtus inter se concelebrandos impelleret, similitudine occupationum atque negociorum, simul affinitatis & sanguinis iure, cõsuetudinis & conuictus beneuolentia, alios congregante, instituti sunt in ciuitate conuentus, sodalitates, epulæ, & cõuiuia publica: quæ quòd ex ijsdem popularium ciuium conuenticulis constarent, diuisa est ciuitas in certas classes, ordines, collegia, & tribus. *Tribus.* Ex dissimilibus his ciuitatis partibus, ut sunt diuersæ, consentientes tamen rerum cœlestium & elemẽtorum effectiones, sequuta urbis certa constitutio, atque Magistratuum ad omnem consensionem, mutuamq; concordiam descriptio, ex omni multitudine in Tribus distincta: ijs delectis, qui propter iudicij maturitatem,

Magistratuum institutio, & Demarchia.

tatem, rebus communibus administrãdis utiliter præfici posse uiderentur: ij fuere grandes natu potissimum, probitate, æquitate, integritate, iustitia, usu rerum, atque tractatione comprobationem omniũ habẽtes, qui ex priuatis honorati, & in publica dignitate constituti, omnia Reipublicæ in tranquillitate & *Magistratuum munus.* æqualitate retinendæ adiumenta inquirere, cupiditates & libidines, ne latius serperẽt, coercere, iura & iudicia describere cœperunt. Ex ijsdem alij muniẽdæ urbi adhibiti sunt, qui altiores *Vrbẽ munire.* fossas perducerent, & muros frequentibus ac firmissimis propugnaculis distinctos construerent: ut communibus animis, cum necessaria interueniũt tempora, prædari & irrumpere uolentes possent prohibere. Præter hanc diligentiam alia fuit, ad *Aedilium occupatio.* exornanda, atque in omni mundicie conseruanda publica urbis loca, & ad communes ciuium usus accommodatiora facienda: cuius generis esse solent, forum, pauimenta, itinera, templa, ductus aquarum, deriuationes fluminum, pontes, portus, naualia, atque moles prægrandes fluctibus obiectæ: simul & ea quæ sunt ad emerendam populi gratiam quæsita, ut ludi, certamina, & spectacula: Aedilium hæc fuit occupatio. Morum ac *Censura.* uitæ integritati, pudori, atque modestiæ, ad minuendum priuatum luxum, ac immodicas in conuiuijs, cultu, & structuris impensas tollendas, sumptuarijs legibus institutis, atq; ad ponderum & mensurarum æqualitatem retinendam, grauitate, seueritate, animaduersione, & autoritate probati Censores præfuere. Qui autem fructus ex uectigalibus, tributis, animalibus, *Quæstores.* metallis, frugibus, re nummaria, sale, saltubus, mercibus perciperentur, eosdem ad sumptus diuersis de caussis publicè sustinendos, & ad necessaria bellorum tempora, in publicum ærarium Quæstores, probitate & integritate laudati, reposuerũt. Inde & alij, qui Annonę præessent, delecti, ne plebs immodico *Præfecti annonæ.* precio alimentis constituto, graues motus in Republica excitaret: dum est fertilitas, frumenti uim & copiam in horreis, atque leguminum: & in cellis publicis uini, olei, salis, succidię, ad sterilitatis incidentia tempora, belli etiam, prudentissimè recondidere. Fuerunt, qui excubijs agendis, ad omnem ciuium noctu *Præfecti uigilum.* dormientium securitatem adhiberentur, Præfecti uigilum nominabantur: hos cura, diligentia, atq; uigilantia multum commendabat. Quarum utriq; rerum necessaria uidebatur memo- *Scribæ.* ria, fides, & locuples testimonium, tam in publicis, quàm in priuatis rationibus & commercijs, Scribę, autoritate & fide publica recepti & confirmati, ne qui in tanta hominum dolis & fraude uiuentium, palàm tergiuersari auderent, ad omnem diutur-

nitatem pacta & conuenta inter ciues, diligenter literis obsignarunt: ut cum opus esset, recognosci ex eiusmodi tabulis, & comprobari tutissimè possent. Atque ita omnis ciuitatis multitudo, duas in occupationes potissimum à primordijs est diuisa, quarum una publicis rebus administrandis, autoritate confirmata, praeesset: altera ad omnem rerum uitae cultui pertinentium necessitatem, diuersis artibus exercendis retenta subesset, atque obsequeretur. Ac in tanta multitudine nec tantus erat Magistratuum metus, quin plures certa & innata malicia grauiter delinquerent, ut cõtra uim & iniuriam alij Magistratus fuerint instituendi. Nam flagitia, & diuersi generis maleficia committebantur, doli, imposturae, furta, rapinae, incendia, stupra, adulteria, proditiones, ueneficia, homicidia, atque parricidia. Quam ad rem cum nihil priuatis & publicis admonitionibus efficerent, & in eiusmodi uitae genere illi perseuerarent, necessariò supplicia, ad priuatam uindictã tollendam, & ad coercendam hominũ cupiditatem atque contumaciam, sunt introducta. Ac proinde multorum querelis deferuntur ad publicè constitutos rerum capitalium iudices, in carceres, uincula, & compedes missi, ac conie-cti, tormentis atque cruciatibus, quae commiserunt, pronunciare & confiteri cogũtur. Illi re cognita & comprobata, aut absoluunt, cum innocentis falsa est accusatio: aut nocentis pecunia fisco adiudicatur, & fit bonorum proscriptio: aut pro loci, temporis, personae, rei, caussae, & facti ratione, ad metalla mittitur, relegatur in exilium, & deportatur: aut capitali supplicio in illum animaduertitur, pro genere criminis, unius aequitatis praescripto semper res moderante, plagis, uerberibus, ignominia, seruitute, talione, ferro, laqueo, aqua, & igne: quo eiusmodi exemplis coetus hominum non corrumpantur, & improbi à facinoribus patrandis, hoc grauium suppliciorum metu & terrore auocentur. Dirimendis autem ciuilibus cõtrouersijs, litibus, & omnis generis actionibus persequendis, cuiusmodi plures hominibus à naturali simplicitate, modestia, & integritate recedentibus, in ciuitate exoriuntur: ut ius suum ab insidiatoribus optimè quisque conseruent, aut quod est laudabile, metu grauioris incommodi: siquidem immodicos sumptus facere oportet, componunt inter se, & amicè transigunt: aut concordes, ad arbitros ex propinquis, amicis, popularibus, & grauibus personis delectos, caussam omnem disceptandã referunt. Sin minus, in rebus difficillimis, & maioris momenti, id fieri debere uideatur, ad publicè constitutos iudices, consuetudinum, morum, & legum peritos, ac interpretes, quibus legitima concessa est iuris dicendi potestas,

Duplex ciuitatum occupatio.

Capitales caussae.

Suppliciorum genera.

Ciuiles caussae.

Controuersiae ac lites.

testas,summo iure agere uolentes,confugiunt. Hic certæ iuris sui persequendi formulæ,de omnibus rebus cõstitutæ,& multo usu, atq; longa caussarum exercitatione comprobatæ, quas minimè transgredi expedit,ne quis aut in genere iniuriæ, aut ratione actionis errare possit. Itaque uaria incidunt, cuiusmodi est contumacia,dilatio,exceptio fori,aut iudicis declinatio. Accusatoris est probare,Rei inficiari. *Litis contestatio.* Lite cõtestata,quæ princeps est negocij pars, ab ijs quæ accusator proposuit, patroni aut aduocati opera sese tuetur reus. Tabulis & instrumentis diligenter ac fideliter excussis,cõiecturis,signis,cæterisq; rerũ multiplicibus argumentis,idoneis testibus, atque iureiurando, ad rei ueritatem dicendam,omnia inquiruntur,probantur,& cognoscuntur. *Iudex.* Iudex uerò sedens pro tribunali, collectis senatorum sententijs, ad eorum rationem, quæ producta sunt utrinque,& comprobata, prudenti, fideli, diligentiq; rerum ac personarum,in quibus actiones sunt positæ,habita ratione & æstimatione,ex legum atque consuetudinum communiter ad omnes pertinentium præscripto,quod rectum,uerum,bonum,& æquum est,decernit,ac pronunciat. *Prouocatio.* Condemnatus aut stat iudicio,aut bonitate suæ caussæ fretus,ad supremũ ordinem prouocat. Eadẽ caussa de integro est cognoscenda,latæ hic à Præside aut Principe sententiæ parendum omnino, & publica autoritate ad hoc confirmata,acquiescendum.Impensæ factæ plerunque ab eo persoluuntur, qui litem perdidit. Restituitur in sua alius,quæ occupabantur, ut ita ciuium inter ciues optanda seruetur æqualitas. *Iuris æqua descriptio.* Quæ duæ res,caussæ uidelicet capitales & ciuiles,cum probè administrantur, communi Iustitiæ exercitatione,salua est ab iniurijs,& incolumis humana coniunctio, societas, & congregatio, ut sit locus cæteris Reipublicæ præclaris institutis. Sed spretæ ac neglectæ, odio, ira, metu, gratia, amore, precio corruptæ, in manifestum rerum omnium discrimen,statum principatus adducunt. *Iudicis uirtutes.* Cõmendatur in iudice singularis in facto & iure cognoscendo facilitas,& in parte utraq; audienda attentio, atque patientia, maturum iudicium, considerata deliberatio, longo rerum usu comprobata Prudentia, excellens in ferenda sententia grauitas, clementia, animi magnitudo & constantia. *Magistratuum potestas.* Statuunt etiam ijdem Magistratus de summa rerum, ut ad suscipienda arma hortari,& à susceptis reuocare possint. Itaque de amicitijs & societate contrahenda,ac de ferendis legibus deliberant, potestatẽ habent uitæ necisq;, ac publicis rationibus reddendis præsunt: ut quæ illi publicè decreuerint, iussa, rata, & firma habeantur. Locus in quo illa

tractari

Curia & Senatus. tractari & exerceri solēt, Curia & Senatus dicitur. Libertatem, *Libertas.* quam amplectantur, sibi proponunt: pro qua conseruanda oc- *Aequalitas.* cumbere, pręclarum & honestum ducunt. Vnam æqualitatem inter se amant, æquo iure omnia metiri uolētes: & attentè prouident, ne qui superiores præter conditionem reddantur, metu ne illi principatum inuadant, & cæteros sibi subijciant. Quam ad rem frui tutò rebus omnibus ad uitā necessarijs, & in copia uolunt, quibus assequēdis omnia præsidia inquirunt. Ciuitates eiusmodi plerunque in rebus gerendis concursu hominum, in exercenda mercatura, & rerum prudenti administratione frequentantur & locupletantur. Itaq; familijs sese ad urbis portas *Suburbia.* dilatantibus, uiciniæ fiunt, & Suburbia coniunguntur: quæ eadem similibus de caussis multitudine & opibus aucta, difficillimis bellorum temporibus necessariò muris & fossa concludun- *Locuples ciuitas.* tur. Atque ita locuples & ampla ciuitas redditur, ut cuiusq; est maius in sese conseruanda studium, & in rebus tractādis maior Prudentia: quibus & principatum comparare, & fines longius *Status ciuitatum conuersio.* proferre possint. Nam aliæ è tam multis ciuitatibus atque principatibus, toto orbe terrarum diuersis temporibus constitutis, statum suum diutius retinent: aliæ uarijs rerum incōmodis debilitantur, & inclinant: ut sunt continentes humanarum rerum *Domesticæ cōtentiones.* omnium uices ac conuersiones. Statum igitur cōmutantes, grauissimis, ijsq; domesticis contentionibus uariè exagitantur: primùm occultis, pòst apertis & manifestis, ut in periculū ueniant. Plebs irritata in potentiores, agrorum & possessionum tantam inæqualitatem ferre non potest, & multo minus se cōtemni patitur. Ac nec ipsi, qui rebus præsunt, satis inter se consentiunt, multis deliberantibus, non quæ expediunt cōmunitati ciuium: sed priuatis affectibus ac commoditatibus obsequuti, de rebus consulunt. Sententiæ magis numerantur, quàm ponderantur, ut multa minus prosperè eueniāt: dum enim alter alteri nimium confidit, plurima negligūtur. Priuata etiam odia ad Rempublicam adferuntur, ut ab ijs quibus minimè fauent, perperam po- *Plebis tumultus.* tius, quàm cum aliquo successu res geri exoptēt. Hæc plebi cum referuntur, etiam ut fiat locupletior, commouetur facilè, & temerè in Magistratus insurgit: uaria committuntur, maximo humani generis detrimento, & atrocia certamina. Rebus in hanc & illam partem distractis, qui ex clade remansere, publicæ salutis retinendæ bono consilio, accedente communi suorum consensu, aut pristinum Reipublicæ statum reuocant, atq; retinent: *Optimatum genus Reipub.* aut aliud constituunt, & ad Optimos quosq; uirtute, nobilita- *Aristocratia.* te, opibus, doctrina, & eloquentia præstantes, atque eos Rei-

publicæ

publicæ in primis studiosos, summam administrationis potentiam referunt. Mutato iam ex populari in optimatum genus Reipublicæ statu, alia studia, aliæ contentiones & uoluntates oriuntur: ut consideranti attentius hasce rerum humanarum progreßiones, incrementa, & conuersiones, uideri poterit illud esse uerißimũ, Principatus suam quandam adolescentiam, maturitatem, & senectutem habere: quod in hominum ætatibus, annorũ acceßione fieri cognoscimus. Ex quo intelligitur, æternam esse mentem, quæ interioribus consilijs, quam in partem uelit, Principatus soleat transferre, & ex aliorũ ruinis alia firmare, & summa Prouidentia stabilire. Igitur è nonnullis ciuitatibus sunt, quæ contentæ suis institutis, longa consuetudine firmatis, nihil de ijs immutantes, eadem cõstanter seruant. Pleræque acceptas à prudẽtibus Leges, ad coercendam impudentiam latas, introducunt, sine quibus Respublica non facilè constituitur, & eas diuturnitate temporum approbatas retinent, & nisi considerate quicquam de ijs commutant: ut si nouę proponantur, ad ciuium concordiam prioribus, naturali quodam iudicio cõsentaneas recipiant. Id fit, cum temporum, locorum, rerum, ac personarum certa & diligens habetur ratio, cum eædem leges sunt apertæ, ne uerborum & sententiarum captionibus obscurentur: cumq́ꝫ ad unam communem ciuium utilitatem totæ sunt cõparatæ, & omniũ unanimi consensu receptæ: ad quarum rationẽ iura de finibus, de hæreditate, de commercijs, de cæde, alijsq́ꝫ delictis, plenè sunt descripta: utile idcirco existimantes, certis legibus iudicia moderari, ne cuius aut ignorantia, aut incertis opinionibus, uiribus, arbitrio, & gratia, æquitatis prescriptum frangatur, legibus per se ab omni affectu, iracundia, & cupiditate uacãtibus: ne ue cum certum ius extat, à multitudine imperita, iudices nomine corruptionis temerè accusentur. Est in his ciuitatibus bene moratis & institutis, iuris æqua descriptio, certior quidam rerum omnium ordo, & excultior uiuendi modus, atque disciplina, ut procerũ illustria exempla suos omnes ad imitationem inuitent, & publica iussa, uitæ modestia & integritate comprobent: nihil nisi cõsultò & considerate, præeunte Magistratuum Prudentia ac diligentia; aggrediuntur, ea inquirentes præsidia omnia, & consilia, quibus honestis artibus augeri ciuitas opibus & ditione poßit, quibusq́ꝫ illa eadem optimè conseruari: ut publici consilij rectores & autores, usu atque rerum scientia cõfirmati, studium omne ad moderandã Rempublicam adferant, ad decus, dignitatem, & bonum publicum conseruandum. Itaque præter alia

Legum præstantia & usus.

Leges quid efficiant in Rep.

Bene morata, beneq́ꝫ constituta ciuitas.

multa, diligens initur ratio, ut rerum neceſſariarum ad totius uitæ cultum copia abundet ciuitas, omnis generis opificibus, & mercatoribus diuerſis, externa importantibus, et domeſtica uiciſsim aliò transferentibus. Quam ad rem ne alios alij in negociando anteuertant, ſuum priuatum quærẽtes commodum, *Monopolia.* Monopolia dicunt, attentè prouident, ut ſit libera omnibus, & æqua negociatio. Priuati homines pacificè cum ciuibus degunt, tranquilla & ſedata omnia cupientes. Ad Magiſtratus obeundos, ex iiſdem admittuntur: qui locupletiores facti, tantum proceſſerint, ut primarijs uiris poſsint adæquari. Sed ad *Iuuentutis ad literas informatio.* maximè neceſſariam iuuentutis informationem, publicis, & ijs liberalibus ſtipendijs, eruditi literarum magiſtri, magno iudicio delecti, euocãtur: à quibus prima, & ad diſcendum optimè comparata ætas, in præclariſsimis doctrinæ ſtudijs retinetur: quandoquidem hæc eſt omnium uehementer laudabilis, eademq; in primis conueniens opera, qua optimi ciues, maximis gerendis Reipub. muneribus, ab ijs incremẽtis ſalutariter præparantur. Nam hęc ipſa ſunt eiuſmodi, ut inſtitutionis pręſtantia, & proſpero ſucceſſu æſtimari facilè poſsit futurus cuiuſque *Peregrinationes.* ciuitatis ſtatus. Et quoniam diſsimilia ſunt hominum ſtudia, atque alia ſuis occaſionibus ab alijs melius tractantur, ſicut ſtirpes alijs locis alias meliores naſci uidemus, ad multiplicem rerum cognitionem nihil accõmodatius, & ad communem Prudentiam comparandam fructuoſius, quàm mores, inſtituta, & leges diuerſorum populorum, quantum quibuſque prodeſſe quæque ſoleant, peregrinationibus didiciſſe: qui id commodè facere poſſunt, liberos domeſticis doctrinis inſtitutos, in alias atque alias regiones emittunt: in quibus ea diſcunt, quæ in patria commorantes, nunquam eſſent aſſequuturi. Inde præter alios multos, *Scribæ.* Scribæ atque *Legati.* Legati, quibus ad externa tranſigenda negocia utuntur: publica ij mandata perferunt, exponunt, et uices totius Principatus in ſumma dignitate gerunt. *Medici.* Medici etiam, quorum opera morborũ diuerſa genera curari poſsint, illa locorum luſtratione, plurimum inſtruuntur. *Iureconſulti.* Iurecõſulti, à quibus regitur publica & priuata ciuitatis ſalus, atque conſeruatur. *Theologi.* Theologi, quorum laudatiſsimis ſtudijs ſalutaria Chriſtianæ religionis documẽta traduntur. *Militaris exercitatio.* Reliquam iuuentutem neceſſarijs belli temporibus ad arma omnis generis conuenienter tractanda, multis exercitationibus uires ac robur cõfirmantes, inſtituunt, atq; præparant. *Munera Reip.* Munera cętera adminiſtrandæ urbis diſtributa, ad parandũ difficilibus temporibus commeatum, ad recondendas in publicum ærarium facultates, & ad armamenta-

mamentarium omni armorũ uarietate ac copia instruendum. Equestris ordo paratus atque instructus ad repentinas quasq; ciuium cõmotiones, aut externorũ nec opinatas incursiones. *(Equestris ordo.)* Fœderibus ad uires amplificãdas diuersæ Respub. inter se coniunguntur, ut ita mutuis auxilijs tueri sua facilius possint. *(Fœderatæ ciuitates.)* Plebe interim sine uiribus ad obsequium parata, & mutua ciuium concordia ingentes opes breui comparãtur, & maior assurgit potentia, negociorum magnitudo & multitudo consequitur: *(Opulentia.)* cum necesse habent illis aduersari, qui eiusmodi incremẽta prohibere conantur. Finitimorum nanq; rebus confectis, magnæ & longinquę expeditiones suscipiuntur, & uario rerum gerendarum successu præda & prouincijs locupletantur. *(Expeditiones.)* Sed rebus secundis & affluentibus, animi semper insolescũt, ut nec domi quies, nec tranquillitas ulla esse possit, plebe cõmota & sollicitata, seditiones exoriuntur grauiores, quas periti Reipub. conseruandæ uiri, summa Prouidentia cõprimunt, & omnes offensionum caussas opportunè subtrahunt, atque occultatis Reip. morbis salutariter medentur: *(Domesticæ contentiones.)* qui eo sunt perniciosiores, quo minus à quibusque intelliguntur: quando neglectæ seditiones leues etiam, & perexiguæ, eiusmodi sunt, ut si non primò sedentur, celeriter magnum incendium excitent, quod postea nulla ui, aut ratione extingui possit. *(Seditionum ratio.)* Itaque maiores caussæ in forum adferuntur, & maioribus contentionibus eædem tractantur, quibus agendis iuuenes dicendi periti adhibẽtur, quorum est pręcipua ingenij laus, & in libera Repub. ad animos ciuium retinendos & impellẽdos maximus usus. *(Caussæ forẽses.)* Nam Eloquentiæ commendatione & præsidijs, non minus quàm ui armorum, populum ad omnia obsequentem habent, & in debito officio tuentur. *(Eloquẽtiæ uis.)* Eadem manifestus etiam humillimo cuiq; ad autoritatem, gratiam, honores, potentiam, aditus patet. Quæ autem Senatorum sententijs dijudicata sunt, & pronunciata, ijs parendum omnino est, & acquiescendum, Senatusconsulta inde appellantur: ut in qua Repub. plebs aliquid potest, Plebiscita. *(Senatusconsulta.)* Rebus igitur affluentibus, perpetuum illud, ut difficile sit statum tranquillum seruare. Adeò est propensa à summo inclinatio, ambitione, communi Rerumpub. peste, illustrium & potentum uirorum animos occupante atq; solicitante, dum alium alius dignitate, autoritate, gloria, diuitijs, gratia, uiribus, & principatu anteuertere contendit. *(Ambitio.)* Ex tanta hominum inæqualitate, dum censu & opibus Magistratus eliguntur, spretis humilioribus, multæ incidunt contumeliæ atque iniuriæ. Factiones inde, simultates, seditiones, & tumultus perfacilè exoriri solent. *(Factiones.)* Mi-

Corruptiones. ſcentur omnia,& diſtrahuntur. Iam captare intentius ſuffragia, muneribus & largitionibus, cęterisq́; artibus nihil non audere, tentare, & efficere. Atque ita cum publicis commodis priuata anteponuntur, certum exitium rebus omnibus imminere co-*Ciuiles tumultus.* gnoſcitur. Populus ab ijs qui maiores opes poſsident, grauius premitur, & in potẽtiores protinus inſurgit multitudo, ut acer-*Delectus Reipub. princeps.* biſsimè ciuilis ſanguis fundatur. Pòſt rebus melius conſulturi, ad unum aliquem, cõmuni totius populi conſenſu, uirtute præſtantem confugiunt: huic, perinde ac gnaro & perito gubernatori in maximis fluctibus eſt conſuetum, ſe ſuaq́; omnia liberè ſubijciunt, qui ſolus prohibeat ab iniuria tenuiores, æquitate conſtituenda ſummos cum infimis pari iure retineat. Quocirca is publicæ tranquillitatis factus ſtudioſus, cum ab incommodis omnibus, & periculis ſuos tuetur, dominatum eiuſmodi confir mat: ſui dignum principatu & imperio iudicantes, gratiam quo dammodo habituri & relaturi, huic uolentes parent, & obſequuntur, parati eundem à quibuſcunque inſidiatoribus omni *Principatus unius.* tempore tueri & defendere. Plerunq; ab eiuſmodi initijs, unius fit & conſtituitur Principatus, qui idem uel generis legitima & hæreditaria ſucceſsione, cum filij ſanguinis cõmunione, parentum uirtutem imitaturos præ ſe ferre uidentur: uel procerum gentis & primorum, latis communibus ſuffragijs, facta electione, illius, quem ob ſingulares uirtutes Principem habere uoluerint, à poſteris lõgiſsimis progreſsionibus retinetur. Sed in Re-*Oligarchia.* publica, ſiquidẽ alia alijs occaſionibus fiunt, aliter nõnunquam res ſuccedunt, ut multitudo maiora uiribus auſa ſuccumbat, & recollectis uiribus, principes ac primarij ciuitatis uiri ſtatũ confirment, omnemq́; publicam potentiam ad ſe conuertant: qui cum pauci ſint, eorum autoritate res pro arbitratu ad priuatam utilitatem potiſsimum retinentur. Incidunt uaria, ut nonnunquam externi ſeſe in unum colligentes, maioribus uiribus regione latè uaſtata, & occupatis locis munitis, metum incutiant, & trepidationem. In difficillimis eiuſmodi Rerumpublicarum negocijs, dum omnia in manifeſtum diſcrimen ueniunt, & res ad extrema adducta uidetur, ſepoſitis domeſticis controuerſijs, ne qua diſcordia inter ſe diſtrahãtur, ad unum ex ſuis ſummam rerum potentiã, certo conſtituto imperandi tempore deferunt. *Dictatoris institutio.* Dictator olim is dicebatur, cui tanquam Principi totius dominatus, erat parendum. Itaq; ut ſunt res præſentes, qui uiri apud externos re bene geſta triumphos reportarunt, tanto ſucceſſu rerum elati, partam ſemel dignitatem atque potentiam conſtanter retinere uolunt: cumq́; rerum communium tractatione periti ſint,

riti ſint, ac uiribus Eloquentiæ multum cæteris omnibus præſtent, & opulenti facti largitionibus, nihil non moliantur, animos multorum in ſuam uoluntatem trahunt, ut facilis inter pares, qui ferre ſuperiorem non poſſunt, grauis æmulatio exoriatur. Conſequuntur exilia, expulſiones, inſidiæ, cædes: cum alij alios ſequuntur, & anteponunt, breui diuiditur in partes dominatus: quibus iam apertè inter ſe commiſsis, ſuſcitato acerbiſsimo ciuili bello (ut interiores morbi ijs qui ſunt extrinſecus, longè grauiores habentur) communem potentiam in medium rerum omnium diſcrimen, attritis uiribus, adducunt: uictis iuxtà & uictoribus, cruenta omnia, & funeſta. Igitur qui è ciuili ſanguine, & inteſtino conflictu factus eſt ſuperior, uictricijs ſignis confirmatus, cæterorũ omnium uires ad ſe totas trãhit, prohibituros comprimit, res cum finitimis gerit, ut multi tandem Principatus in unum coaleſcant. Sunt nonnullę Reſp. in tanta terrarum amplitudine, quæ diuturno uſu rerum conſtitutæ, triplici hoc ſtatu coniunctim reguntur, ut plebs non negligatur, primores ciuitatis res adminiſtrent, quibus ijſdem unus plus habens potẽtię, dignitatis, & autoritatis, præſit, atq; dominetur. Itaq; ad continentem progreſsionem ſeruandam, qui armis Principatum cõparauit, ſumma rerum, cum nullus poſsit aduerſari, uniuerſa potitur, Imperator & Rex ſalutatur, Princeps ac dominus totius, cui honores deferãt, cuiq; ſe ſubijciant cæteri uiribus inferiores, obſequia & imperata facturi, ſe ſuaq; omnia illius fidei, tutelę, & defenſioni cõmittentes. Alius iam ex optimatũ genere in Regale cõmutatus totius Reipub. ſtatus. Ille nanq; ſuſcepta totius Principatus adminiſtratione, Regiam cuſtodibus, miniſtris, & ſatellitibus, ne qua inferri iniuria, aut repẽtina fieri poſsit impreſsio, communit. Frequens procerum, potentum, ac nobiliũ uirorum comitatus, qui illum quócunque euntem proximè conſequuntur, ad honores ſuſcipiendos, & ad regia diuerſigeneris conſilia moderanda. Aſsidui ſunt circum Principem uiri à memoria, à libellis, & à ſecretis Scribæ: hi Principis mandata omnia in ſcripta promptiſsimè & celerrimè referunt. Latè per Prouincias ad rerum adminiſtrationem, & ad comprimendos factionum atque ſeditionum tumultus, Præſides, Pręfecti, & Gubernatores cõſtituuntur. Adiuncti illis ſunt Conſultores & Senatores, qui excellente Iuris ciuilis doctrina imbuti, priuatorum controuerſijs dirimendis & componẽdis, quo melius moderari iudicia poſsint, occupantur: quæ illi in conſilijs dandis reſpondere ſunt ſoliti, Prudentum reſponſa, magnæ olim autoritatis nominabantur.

Reipublicæ perturbationes.

Ciuile bellum.

Mixtus Reipub. ſtatus.

Imperator & Rex.

Principatus unius.

Principis comitatus.

Scribæ.

Prouinciarum adminiſtratio.

Prudentum reſponſa.

Principum placita. Quæstores. Rationum magistri.

Ad Principem est prouocatio: quæ decernit ille, rata, stabilia, & firma, legis instar, habentur, & Principum placita atque Constitutiones dicuntur. Interim Quæstores tributa, uectigalia, omnesq; fructus publicos, sustinendis quotidianis sumptibus, & pecuniæ in ærarium reponendæ, colligunt. Publicis etiam rationibus reddendis adhibentur alij, ne qua fraus admitti posit: qui ijdem commune Principatus bonum conseruant, & uetera omnia iura in publicis tabulis adseruata producunt: ut est diuersa in quibusq; regnis, pro rerum magnitudine & uarietate, consuetudo.

Militiæ proceres. Territoria procerum. Regia.

Sunt complures militiæ proceres: ex his est Præfectus Prætorio, Magister equitum, & Præfectus mari. Consequuntur etiam Principem & alij magno comitatu, quos Duces, Marchiones, Comites, & Barones hodie uocamus. Hos deinde manus nobilium: atque hi, pro dignitatis magnitudine, territoria toto Principatu latè posident, & eadem in sua ditione ac potestate, iura reddētes, tenent. Hos expeditos & paratos ad necessaria belli tempora Princeps habet: quibus, cum res exigit, est bellandum, ac exercitus ducendi committūtur. Regia in medio totius Principatus potisimum constituta, unde posit, quæ quibusque locis geruntur, etiam ab ultimis suarum regionum finibus, per celeres & expeditos equos protinus cognoscere.

Sceptrum. Architriclinus. Regius splendor.

Insigne regium, & maiestatis decus, sceptrum, atque corona aurea, gemmis fulgēs. Ac uniuersæ Regiæ præest Architriclinus: subsunt huic, præter alios multos, etiam instructores, qui ad quotidianum uictum, ad sumptuosos, magnificos, atq; copiosos lautiarum apparatus incumbunt, ut conquisitisimis epulis mensæ extruantur: quiq; cultui precioso, gemmarum, eboris, auri, & argenti, supellectili conseruandæ & promendæ præficiuntur. Inseruiunt nobiles adolescentes, qui militaribus studijs atque exercitationibus imbuuntur & confirmantur. Omnia fiunt cum summo splendore ac nitore: disponuntur suis locis coronæ, incenduntur odores, alia unguentis perfunduntur. Adsunt Musici clarisimi, cum instrumentis: signa, tabulæ, aulæa, præclara & plena artis opera, cum omni elegātia & copia, ad exornandum, pasim collocantur: ut sit ædium regiarum magnificentia, quæ hortorum etiam amœnitatibus, dispositis conuenienter arboribus, cæterisq; diuersi generis plantis, resplendeat. Inquiruntur omnia oblectamenta certaminum, aucupij, & uenatus: ut quidque totis terris excellens & rarum, hoc ad Principem solet perferri. Regia omnis concursu diuersorum hominum frequentatur. Mutat ille plerunque sedem, & omnem multitudinē secum trahit, ad stabilienda sua, & ad ciuitates, quæ sunt in confinijs, instruen-

instruendas atque communiendas. Studium Principis & mores sui sequũtur, grata quæ ille probat, & amplectitur. Magnæ hic aulicorum, & ad dignitatem, & ad opes comparandas, suscipiuntur contentiones: inde graues repulsæ & offensiones plerisque sunt sustinendę. Est Principis uxor Augusta & Regina,

Augusta & Regina.

uitæ comes & socia, pari dignitatis & ornamentorum splendore, frequenti nobilium uirginum & matronarum comitatu atque famulatu conspicua & illustris: suis etiam, ad statum & decus retinendum, quibusdam Præfecturis instructa. Nascitur Princeps infans, in quo est spes futuræ successionis: hic post diligentem educationem disciplinis informandus, linguis etiam

Princeps infans.

traditur, ad iura diuersis populis reddenda, & ad externorum Principum legatos excipiendos: tum liberali, & digna Principe uiro doctrina Prudentiæ ciuilis, atque Historiæ imbuitur. Inde res maiorum suorum cognoscit, & externorum facta publicis consilijs moderandis accõmodata: quando eundem conueniat multarum rerum esse peritum, ne falli à quoquam possit, & temerè quibusuis assentiri, in oculis atque in auribus tantæ multitudinis aliquando uersaturum. His equestris exercitatio, & omnis militaris disciplina coniungitur. Regno iam maturus, grauioribus negocijs audiendis & tractandis, prouinciarum administrationi adiunctis ex procerum ordine, uiris prudentissimis: & cum bella ingruunt, ne imparatus ueniat, regendo exercitui adhibetur. Finitimorum Principum affinitatem coniugio, ad res suas stabiliendas, contrahit. Patre uita functo, coronam accipit, & uniuerso Principatui maximus natu filius, cum est cæteris fratribus, si qui sunt, bene prouisum, succedit.

Regno maturus Princeps.

Affinitas.

Patri succedens Princeps.

Hic maiorum facta ante oculos posita, & omnes caussas diuinitus cõstituti Principatus, salutem & incolumitatem publicam, atq; summum Religionis studium, cum animo prudenter repetit, & ad ea ipsa se suosq; diligenter componit, statum pacificum & tranquillum res omnes consequuntur. Sed diuersis rerum ac temporum progressionibus, grauia & acerba multa, ut sunt humanæ uices perpetuis conuersionibus expositæ, interueniunt: Principe à priorum institutis, communi utilitate relicta, longius recedente: populo etiam, qui his rationibus diuinitus coercetur, insolenti facto, rebus nouis intento, & seditionum amante. Iam luxu, sæuitia, auaritia, ambitione, cuncta labefactantur: aures assentatoribus patefactę, Principis animũ pro arbitratu commutant: qui dum priuatum quęrunt cõmodum, atque res suas augere & firmare, omnem publicam salutem in maximum rerum periculum adducunt. Inde simultates, factiones, con-

Acerba Principatuum incommoda.

nes,con-

nes, coniurationes, atque conſpirationes, & omnis generis inſidiæ, ſuis rerum occaſionibus, exoriuntur. Nam alij atque alij poſitam in medio dominandi palmam exiſtimantes, quibuſcunq; artibus Principatum compararunt, iiſdem amittunt. Miſcentur tum diuina atq; profana, certatur atrociſsimè & diutiſsimè: nec prius, niſi latè fuſo ſanguine, feroces & concitati animi conquieſcunt: ut cum longis progreſsionibus creuerit dominatus, maximiſq; priorum contentionibus celerrimè à ſummo inclinet, atque prorſus corruat.

Principatus tenendi periti.

Principatus uerò tenendi periti, rerum Prudentia & conſilio pollentes, diuinitus hominum tranquillitati conſeruandæ miſsi, dati, & conſtituti, iura cuique æquabiliter diſtribuunt, commune bonum procurant, optimiſq; artibus ſe ac ſuos tutantur: ſimul & difficillimam illam, atque præ-

Clementia & Grauitas.

clariſsimam Placabilitatis & Clementię cum grauitate & ſeueritate ſocietatem ſtudioſiſsimè amplectuntur: ad hoc toti incumbunt, quo beneuolentia ſuorum animos ad obſequia præſtanda, ſibi officio & fide ita concilient (quæ ſunt Principatus præſidia, non theſauri, neque exercitus) ut conſentientibus omnium uoluntatibus, ſtatus rerũ ſit optimus. Illuſtri exemplo ſunt ſuis: nihil ſtatuunt, quod uitæ dignitate, autoritate, & conſtantia ipſi non comprobent. Prudentibus uiris, peritis rerum, ac ſapientibus, ad Magiſtratus obeundos locus eſt, & patet aditus: in quo Principis iudicium plurimum commendatur. Indigni muneribus publicis tractandis deturbantur, ac repelluntur: ut omnia

Principum cura & procuratio.

ſuam quandam maturitatem aſſequantur. Iam uerò omnibus Reipublicæ ægris & laborantibus partibus, induſtria, fide, ſtudio, ac diligẽtia ſuccurrere, luxum in ſumptu ac cultu minuere, & ſuperuacaneas impẽſas tollere, ſui muneris eſſe exiſtimat, ne priuatorum facultates diſsipentur, & ad exteros transferantur. Præterea efficere, ne animi ſuorum remolleſcere atq; inſoleſcere poſsint, cæteraq; obſeruare, quibus ſui commodè uiuant: cuius generis eſſe poſſunt, cum alijs multis, amnes nauigabiles reddere, agros incultos & derelictos, excolendos tradere, opificia omnis generis introducere, & cõuenienter ad uſus neceſſarios diſtinguere, mercium liberè transferendarum ultro citroq; po-

Studijs literarum patrocinari.

teſtatem dare. Ac cum ſtudia doctrinæ & literarum magno ſint Reipublicæ & adiumento & ornamento, honorariũ eſt, earum patrocinium atque defenſionem ſuſcipere, nullos ducere ſumptus, perueſtigatores naturalium rerum, ac diſciplinarum omnium amplificatores & inſtauratores iuuare. Quæ omnia cum fiunt, non modò ſui bene habent, quin & finitimi præclarè ſentiunt, admirantur, & illorum amicitiam, ſocietatem, & coniun-

ctionem

ctionem certatim ambiunt. Populus uniuersus sua studia, suasq; uoluntates ad Principum iustitiam, fidem, pietatem, fortitudinem, liberalitatem, beneuolentiam, atque continentiam, liberè componit, ut sit mutuus, idemq; laudabilis utriusq; partis consensus. Sed ut ex progressione rerum huius historiæ de Prudētia colligi potest, Agriculturam, à qua initium fecimus, alumnam esse cæterarum inter homines occupationum: ita earundem tutissimum perfugium, & necessariam custodem, uirtutem bellicam, & Militarem disciplinam consultò ad hunc finem reponendam duximus. Nam quemadmodum illa colendo agro ad uictum comparandum est introducta, similiter hęc ad parta uiribus & armis custodienda, atque ad omnem uitæ societatem conseruandam, usurpatur ac retinetur: atque id in discordijs & tumultu, qui aut cum suis ciuibus, inde ciuilia bella, & coniurationes domesticæ, aut cum externis solet exoriri. Itaque cum nihil sit, ad statum Principatus conseruandum, accommodatius, quàm omnes belli suscipiendi caussas auertere, cumq; ultro aut temerè quenquam lacessere, impunitum nunquam sit, & inultum: paci, quæ nihil habitura sit insidiarū, consulere oportere, ad uitandam omnem sanguinis effusionem, à prudentissimis, & rerum gerendarū exercitatissimis pronunciatur. Humanum nanq; est, & in primis salutare, omnem rem, de qua est cōtrouersia, iuris nostri legitima disceptatione, communibus prudentum consilijs transigere. Quam ad rem in difficillimis & periculosissimis eiusmodi Principatuum contentionibus (siquidem locis disiuncti Principes, passim esse nequeunt, & minus securè de communibus negocijs inter se colloqui possunt) Legati, quorum est præcipua dignitas, & apud suos autoritas, è media Republica scliguntur: qui cum sunt rerum usu & tractatione exercitati, & doctrinis liberalibus cumulati, atque in primis diserti rebus componendis, & animis conciliandis, ultro citroq; emittuntur. Horū accepta fide publica, per hostium fines liber & tutus est transitus, cōfirmato gentium iure & consensu. Atque hi nominatim aut dicēda omnia, in mandatis præscripta habent, aut liberam ex momentis temporum, & rebus uariè interueniētibus, summa in omnibus cautione, transigendi potestatem. Dispositis equis ad omnem celeritatem, diuersa mandata recipiunt, ac reddunt. Per eosdem induciarum, fœderum, societatum, amicitiarum, & ipsius Pacis conditiones proponuntur, & transiguntur. Hinc alterutrius partis amicos pro amicis, inimicos pro inimicis recipiūt, ut uires sint ita coniunctæ maiores. Quam ad rem est laudabile, & ad te-

Populi ac Principis cōsensus.

Agriculturæ & Rei militaris usus.

Bella pacis nomine considerate suscipienda.

Legati institutio.

Pacis tractatio.

ad tenendam Principatus existimationem, quæ magni est momenti, opportunum habetur, datam semel in eiusmodi pactis conuentis fidem ac iusiurandum constantissimè seruare. Iidem legati in publica hac administratione summam & exquisitam rerum Prudentiam colligunt, quæ postea maximo præsidio & subsidio suæ cuique Reipublicæ esse possit. *Belli gerendi necessitas.* Sed cum nihil obtineri potest, ne cuiusquam grauibus iniurijs aut deijciatur, aut debilitentur, cum iniustè occupata repetenda, cum aduenientes hostes prohibendi & propulsandi, cum socij & fœderati ab hostium iniurijs sunt uindicādi: ne imminuantur opes, ne imperiū adimatur, ne'ue seruitus imponatur, necessariò ad uim & ad arma decurritur. *Belli suscipiendi consultatio difficillima.* Deliberationum omnium hæc est difficillima, procerum gentis conuocatione, propositis commodis & incommodis tentantur omnia, atque omnes uitandi belli occasiones, quòd incerti sint bellorum euentus, inquiruntur: ut prudētissimi, & rerum agendarum peritissimi multa de iure suo concedant, circunspectè, cunctanter, & non nisi maxima necessitate impellente, res suscipiant, atque ea omnia ad publicam salutem & tranquillitatem retinendam. Prouident consultò, ne qua temeritate ducantur: *Inopinatos esse bellorum euentus.* quandoquidem è minimo bello maximum atque diuturnum, & serium è ludicro magnis rerum incommodis exoriri experiuntur: ut res quantumuis firmæ & stabiles, leui ex occasione protinus concidant, & dissipentur. *Prima hominum arma.* Leuia fuerunt prima mortalium arma: pugnis, saxis, baculis, fustibus, ac fundis dimicarunt: sed grauiora consequuta, multiplici ferri usu semel introducto. *Primordia belli.* Igitur quando ita omnibus uisum est, belli initia, perinde ac firma fundamenta ponuntur, ut iure, & legitima de caussa susceptū cuncti iudicent. Prouocati animos suorum perspiciunt, uirium ac omnis potentiæ diligētem & accuratā habent rationem, simul & hostium uires atque consilia explorare solent: quo inde constet, quibus in rebus superiores alij, aut inferiores sint. Sed protinus ut de suscipiendo bello consultum est, nulla interposita mora, rem maturè aggredi consueuerunt. *Apparatus.* Ac domestica primùm firmissimis præsidijs, finitima oppida, & arces montibus impositas, comprimendis hostium incursionibus communiunt: quando nisi sit domi consiliū, frustra esse foris arma, prudenter existimant. *Pecunia nerui bellici.* Est in ærario ad necessarios usus, facultatum reposita copia, qua ad bellum persequēdum nihil neruosius: tum commeatus rerum necessariarum comparatur, tormenta, machinæ, tentoria ex instructis armamentarijs educuntur atque disponuntur. Nauigia cuiusque generis, & triremes armantur. Fœderatos,

auxilia-

auxiliares, socios, propinquos, ac uicinos quosque, communis periculi explicatione, ut in fide permaneāt, auxilia mittant, hortantur, quo eas cogant undiq; copias, quibus aduersari nemo posit. Intenti utrinque omnes ad sua tractanda, incertum omnibus, quem sint res cursum habituræ. Indicitur antè bellum, & denunciatur, Clarigationem appellarunt. Tota regione periti rei militaris Ductores & exercitati mittuntur, qui militem ex agris (quando fortissimi & strenuissimi ex colonis, assiduo labore assuetis, gignuntur) & oppidis educant. Auxiliarij pòst à socijs & fœderatis mittuntur, & mercenarij asciscuntur. Fit iam eorum delectus, qui institutione militari, & exercitatione sunt commendati. Præter uires, robur, alacrem & paratam ad obsequendum animi promptitudinem, quæ quanti sint ad res bellicas momenti, facta illustria declarant: laudātur in forti bellatore, laborum, Solis ac pulueris, frigoris & caloris tolerātia; atque conueniens in uictu parsimonia & sobrietas. Ex his qui probati sunt, & selecti, militiæ sacramento obligantur, ac mox quibusq; idonea stipendia decernuntur, ut ita sint militiæ astricti & autorati. Munera inde assignantur, ac describuntur, Centurionum ac Decurionū. Tyrones simul, & iam exercitati, atq; ueterani, galea, thorace, lorica, ense, gladio, pugione, claua, arcu, scuto, clypeo, lancea, bipenni, hasta, & minore bombarda, ut cuiusque est gentis mos, uirium & dexteritatis ratio, armantur. Singulis cohortibus, signis, ac uexillis distinctis, & legionibus præest Ductor. Atque ita equitatu leuis & grauis armaturæ, totoq; peditatu cōiuncto, & diuiso Exercitu in præsidium, primam aciem dicimus, conflictum mediam, ac subsidium ultimam, iustæ militum copiæ coguntur. Eam ad rem plurimum commendatur paucitas bene exercitata, erudita, & armis scienter tractandis diu multumq; assueta. Belli totius administrandi in grauissimis rebus Principes curam ipsi suscipiunt, in quorum oculis & auribus res magno successu gerūtur: aut illis tradunt, quorū fides, cōtinentia, laborū patiētia, matura ætas, uirtus, præsens animus, eloquentia, consilium in prouidendo, celeritas in conficiendo, industria in agendo, fortitudo in periculis, autoritas, felicitas, perspecta antè in magnis rebus, & cognita: Imperator is dicebatur. Hic omnibus obsequentibus summæ uniuersę præest, & ad eundem cuncta referuntur, ut unius solius consilijs, res communibus animis prosperè geri possint. Lustrato exercitu, militaris disciplina, & iura omnia, quæ seruare oportet, præscribuntur. Protinus ut uisum est, præmissis exploratoribus, & regionum peritis ductoribus adhibitis, itineri

Belli denunciatio. *Militum delectus.* *Militiæ sacramentum.* *Arma.* *Cohortes.* *Legiones.* *Exercitus.* *Princeps.* *Imperator.*

neri faciundo accinguntur, intermedio commeatu, cibarijs, & impedimentis, fabris, ac tubicinibus, tormentis, atque omni apparatu conuenienter diſtincto. Ordinata acie, traducēdus exercitus per loca pacata: hic temperare & continere ab iniurijs & populationibus ſolent: aut per loca infeſta, uiribus coniunctis, ne intercipi poſsint. Amnes ſunt plerunque laborioſè trajciendi, & montes ſuperādi: ut ex difficilibus locis euaſerunt, procedentibus utrinque copijs, hoſtium fit occurſus. Hic ſuis *Caſtrorum poſitio.* occaſionibus, locorum opportunitate quæſita, hoſtes præuenire uolentes, caſtra loco idoneo, tuto, ſalubri, & pabulationi, aquationi, frumentationi, ac lignationi commodo, ponuntur & collocantur: foſſa, uallo, aggere circundantur, atq; muniuntur, ut celeriter conſtructi oppidi formam referant. Iam ordinantur cuſtodiæ, ſtationes, uigiliæ, & excubię: poſt ad omnem *Excurſiones.* ſecuritatem iuſſa, ſigna, & teſſeræ dantur. Præcurſores commiſsis leuibus prelijs (uelitationes erāt) hoſtiles animos explo- *Exercitationes.* rant. Interim milites in ſeruandis ordinibus, & quibuſdam ludicris certaminibus exercentur, ne ad ſeriam dimicationem noui, imparati ueniant, & inexperti. E manſoribus, proditoribus, transfugis, atq; deſertoribus, ne clandeſtina cum hoſtibus colloquia haberi poſsint, opportunè occurritur. Iam rerū geren- *Conſilia.* darum exercitati & periti, hoſtium conſilia ex captiuis ſolent cognoſcere, eadem anteuertere & præripere, commeatu intercludere, maturare, accelerare, & cunctari: ut rerū, temporum, ac hoſtium eſt ingenium, Natura, cōditio: inſidias ſtruere atq; uitare: quæ eiuſmodi artes, ſolertia ducum facta, & conſilia, à *Cōflictus dies.* Græcis Stratagemata uocātur. Conſtituta igitur ad publicam conferendam pugnam die (niſi fortè ſingulari certamine, Duello, ut parcatur multitudini, dimicare placeat) poſtquam ad arma ueniendum, milites cibo cōuenienter curati, aduocata concione, omni formidine ac metu, ſi quis obortus ſit, liberantur. *Aciei ordinatio.* Itaque ut alacres progreſsi, & ſpe erecti ſunt, ordinatur ex his utrinque acies, & uariè diſponitur, in quadrum, in orbem, ut omni ex parte tecti & inſtructi ſint, in cuneum & forficem cogitur. Vtraque exercitus pars cornua habet, dextrum ac ſiniſtrum: ut eſt locorum diſsimilitudo, occaſionum uarietas, militum ſcientia, armorum diuerſitas, atque hoſtium conditio. Ad *Bellicum.* prælium ineundum, inflammandis omnium animis, Bellicum *Dimicatio.* utraque ex parte canitur. Itaque appropinquantes, emiſsis horribili ſono grauioribus bombardis, cruentus equeſtrium ac pedeſtrium copiarum fit conflictus, multa paſsim cædes committitur, perturbatur acies: inclinat modò hæc, modò illa, ancipiti

utriuſque

utriuſque partis fortuna:reſtituitur,confirmantur reliquiarum animi,dimicantes nox dirimit.Renouatur de integro prælium, ſupplementa expectantur: quandiu uires ſuppetunt, maximo animorum ardore,dubia adhuc uictoria,confligitur. Multa incidunt diuerſis occaſionibus:caſtra oppugnantur,capiuntur,incenduntur:alij abijciunt arma,& dedunt ſeſe:nonnunquam in- *Induciæ.* ducias paciſcũtur, datis ad maiorem ſecuritatem obſidibus: alij tentandam omnino fortunã, alij nihil niſi cum ratione, iudicio, & conſilio experiri, oportere ſuadent. Interea militiæ flagitia, *Militiæ flagitia.* qui ordines non ſeruarint,aut eiuſmodi aliquid commiſerint,ſeuerißimè pro delicti genere puniũtur:præter exautorationem, uerbera,exilium,damnum,talio,uincula,ſeruitus,ignominia,et decimi cuiuſque occiſio olim proponebatur. Pars autem ſuperior è prælio,uictos,ſtrage & clade accepta, in fugã uerſos, perſequitur, atque concluſos in anguſtias comprimit: aut in oppi- *Obſidio.* dum, commeatu, tormentis, propugnaculis bene inſtructum, atque Natura loci munitum, ſeſe recipientes,obſidione cingit. Admouentur bombardæ maiores ad muros, quarũ tantus hodie eſt uſus, ut relictis ueterum machinis omnibus, muniendarum urbium commutata ſit forma, & difficilior ſit omnis belligerandi ſcientia. Opportunum etiam uidetur, flumina auertere,ac deriuare, cuniculos agere, ne ſuppetiæ obſeſsis ferantur, prohibere.At illi callidè earum rerum,quibus deſtituuntur,copiam diſsimulare, aliaq́ eiuſmodi ſolent. Ad extremum exhauſto commeatu, & ſpe omni ſoluendæ obſidionis depoſita,acceptis conditionibus,in deditionem recipiuntur: aut fide ſuis conſtanter ſeruata, fortiter occumbere malunt. Itaq; qui obſident, *Oppugnatio.* ſimulare interdum regreſſum conſueuere, aut falſas diuerſis ex partibus irruptiones facere: aut ſuis confiſi uiribus, tormentorum ui ſtratis & euerſis muris,portis etiã effractis, ualidiſsimos quoſque & audaciſsimos præmittere, atque in propugnantes acriter irruere & penetrare conantur.Oppidani,cum aduenientes ſatis prohibere non poſſunt,tandem ſuccumbunt.Expugna- *Expugnatio.* tur urbs ferro,rapinis,flamma,ruina uaſtatur. Cæteræ ciuitates aut obſiſtunt,aut uictoris ſucceſſum ſequuntur.Humanæ eſt clementiæ,ſupplices abiectis armis in fidem recipere, & uictorem exercitum à cæde temperare. Bella comitantur, ut omnia uitæ *Bellorum incommoda.* incommoda,tot mendici,pupilli,uiduæ,totius domeſticæ diſciplinæ perturbatio,luctuoſa & funeſta omnia: ſic maximè, corporibus contagione corruptis, ſæuiens peſtis, & neglecta uel oppreſſa Agricultura, dura fames,atque rerum omnium uaſtitas & deformitas, quæ ipſa ad noſtram coercendam inſolẽtiam

Naualis pugna. diuinitus immittuntur. Fluminibus & mari interdum (neque enim omnia simul fieri scimus, sed huius est institutę orationis, rerum progreßionem & genera breuißimè describere) dubio maximè, & incerto euentu acerbius et periculosius decertatur, cum nauigandi quæsita opportunitate, magnę & constratæ naues commeatu uario, milite, & armis multiplicibus complentur, atq; è statione ac portu soluẽtes, datis uelis, in altum feruntur. Coniunctis in unũ multis triremibus, alijsq; actuarijs, quę *Claßis.* plures habent ordines, Claßis ingens cogitur. Pręmißis speculatorijs nauigijs, hostium aduentum explorant. Propius accedentes, summo impetu aduersæ naues, remis fortiter & alacriter impulsæ, rostris concurrunt, uariè decertatur atque confligitur: Naumachiæ eiusmodi conflictus inde nomen habet. Bello capti, aut precio redempti liberãtur, aut perpetuò seruiunt. *Mancipia.* Inde Mancipia nomen habent, & seruitutis apud diuersas gentes conditio est instituta, pręter id, quòd Natura imbecilliores ratione & consilio, superioribus atque prudentioribus obtemperant. Sed quæ pars ex nauali certamine est superior, incensis aut depreßis hostilibus nauigijs, disiecta & dißipata classe, liberum sibi facit mare, ac totius littoris & oræ maritimæ impe- *Victoria.* rium obtinet. Consequitur uictorem gentis totius deditio, humanitatis, moderationis, clemẽtiæ, benignitatis recordatione, multitudo conseruatur: quiq; non crudeles in bello, neque immanes fuerunt, inde sacramento fidei seruandæ obligantur: tributa interdum, ad sumptus recipiendos imperantur. In societatem nonnunquam admittuntur, ut pari iure cum suis utantur, & coniugia (uinculum est firmißimum) utrinque misceantur: aut ijsdem moribus ac legibus retinentur, quibus antè usi sunt: quæq; eiusmodi suis occasionibus fieri solere, ex scriptoribus rerũ gestarũ, à quibus nos hęc maxima ex parte accepimus, ple- *Prouincia.* nißimè cognoscitur. Prouincia eiusmodi Principatui annexa, præsidijs locis regionũ idoneis collocatis, administranda præfectis traditur. Pace terra mariq; confirmata (cuius solius consilio iustißima bella suscipiuntur) Imperator acclamationibus, *Triumphi.* ouatione, triumphis à suis excipitur: & in testimonium uictoriæ, trophæa atque arcus eriguntur. Res gestæ, picturis atque scriptis eruditorum hominum, ad continentem memoriam ser- *Præmia.* uandam, commendantur. Qui fortiter dimicarunt, præter spolia, prædã, manubias, præmijs datis honorantur. Coronæ multiplices, qui ciuem seruassent, qui primi castra, aut nauem hostilem fuissent aggreßi, qui primi cõscendissent murum, olim dabantur: præterea torques aurei, annuli, æra donatiua: aut pro-

moueban-

mouebantur ad maiores ordines, aut militiæ uacationem consequebantur. Quibus uerò in armis oppetere pro cōmuni patriæ salute contigisset, ad prouocandos posterorum animos, orationes funebres, sepulturę, statuæ, & inscriptiones honorificæ illis decernebantur. Princeps nonnunquam strenuis quibusque agros diuidit, seruata obsequij præstandi fide, ut paratos semper necessitatibus, & instructos habeat. Atque ij cum diuersa territoria, & latè patentes agros ipsi non possint, agricolis excolendos tradunt, à quibus fructus annuos recipiant: quo illi suum statum tueantur, quo publicū suorum bonum, iuris æqua descriptione, conseruent, quo militares sumptus difficillimis temporibus, reposito in his potentibus familijs patriæ præsidio, sustineant. Nobilitatis, quam hodie habemus, tituli inde sunt profecti: insignia clypeis sculpta, ad familiarum inter humiliores discrimen, à Principe concessa. Atque ij, cum per facultates liceat, ciuilem rerum Prudentiam ex scriptorum monumentis studiosè cognoscūt, ut obeundis præclarissimis Reipublicæ muneribus, utiliter & honorificè adhibeantur. Venatu alij ad disciplinæ militaris similitudinem continenter exercentur: præter necessaria ualetudinis conseruandæ commoda, & locorum totius prouinciæ cognitionem, strenui inde, promptiores ad struendas & ad fallendas atq; uitandas insidias cautiores redduntur. In multis alijs seria certamina, firmandis & conseruandis uiribus, imitantur: in castellis degunt, quo campestrem uitam perferre assuescant: & suis, in quos habent iurisdictionem, pręsint. Igitur qui ab horum stirpe descendunt, opibus relictis, atque rerum gestarum memoria, tanquam domesticis & hæreditarijs ad uirtutem consequendam inuitamētis, ingenua nobilitatis indole, multum commouentur. Et ne qua ignauiæ ac socordię ignominia aut dedecore possint notari, ad res magnas aggrediundas, communis salutis, à qua minimè declinandum, & patriæ incolumitatis conseruandæ studio, uehementer incitantur, atq; inflammantur. Populus autem uniuersus, conquiescētibus ita rebus, cum mores publicè & priuatim bene sunt constituti, cum oppida propugnaculis munita, & rebus necessarijs instructa, suo labore partis in summa copia perfruitur: opificia, ut est cuiusque industria, commodè exercentur, & ingenia ad præclara opera relinquenda excitantur, exhilarantur omnia, agri coluntur, liberè peregrinatur, res omnes in magna ubertate affluunt, merces tutò transferuntur & recipiuntur, debitum hunc laborum fructum atque præmium desiderantibus prudentissimis hominibus, & statuentibus.

Agrorum distributio.

Nobilitatis origo.

Venationis exercitatio.

Populi totius tranquillitas.

Summa

Pax summa Prudentia retenta.

Summa itaque hac, & libera totius Reipublicæ tranquillitate, publicis inimicitijs sublatis omnibus, quam Pacem nominamus, dum optimis rerum ciuilium institutis ac legibus suus habetur honos, optanda est communiter ab omnibus, quo societas uitæ in terris posit conseruari, Prudentia, diuinitus constituta & firmata: ad quam studia omnium, operæ, contentiones, facultates optimè referuntur, ut laudabilis Principatus retineatur, & legitimus.

SECVNDI LIBRI HISTORIAE Vniuersitatis rerum, qui est de Prudentia, FINIS.

EXCVRSIO AC TRANSITVS EX HISTORIA PRVDENTIAE, IN EAM QVAE HVIC EIDEM PROXIMÈ EST CONIVNCTA, QVAÉQVE DE PRINCIPATV INSCRIBITVR.



NON MIHI VITIO DABITVR, si in angusta hac licet, & breui tam multarum rerum continenti, atq; perpetua colligatione, cum in diuersa genera transitus est faciendus, pauca quædam adferam, quibus totius consilij mei ratio studiosis huius partis doctrinæ magis constare posit. Et hoc instituto opere potisimum: quoniam minimè illud est propositū, singula ex multiplici rerum uarietate in pauciora contrahere: sed quomodo id naturali ordine fieri posit, tum ex hac sententia, tum ex adumbratione hac perbreui, pro mediocribus nostris eiusmodi studiorum incrementis, repręsentare. Habent cætera scripti genera faciles & liberas in quamcunque partem egresiones, sed propositus hic ordo nullas admittit: & si quæ per occasionem inserantur, easdem admodum breues esse oportet, atque ita rei congruentes, ut nihil alienū à continuato orationis cursu allatum dictumq; credatur. Quocirca ueluti ex lōgis & magnis itineribus reuersis, liberum est aliquandiu respirare, atq; interquiescere: sic defessum iam animū, & spiritus, tanta rerum uarietate inspiciēda, quodammodo oppressos, eiusmodi locis

Excursiones à re proposita.

peroppor-

peropportunè recipere concedatur: ut ad ea quæ conficienda restant, atque tractanda, recollectis ita uiribus, aliquanto paratiores simus, & alacriores. Prudentiæ igitur collocatio fit ad hanc, quam modò proposuimus, rationem breuissimè ex historicorum scriptis magna ex parte repetita: quæ uaria & multiplici hominum inter homines consuetudine ac negociatione, plurimas ad res tractãdas cognitu dignissima, tota continetur. Neque enim quicquã aut iucundius, aut fructuosius, quàm in congressionibus hominũ assiduè uersari, mores, instituta, ritus studiosè inquirere & cognoscere: quãdo iudicium ex his ad res gerendas maius comparatur, & acuitur. Itaque uniuersum hoc opus ita libuit temperare, ut proportione quadam in his commemorandis seruata, de ijs quæ expediret scribere, propè æqualiter à me diceretur, ac tractaretur: simul & nõ interrupto rerum ordine, atque perpetuo orationis decursu, iucunditatis ac utilitatis ratio aliqua haberetur. Nam cum ex Naturæ atq; Prudentiæ multiplici commemoratione, Lectori propè incussum sit fastidium, nullis introductis personis, quas Historia potissimum complectitur: iam loco non ingratæ cuiusdam lectionis, proximè consequitur, & adiuncta est Principatus historię collocatio, regnorum & imperiorum haud iniucundam narrationem breuissimè continens: quæ in omnem antiquitatis memoriam ingressa, perpetuam quandam actionum humanarum cognationem & successionem latè persequitur: quæq;, quod maximum est in uita, efficit, ut priorum illustria in rebus tractandis facta, magno sint posteris omnibus ad uirtutem & documento & incitamento. Quanquam plerisq; non satis considerate, sicuti ego arbitror, uidetur, nonnulla eiusmodi in scripta esse relata, quæ gesta nunquam sunt: ut si illi ipsi, quorum res commemorãtur, reuiuiscerent, aliter facta pleraque essent affirmaturi. Sed prætermissis ociosorum ac curiosorum uanis dubitationibus, rectissimis ingenijs, & longa ætatum memoria retenta, comprobatissimis, omnino acquiescendum: à quibus uerissimè iudicatur, illa maximo ad uitam instruendam atque informandam exemplo, & ad necessariam temporum rationem cognoscendam, adiumento esse introducta. Cui quidem parti de Principatu plenius intelligendæ, expediebat primùm, quadam in uniuersum Prudentiæ doctrina fuisse imbutum: quo dispersa longissimis temporum spacijs, conuenienter suis generibus subijcerentur: quo etiam plurima his generatim, de caussis rerum administrationis publicæ comprehensis, minimè repeterentur. Ita est hic Vniuersitatis rerum cursus, ad certum ordinem tenendum, & admi-

Prudentiæ historia quanti sit usus.

Collocatio totius historiæ Vniuersitatis rerum.

Principatus historia.

Historiam utiliter esse introductam.

Prudentiam conuenienter præcessisse.

ad minuendam perſequendæ longioris lectionis moleſtiam, quantum nobis uidetur, accommodatus. Sed uideo ſcriptionis huius quadam ratione impellēte, longius ab inſtituto, quod primum habui, me recedere, & minus conſideratè pleraque, nondum mihi ſatis percepta, compertaq; attingere: quorum certior uſus atq; experiētia non eſt unius ætatis, ac multo minus unius aut alterius hominis: ut plurima ſint, licet non ſatis à me probentur & intelligantur, ex aliorum iudicio & ſententia pronuncianda. Cum enim hoc tempore abūdè ſufficere mihi proponerem, paucis conſilij huius rationes reddere, mentem meam, ac ſententiam, quàm poſſem commodè, explicare, ultrà euectus, temperare ipſe mihi nullo modo potui, hoc naturali ordine poſtulante, etiam cum aliquo rerum tractandarum periculo, quin eiuſmodi aſsidua rerum meditatione inquiſita, & ex ſcriptorum lectione repetita, ſuis locis conuenienter interijcerem: atq; id breuiter, ne rerū magnitudini, quæ quanta ſit, ex unica harum quinque partium æſtimare quiſq; per ſe poteſt, ſuccumberem: conſultò etiam à longiore ſcriptorum, qui licet erant in manibus, lectione abſtinendum exiſtimans, ne manum, quod dicitur, de tabula tollere non poſſe uiderer, aut metu curioſæ nimium cuiuſdam ſingulorum in tanta uarietate inquiſitionis: ut cum plenius aliquid & accuratius recenſere uellem, in eo exquirendo & cognoſcendo occupatior, uniuerſam hanc rerum luſtrationem patefaciendo huic meo conſilio, non ita commodè poſſem animo ſcriptoq; comprehendere: quod ipſum ita factum eſt, ut propè ex quaque pagina liber, qui ad unius ex his quinque magnitudinem accedat, inſtitui & conſcribi poſsit: multo minus, ſi ad obſcura quæque, implicata, controuerſa, ac plena diſſenſionum inter doctiſsimos uoluiſſem ſubſiſtere, & in illis cōponendis atq; conciliandis diutius immorari, ne ad hæc quidem totius hiſtoriæ curſus deduci potuiſſet. Itaque in pleriſque maior diligentia deſiderabitur. uerùm cuius eſt ſingula plenè & accuratè perſequi, aptè collocare & diſtinguere: eius fortaſſe, qui cōmunibus ſtudijs literatiſsimos quoſq; in ſuo doctrinæ genere perpetuos adiutores tanti conatus haberet, et amplificatores. Quod quàm difficile factu ſit, omnes qui in his conſiderandis uerſantur, ſatis intelligunt: fiet tamen aliquando. Neque enim exiſtimandum eſt, prolem illam futurorum hominum doctrinas omnes in hac tanta diſtractione, quaſiq; diuortio relicturam. Quam ad rem meæ huic inſcriptioni de ſcribenda Vniuerſitatis rerum hiſtoria, ſatisfactum hoc tempore ab æquiſsimis literarum iudicibus uideri poterit, ſi eum ordinē, rerum admixta aliqua cognitione,

Naturalē hunc ordinem multa ſecum trahere.

Quod fuerit inſtitutum.

Quæ huius tractationis ratio.

Rei magnitudo atq; difficultas.

legendum

legendum proponam, qui naturali progreſsioni eſt accommodatus. Magnæ etenim difficultatis in tanta eorum quæ à diuerſis ſcriptoribus traduntur, uarietate, quę'que in conſuetudine hominum & moribus poſita, exercentur multitudine, in uniuerſum quę ſequaris, deligere poſſe: maioris, eadem ordine conuenienti collocare: ſed non minimæ, illa ipſa multum inter ſe diſsimilia atque perplexa, uno orationis filo, ſermonis puritate, ac ſententiarum perſpicuitate, ſcriptis ita perſequi & cõmendare, ut nihil diſſonum aut diſpar allatum, in oratione deprehendatur. Conijci illa ſatis non poſſunt, niſi ab ijs qui ſimili in re uerſantur. Vt cum magnitudine rerum, & multitudine totus obruerer, ſtatuerim, quo huius ſcripti documentum qualecunque extaret, etiam uirtutem eſſe (quod ipſum de Grammaticis eſt dictum) eorum quæ mihi ad ſeriem totius ſeruandam dicenda eſſent, aliqua neſcire, & quædam (ſicuti à multis, re iam in hunc ordinem deducta, facilè deprehendi poterit) alieno loco, non ſuo adferre. Nam qui, ne erroribus implicentur, nimium reformidant, pręſens illi habent conſilium, cuius hominum expeditum, nihil omnino ſcribere: quod qui faciunt, cum ſtudio atque diligẽtia res magnas pręſtare poſſent, rectè'ne, an ſecus faciant, meum non eſt pronunciare. Illud tamen dicam aliquanto liberius, cum ſtudioſi ſoleant in alteram partem errare, eorum factum tolerabilius mihi uideri, quibus cum prodeſſe uellent, & pro uiribus conarentur, in nonnullis humanitus, atque errore memoriæ falli atque decipi cõtigerit, quàm eorum, qui in ocio quodammodo literis abutuntur. Scriptores etenim in pleriſque ſua uitia compenſare poſſe uidentur, ut ſi quis illorum uirtutes ſimul & uitia ex æquo beneuolè candidéque æſtimare uoluerit, hæc genere & numero uirtutibus lõgè inferiora eſſe deprehendãtur. Sed cum aliquo ſucceſſu literas didiciſſe, nec perinde ad communem ſtudiorum uſum, habita ijs qui nos præceſſerunt, debita gratia, quicquam proferre uelle: cuiuſmodi illud ſit, facilè omnes agnoſcunt. Videbam præterea complures in ſingulari aliquo negocio occupatos, ſibi non ſatisfacere ſolere: quanto minus uni harum quinque partium uel mediocriter tractandæ: etiamſi ter renaſci cõtingat, & ſolitos uitæ humanæ curſus conficere, nulli eſt ſucceſſurum. quocirca iniquius dijudicant, perfectionem quandam in his requirentes, quæ ab uno aliquo homine expectari minimè debet. Multa in omni genere laborioſè tentaui, quo aliquid dignum lectione proferrem: ſed cum minus id ſuccedere, & me in diuerſa diſtrahi animaduerterem, his paucis fui hoc tempore cõtentus. Igitur in hac conſequenti

Ex Grammaticis uirtutibus, aliqua neſcire.

Tolerabile eſſe, pro uiribus ſcribere.

Temporũ difficilis ratio.

Principatus historia, nominatim tempora subtilius distinguere & consignare nolui: quando ex uarietate scribentium non satis adhuc mihi constant, propè omnibus quos uidisse contigit, inter se dissentientibus: longo etiam temporum decursu corruptis, quasiq; obliteratis annorum numeris, plerisque maiores suos antiquiores facere uolentibus: præterea alijs & alijs in diuersas linguas conuersis, multis utique scriptis seriem temporum comprehendentibus, magno ueteris memoriæ incommodo deperditis: ut ijs contenti iam esse debeamus, quæ utiliter in exemplum adduci possunt: & in uniuersum illud cognoscere, hoc quodammodo uel precessisse, uel consequutum esse: quod equidem admodũ breui hoc tertio libro facere uoluimus. Accuratior nanq; tractatio, & plenior, iustum & liberum scribendi tempus requirit: neque ita postulatur, cum à plurimis, quorum opera nobis sit utilis, eo ipso, quem sequuti sumus, ordine plenisimè est hodie pertractata. Tametsi ad eam ipsam Principatus historiam complendam, colligari suis locis potuisset altera de eruditis & literatis temporibus: quam ideo separatam, ad finem reponi debere iudicauimus, ut conuenienter historiæ de Sapientia responderet, quemadmodum Principatus historia Prudentiam aptisimè consequitur. Quam ipsam utriusq; partis coniunctionem primis studiorũ conatibus ante quinquennium feceramus, uniuersi operis de Armorum & Literarũ historia inscriptionẽ sequuti, & hoc tempore sequi nostrum erat institutum: sed uarietas, rerum magnitudo, simul & perturbatio tãta uisa est, ut quæ nõ posset satis lectionis cursu à quibusq; comprehendi: præter id, quòd utraq; per se multum est implicata, rerum multitudine confusa, ac plurimũ distracta. Poterat etiam pro ratione diuersorũ populorum, qui res magnas gessere, hæc omnis rerum gestarũ doctrina nominatim & distinctè describi: ut uniuscuiusq; gentis facta & progresiones, ab ipsis rerũ primordijs, uno loco separatim tractatę constarent: quanquam illud mihi uehementer probaretur, aliquanto meliore tamen, sicuti existimo, usus consilio, cum delegi seruandum ordinem, qui est ab omnibus comprobatus, receptus, & ad temporum cõtinentem memoriam retinendã, atq; rerum uicinarum coniunctionem, Synchronismi dicuntur, accommodatus: idq; carptim, quasi illa Pictorũ more, simplici primum ratione adumbraturus, quæ maiore cognitione & pertractatione opus habere intelliguntur. Quocirca scribendæ historiæ Principatus, eiusmodi quoddam exordium fecimus.

Historia Literaturæ huic coniungenda.

Armorum & literarum historia.

Res diuersorum populorum nominatim describere.

Συγχρονισμοί, quæ in eandem ætatem concurrunt.

CHRISTO-

CHRISTOPHORI Mylæi, de ſcribenda Vniuerſitatis rerum hiſtoria, è quinque libris Tertius, qui eſt de Principatu.

PROOEMIVM.



XCELLENS ATQVE MAgnum in homine cōgregationis, ſocietatis, & communitatis eſſe ſtudium, ut multis alijs in rebus, quæ omni uita continentur pleniſsimè, ita & maximis temporum difficultatibus interuenientibus uerîſsimè cognoſcitur. Nam tum facillimè in unum homines conueniunt, & de rerum ſumma concordiſsimè deliberant: ut cōſenſu omnium facto, ad aliquos è ſuis, qui uſu rerum, atque ſingulari Prudentia cæteris præſtant, ſe ſuaq́ꝫ omnia referre, & ijſdem iuſtè ac legitimè imperantibus libēter obſequi & parêre uelint. Diuerſis itaque temporum momentis, dum à multis ad paucos, & ab ijſdem ad unum rerum ſumma recideret: ſic & commutatione atque conuerſione ijdem curſus, aut diſsimiles, ab uno ad paucos, inde ad multos ſuis occaſionibus uariè repeterentur: prudentiſsimè factum illud uidebitur, extitiſſe homines ex omni multitudine præclariſsimos, doctrinæ & literarum ſtudijs imbutos, qui perpetuis ingenij monumentis diligenter conſignarint, per quos res à primordijs temporum, ut quique ſuo labore conquiſitis rebus perfruerentur, & uita in ſumma tranquillitate conſeruaretur, fuerint ad hanc memoriam adminiſtratæ. Hic enim Principum, & magnorum populorum, bellicas ad artes, & ad publicam incolumitatem tuendam, facta dictaq́ꝫ illuſtria, poſterorū imitationi, maximarum

Societatis in homine ſtudium.

Rerum conuerſiones.

Hiſtoriæ rerum geſtarum ſumma utilitas.

Rerumpublicarum à rudibus & modicis principijs incrementa, conuersiones, aliarum atque aliarum successiones: perinde ac si in illa secula, in tam longinquas orbis terras, & in tantas rerum difficultates admitti tutò contigisset, magna cum oblectatione leguntur, atque ediscuntur: ut in concursu hominum, & deliberationibus ad magnos rerum tractandarum usus, commemorari utiliter posśint, ac recitari. Quandoquidem similes Rerumpublicarum & Principatuum ijdem casus frequenter recurrunt: ut Principum, atque eorum qui publica negocia tractant, hæc sit omnis longo temporum decursu constanter & fideliter seruata doctrina, quam studio atque diligentia præcipuè unumquemque eorum cognoscere expediat. Cum enim maiorum res gestas, in illustri positas exemplo intuentur, ut stultorum, malorum ac improborum auersantur facta: simili ratione, ad moderandas res suas, & rectè cum æquitate atque iustitia administrandas, optimorum exemplis uehementer inflammantur. Et ad eam rem animaduertendum illud est, cætera præstantisśimorum uirorum ingenij monumenta excogitari iterum, atque inueniri: sed præcedentium temporum ab ultimis principijs memoriam, nullius cuiusquam ingenio aut diuinatione reuocari posse: ut hac sola de caussa multo diligentius Historia, quasi quidam perpetuus generis hominum thesaurus, adseruari debeat, & ad posteros fidelisśimè transmitti: siquidem illa eadem diuersis temporum rationibus, dum alij scriptores alijs proximè succederent, continentem rerum gestarum per omnes ætates seriem constanter seruauit: ut cum uita nostra perbreuis sit, hoc facto longius quodãmodo, priorum rebus cognitis, proferretur. Quoniam uerò ea commemorat, quæ quique in hac rerum humanarum uarietate posteritati profutura lustrarunt, hoc nomen Historiæ una scriptionum aptisśimum habuit. Itaque cum huius institutæ doctrinæ rationem sequendam nobis proposuerimus, à primordijs rerum omnium, perpetua oratione, continentiq; spiritu ad hæc nostra tempora deducto, eorum quæ sunt à diuersis populis gesta, multiplex cognitio, ut unum in conspectum proponatur, paucisśimis eiusmodi uerbis in uniuersum sic repeti poterit.

Historia, Principum liber.

Historiam ex omnibus scriptis potisśimum adseruandam.

Historia à lustrando: ἱστορῆσαι γάρ ἐστι θεάσασθαι.

NARRA-

NARRATIO.



PRINCIPIO totius generis hominum Hebræam gentem, qua nulla aut antiquior, aut sanctior extitit, singulari accepto munere diuinitus, edoctã, origines et primordia rerum, diutißimè per manus, ac fidelißimè conseruaſſe, atque eadem ne aut deprauarentur, aut exciderent, plenißimè simul & uerißimè in scripta retuliſſe, magno etiamnum cõsensu tenemus. Postquam igitur summus & prępotens Deus certo, bono, ac libero suo ipsius consilio, supremaq; Sapientia, hanc uniuersi fabricam, nulla subiecta materia, cœlo & terra comprehensam, non amplius quàm sex dierum spacijs cõpleuiſſet, quarum rerum historiam primo libro de Natura complexi sumus: diem septimum, ad continentem memoriam seruandã, requietis cauſſa, sacrum eſſe uoluit. Adamus hominum primus, rubra è terra fictus, & ad Dei similitudinem atque simulacrum efformatus, infusa ac conclusa mente diuina, in fœcundiorem & amœniorem hortum, Paradisi nomine, collocatur. Inde rerum omnium, quæ & in mari & in terra sunt, dominus atque administrator constituitur. Itaq; productis dißimilibus animantum omnium generibus, congruentia cuiusque Naturæ nomina primùm imposuit. Somno pòst oppreſſus, ortam ex se adiutricem Euam, atq; communem generis hominum matrem, uitæ sociam habuit, iusſi ita permixto sexu genus propagare: ducta inde coniugij primordia. Interea mali & criminatoris spiritus astu atque impulsu, colubri specie, eadem Eua spe melioris sortis illecta, à uetito, boni & mali intelligentiam habentis cibo, cui certa mors erat proposita, & conditio deterior, non abstinuit, ac in eundem errorem ipsum maritum adduxit: qui ijdem protinus, cum se nudos deprehendiſſent, pudore ac uerecundia adducti, tegumenta quæsierunt. Deus ob admiſſam hanc grauem offensionem, Euam ad perferendas partus molestias, hominis imperio subiecit. Adamum ad sustinendos cum sudore neceſſarios uictus comparandi labores, utrunque definito uitæ tempore, Paradiso pulsum relegauit. Ab eiusmodi initijs uniuersum mortalium genus, retento hoc eodem originis errore, longißimis progreßionibus est profectum. Nam cum mandato de amplificatione & propagatione sobolis parèrent, duos primùm filios suscepere, Cainum & Abelum, animis studijsq; dißimiles: ut ille agricola improbus, per inuidiam hunc opilionem probum, innocentẽ, pium, atque diuino cultui deditum, de medio sustulerit. primum hoc fuit

Summus Deus mundi fabricator. — *Adamus hominum primus.* — *Nominum impositio.* — *Eua communis mater.* — *Serpens.* — *Lapsus.* — *Relegatio.* — *Liberi.* — *Cainus fratricida.*

fuit homicidium: qui idem Cainus profugus, de nomine Enochi filij maioris natu, primum oppidum condidit. Huius deinde posteri, moribus ijsdem ad omnem maliciam addicti, uarias artes atque opificia adinuenerunt. *Sethus.* Sethus autem in locum interempti Abelis cum succesisset, integritate uitæ & sanctitate commendatus, traditam à patre disciplinam constanter tenuit & auxit: ut ab eodē electus populus, progressuris ad maius incrementum rebus, latè dimanarit. Crescebat interea, mixtis atque multiplicatis inter se familijs, cæterorum hominum malicia & improbitas: cum Deus immissa eluuione, cuncta animantum genera è uiuis summouere instituit. *Ex eluuionibus saluus Noa.* Ex omni multitudine unus Noa, iustus & integer, à Deo probatus, quē præscire uoluit, ut exædificata arca, saluus & incolumis esset. *Arca.* Itaque sub eluuionis tempus arcam ingressus, cum uxore, tribus filijs, ac eorum uxoribus, simul & delectis, ne perirent, animantū cuiusque generis paribus. Pôst subsidentibus iam aquis, idem Noa, alter generis hominum parens, & instaurator, ut sacra incolumitatis fecit, mandatum de amplificatione generis accepit, & cœlestem arcum, testem icti fœderis cum summo Deo, nullam deinceps eluuionem futuram, qua genus hominū submergeretur, *Iris.* necessarias ad res conuersus, uineam seuit: *Vitis.* quem fortè ebrium factum, irridens filius Camus, cæteris duobus, Semo & Iapeto inseruire, conditione mutata, uoluit. Ab ijs tribus filijs innumeræ gentes breui deductæ, & proseminatæ. *Partitio orbis terrarum.* Nam totidē in partes per orbem diuisi, latè inhabitarūt: Semus in orientē Asiam, Camus in meridiem Africam, Iapetus in occasum atque septentriones Europam, quam incolimus, habuere. Cōsequuta dein peruersa soboles, quę duce Nemroto & suasore, ab extruenda audacius turri Babel linguis dissimilibus, *Turris Babel.* perpetuo cōsequentium temporum, & graui malo, cum uoluntates suas sermonis confusione patefacere non possent, ab opere instituto sese remouentes, dissipātur: gens quæ illa loca tenuit, Babylonij sunt appellati. *Externorū de mundi origine sententia.* Transfertur hæc de rerum primordijs sententia, ab Hebræis constanter & fideliter seruata, etiam in cæteros orbis terrarum populos, & eos quidem literis imbutos: sed multis commentorum inuolucris prodita, cum rerum omniū Chaos, è quo omnia manarunt, cum similem dijs hominem genitum, cum Giganteos conatus, cumque ætatum discrimina, & his conuenientia multa ingeniosè commemorant. Itaque genere hominum à tribus Noæ filijs dimanante, sanctior gentis disciplina, *Sanctior Semi proles.* & rerum à prima origine certior progresio, in Semi prole diutissimè remansit: è qua profectus Heber, huic populo Hebręorum pri-

rum primùm nomen dedit. Cæteris interim populis inclareſcẽtibus, diſsiti lõgius Tanais, Scytha, & Vexores Aegyptius, *Externorum prima bella.* quaſi rupto communi humanæ ſocietatis fœdere, non quidem adhuc pro amplificandis finibus, ſed pro gloria comparanda, infeſtis armis concurrerunt: quod exemplum maxima generis hominum internecione eſt relictum, ut minimis plerunque ex cauſsis totæ gentes in mutuam perniciem deinceps, nulla propè facta temporum intermiſsione, uenerint. Vtraqꝫ gens, Aegyptij & Scythę, de prima uetuſtate multis rerum argumentis, *Vetuſtatis contentio.* ex ſitus locorum, quæ inhabitarent, Natura & ratione contendit. Ac Aegyptum quidem, nondum cognitis Hebræis, terrarum parentem Grçci dixerunt, *Aegyptij.* & eandem diuturnã rerum priſcarum memoriam in templis adſeruaſſe. Scythiæ uerò, & his *Scythæ.* coniunctæ regiones, tutiſsimis in locis montanis poſitæ, diuerſis temporibus maximas emigrationes fecere, quas eaſdem ab Hebræis originem duxiſſe tradunt. Abramus primùm, dein Abrahamus dictus, pater gentium futurus, & ſanctioris huius *Abrahamus.* Reipublicæ ſeminarium, diuinis monitis informatus, & obſequutus, comite Loto, relicta Chaldæorũ gente, in Aegyptum fame cõpulſus uenit. Iidem pòſt opulentiores reuerſi, ſeparantur: Lotus terram ad flumẽ Iordanem occupauit, Abrahamus Cananęam, quam poſtea Palæſtinã dixere, proli futuræ à ſummo Deo promiſſam: *Palæſtina.* è cuius ancilla Agar Iſmaelus natus, qui in Arabia Iſmaelitis initiũ dedit. Sed è Sara iam annoſa Iſaaccum *Iſaaccus.* ſuſcepit: quem ex mandato Dei immolaturus, agnita conſtanti fide atqꝫ obedientia, prohibetur. Dein ipſi Iſaacco, paternæ felicitatis ſucceſſori futuro, adiuncta eſt uxor Rebecca, ex qua uno partu Eſaum (ab eo Idumæi Arabes) & Iacobũ habuit: qui *Iacobus.* idem obtẽta ortus prærogatiua, ad Labanem profugus, Liam primùm, pòſt Rachelem ſeruitij iure in uxorem duxit. Idem ad patrem rediens, Iſrael dictus, filios in uniuerſum XII genuit, ſeminarium magnæ illius, *Iſraelitæ.* & futuræ omniũ felicisſimæ Reipublicæ, quam inde Iſraeliticam appellarunt, ſummum dominatum aliquando habituræ. Ex ijſdem filijs Ioſephus, ſuſcitato cæterorum fratrũ odio atqꝫ inuidia, *Ioſephus.* quòd amicior patri eſſet: quodqꝫ magnum aliquando futurum, uiſa ſomnia promitterent. Itaqꝫ indignè à fratribus diuenditus, ſeruitutem ſeruijt: comparata pòſt in Aegypto, ex ſingulari in ſomnijs interpretandis doctrina, apud Pharaonem regem, dignitate & autoritate, eòdem patrem cum omni familia, quæ graui rerum penuria & ſterilitate premebatur, tranſtulit. Iſrael autem moriens, filios XII nominatim ſingulos affatus, quæ euẽtura eſſent, diuinitus prædixit:

Sceptrũ Iudæ. cùm alia multa, tum illud, sceptrũ Iudę non sublatum iri, quoad nostræ salutis autor, qui esset mittendus, uenisset, clarè pronunciasse traditur: cuius corpus, sicuti mandarat, Iosephi opera est in auitas sedes deportatũ. *Assyriorum regnum.* Diuersi per orbem Principatus iam ab Abrahami temporibus, multiplicatis populis, exoriebãtur. Ninus Belo (quem Nemrotum patrem habuisse dicũt) progenitus, patri dissimilis, potẽs apud Assyrios, mortalium primus sola regnandi cupiditate adductus, & minimè suis finibus contentus, quos tueri primùm satis erat, infesta arma latissimè per Asias, ad Libyæ terminos usque circumtulit: qui præter cætera Ninum, appellatã Niniuem, condidit: & Zoroastrem Bactrianum regem, astrorum peritum, & Magices autorem, confecit. *Prima Monarchia.* Summa hæc tum fuit potentia, cui opponi alia non posset. Eodem Nino mortuo, & impubere filio eiusdem nominis relicto, *Semiramis.* mater Semiramis nondum regno maturum circunspiciens, uirilem sexum ementita, magnis rebus aduersus Aethiopas & Indos gestis, atque ingentibus structuris celebris, Babylonem, ut quidam tradunt, instaurauit, ac regnum diu tenuit. Pòst confirmata de se uirtutis armorum opinione, quę esset, patefacere uolens, *Ninus iunior.* filij Nini concubitum postulare ausa, ab ipso interimitur. Hic deinde regno potitus, spreta rerum gerendarum gubernatione, & eadem præfectis concessa, luxui, ocio, & ignauiæ sese dedidit: quod exemplum postea tanti huius Assyriorum Principatus fuit ruina. *Emigratio populi Israelitici.* Sed populus Israeliticus auctior iam factus, Aegyptijs maximo terrori erat, ut dura Pharaonis seruitute premeretur, & ille nimijs incrementis sese proferentem sobolem *Moses.* conaretur extinguere: cum Moses infans summa Prouidentia seruatus, à regis filia susceptus, adoptatus, & educatus, instituitur. Pòst adultior, parta iam de Aethiopibus uictoria, ad res maiores suscipiendas diuinitus adhibetur: cuius excellen- *Aaron.* te Prudentia, adiuncto Aarone fratre, uniuersus populus esset à seruitute liberandus, & extra Aegyptum in patrias sedes, superiorum uaticinationibus promissas, deducẽdus. Itaque cum *Pharao.* nullis calamitatibus prædurum cor Pharaonis à sæuitia reuocari posset, Moses multis diuinitatis documentis confirmatus, *Transitus maris.* re secretò confecta, Aegypto excessit: ipsis transituris aquæ maris patuerunt, quæ persequente Pharaone cum maximis equestribus copijs, Aegyptios calamitoso exemplo absorbuerunt. Moses per Arabiæ deserta & solitudines multitudinem edu- *Lex.* cens, acceptis ad mõtem Sinam à summo Deo legibus, afflictos suorum animos, & magnis rerum difficultatibus debilitatos, XL annorum spacio prudentissimè confirmauit, atque Israeliticam

ticam Rempublicam & priuatam preclaris institutis, ciuilibus & sacris, optimè stabiliuit. Tot rebus maxima uirtute gestis, moriens, conuocatis XII tribubus, easdem ad seruandam summi Dei legem, euentura praedicēs, cohortatur. Cuius successor relictus, uir in primis strenuus, Iosua, terram Cananeam, maioribus antea promissam, & pulsis magna uirtute, atque felici rerum successu, eius loci regulis, occupatam, conuenienter suis, uti Moses mandauerat, distribuit: ut firmas iam sedes posuerint, atque per multos annos, rebus in omni uarietate administratis, incoluerint. Idem Iosua sub finem uitae, populum euocatum confirmat, & ut in lege Dei constanter perseueret, hortatur: cuius rei testimonio praegrandem lapidem erexit. Caeteri per orbē dispersi populi, cum iam stabiles sedes collocassent, rebus omnibus ad uitam transigendam necessarijs sese commodè instruxerunt. Graeciae nanque rerum aliquo successu inclarescentes, iam ciuitatibus Sparta, Athenis, & Corintho nobilitantur. Praecesserat sub Ogyge (Graecos Noam intellexisse existimant) grauis eluuio, quam alia Deucalionis & Pyrrhę tēporibus est consequuta, Graecis cùm alia multa, tum genus hominum ex proiectis lapidibus instauratum affingētibus. Longinquae etiam ad Indos Liberi patris peregrinationes multos populos, rebus ad uitam degendam conducentibus, excoluere, in cuius exercitu erant Bacchicae foeminae. Idem primus Graecis uini usum dedit, ac emere & uendere docuit. Argonautarum celebris, duce Iasone, & comite Medea uxore, ad Colchos consequuta nauigatio, collectis ex omni Graecia primae nobilitatis uiris, quo inde pellem arietis, gentibus memorabilem, reportarent. Ex his fuit Alcmena progenitus Hercules, uirium & animi magnitudine excellens, atque monstrorum domitor habitus, qui cum Amazonibus, foeminis uirili audacia à Scythis oriundis, Asias excurrentibus, conflixit. Idem comparato & instructo exercitu, orbem terrarū latè peragrauit. Itaque ex Africa progressus in Hispaniam, erectis ad Gades columnis, Geryonis boues abducens: inde Gallias, condita Alexia, quam finitimis compleuit: superatis pòst Alpibus, quae inde Graiae sunt dictae, Italiam, Caco fure sublato, primùm lustrasse proditur: à cuius socijs & militibus pasim relictis, multae orbis regiones factae excultiores, inclaruerunt, ut plerique populi ab ijsdem nomina atque originem suam repetant. Scriptores hisce temporibus duo maxima bella cōtigisse memorant, Thebanum & Troianum: illius hic fuit cursus. Oedipum Laius pater ex Iocasta uxore susceptum, ne ab eo, uti praedictum erat, interficeretur,

Iosua. — *Externi populi inclarescunt.* — *Deucalion.* — *Liber pater.* — *Argonautae.* — *Hercules.* — *Columnae.* — *Bellum Thebanum.*

pedibus ferro traiectis, in solitudines amādarat. Hic factus adultior, cum pater in angustijs fortè occurrisset, neuter alteri notus, cedere Oedipus recusans, orta dissensione, Laiū interemit: ac pòst similiter inscius, Iocastam matrem pro uxore habuit. Ex eadem nati sunt fratres duo, ita coniunctissimi, Eteocles atque Polynices: qui patre mortuo, de alterna regni Thebanorū administratione consenserunt. Eteocles autem, expleto anno, Polynicem minimè admissurus, repulit. Hic profugus ad Adrastum regem Argiuorum, cum Tydeo gener asciscitur. Itaque cum Adrastus illum restituere pararet, ut præmissum Tydeum iniuria affectum uidit, protinus commotus, armis rem tētare conatur. Hic proceribus gentis inter se commissis, ad extremam utriusq; partis internecionem atrocissimè simul & acerbissimè est dimicatum.

Bellum Troianum.

Troiani autem belli, quod memorabile fuit, ni quid Grꝫciæ affingat uetustas, breuis eiusmodi progressio esse poterit, præter ea quę in contrarium à nonnullis, de Troia non capta, dicuntur. Priamus rex Troianorum, cum Hesionam sororem à Telamone non reddi intellexit, Alexandrum filium, qui & Paris dictus, ulciscendæ iniuriæ caussa, in Græciam mittit.

Helena rapitur.

Hic Helenam Menelai regis coniugem, Græcorum pulcherrimam, rapuit, & abduxit. Græciæ totius proceres grauiter offensi, Agamemnonem instructissimæ classi pręfectū, consequuntur. Inde præmissi legati, qui Helenam repeterent: ij cum minimè illam reddituros Troianos nunciassent, maturant omnes proficisci.

Græcorum nauigatio & conflictus.

Ac primùm in littore infensis animis fortissimè utraque ex parte dimicatum. Troiani pòst in urbem repelluntur. Iam Hector, Paris, & Aeneas, Græcis, Agamemnoni, Achilli, Diomedi, & Menelao oppositi, acerbius per multos dies uario euentu conflixerunt. Hector strenuissimè dimicans, ab Achille tandem interimitur. Orta in castris Grecorum seditione, Palamedes Agamemnonis locum aliquandiu tenuit, & breui occubuit. Interim Achilles uisam Polyxenam Priami & Hecubę filiam, adamauit, ut ad certamen difficulter pertraheretur. Commisso tandem prælio, Troilum sustulit: ipse per insidias à Paride est occisus. Bellatum cum Amazonibus, quæ in auxilium aduersus Græcos uenerant. Harum regina Penthesilea, uiriliter manum conferens, saucia moritur.

Græci in urbem admissi.

Pòst Aeneæ & Antenoris facto (uti credunt) qui Græcorum legatorum honoratissimi hospites, & autores pacis, atque reddendæ Helenæ semper fuerant, introductis noctu Græcis militibus, sublato Priamo,

Ilij excidium.

Ilium decēnio obsessum capitur, & incenditur. Hoc tanto hominū concursu non militaris solum disciplina instituta, uerùm etiam pleni artis opificum

ficum labores,& præclara opera, legum utique, ac potius ciuilis uitæ instruendæ & informandæ rationes, in aliqua celebritate atque usu tum fuisse commemoratur. Vlysses inde Græcorum legatus, diuturno errore multa passus, & ex dißimilibus *Vlyßis errores.* gentium,quas uidit,moribus,longo rerum usu exercitus, summam Prudentiam atque Sapientiam collegit. Sed dispersi pòst Troiani, diuersas orbis terrarum partes incoluerunt: à quibus ijsdē genus se ducere, Antiquitatis memoria inde repetita, plerique populi editis libris profitentur. Eiusmodi tamen res in *Græcorum res obscuræ.* summa temporū obscuritate esse positas cognoscimus, ut nec ab ipsis, qui illa cōscribunt, satis probari uideantur: cum alij diuersis temporibus atq; rationibus alia esse aliter gesta contendant. Quocirca Hebræos scriptores, qui rerum omnium primordia uerißimè, & quod est laude atque fide dignißimum, *Historiæ Hebræorum ueritas.* maxima inter se consensione persequuntur, constanter retinemus: ut eos solos, quibus ad ultimam temporum memoriam patefaciendam, summa omnia tribuimus, amplectamur. Itaq; decessum Iosuæ multiplices rerum commutationes atque difficultates *Hebræorum Iudices.* protinus consequuntur: siquidem eorum quæ Moses & ipse sanctißimè præscripserat, Hebræi obliti, peregrinis institutis sese tradiderant: quibus regendis ac defendendis, diuinitus suscitati principes uiri, quos Iudices appellarunt. Ex quibus præter alios fuere Gedeon, in rebus strenuè gerendis maximi *Gedeon.* animi uir: atque Samson, mortalium omnium fortißimus *Samson.* habitus: qui uario rerum successu à finitimorum iniurijs, incursionibus, & seruitute populum tutati sunt, ut acceptam à Deo sanctiorem disciplinā diutißimè, licet uarijs interuenientibus, conseruarent. Pòst Samuelus ab Helio sacerdote præclarè in- *Samuelus.* stitutus, & diuinis monitis informatus, populo auidè regē petenti, instituta ac regia iura, quæ essent seruanda, proposuit, ac primùm Saulem regem creauit. Rebus conturbatis, ascitus in- *Saulus.* terim Dauid, qui admodum adolescens, eximia uirtutis indole *Dauid.* præditus, inermis, baculo & funda solum usus, superbum ac ferocientem ex Palæstinis, inusitatæ magnitudinis bellatorem, nomine Golias, singulari certamine prostrauit. Israelitæ receptis animis, hostes sunt persequuti. Dauid præcisum Gigantis caput Sauli pertulit. Eodem Saule mortuo, Dauid rex salutatur: qui maximis rebus cum summa gloria aduersus hostes gestis, regnum tenuit, & amplificauit, ut finitimis iam superior, eosdem tributarios fecerit. Hierosolymam inde regiam sedem *Hierosolyma.* constituens, mœnibus cinxit, atque communiuit. In tantis successibus multa interuenere; ut commißi grauis adulterij cum

Bethsabea,marito illius, Vriæ nomine,bellicis periculis expo- *Absalon.* sito, pœnas sustinuerit. Itaque per seditionem regno ab Absalone filio pulsus, hostiliter cum eo dimicauit: uictus Absalon, à Ioabo Dauidis præfecto,cum inter fugiendum,è quercu fortè penderet sublimis,est confossus: qua re intellecta, Dauid filij necem acerbissimè tulit, & admodū piè luxit. Postremò ob factam eorum qui arma ferre possent, ex omni populo recensionem,ex data triplici optione,per triduum pestis latissimè sæ- *Solomon.* uijt.Iam moriturus, Solomonem ad constanter seruandā summi Dei legē, sanctissimè est cohortatus. Hic idem regni factus successor, accepta diuinitus Sapientia, eandem prudenter lata de duabus inter se contendentibus mulierculis sentētia,populo optimè comprobatam reliquit.Itaque cum festa pace uteretur,rebus omnibus affluens,apparatu regio,opum magnitudine, atque finitimorum regum singulari amicitia, patris institu- *Templi exædificatio.* tum opus de exędificatione memorabilis templi, ipse septennij spacio compleuit,atque supremo Deo consecrauit. Sub finem autem uitæ, more humani ingenij, sese indignis uoluptatibus *Antenor.* tradidit. Ab euersa Troia profugi Antenor atque Aeneas,instructa classe, nouas sedes quæsierunt. Ille ad dextram, in intimum maris Adriani sinum penetrans, pulsis Euganeis, Patauium condidit: gentem inde uniuersam, à comitibus Henetis, *Aeneas.* dictam Venetam tradunt. Sed Aeneas,ad maiora rerum initia ducentibus fatis,longiore errore primùm in Macedoniam uenit:inde in Siciliam, in qua insula Anchisem patrē amisit: pòst in Italiam,quam Latinus rex,Fauni filius,& Aborigenes incolebant, conuersus, ab eodem Latino, colloquio excipitur. Hic gentis uiriq; nobilitatem admiratus, & animū uel bello uel paci paratum,dextra data,fidem futuræ amicitiæ sanxit.Concilia- *Lauinium.* tis animis, Latinus filiam Lauiniam in matrimonium dedit,de cuius nomine Lauinium oppidum conditur. At Turnus Rutulorum rex, ereptam sibi ante Aeneæ aduentum, despōsatam coniugem,molestè ferens,tantam iniuriam bello uindicare conatur. Hic commisso prælio, uiribus inferior, Aeneæ uictori Mezentium Ethruscorū regem opposuit, ac ultimò inter illos est dimicatum. Ascanius Aeneæ filius,adultior factus,relicto *Ascanius Albam condidit.* nouercæ Lauinio, haud ita procul Albam sedem regiam construxit. Phœnices negociatiationibus maritimis clari, Tyrum, quam condiderant,incoluere:ac pòst in Libyam missa iuuentute, coloniam deduxere, Vtica est appellata: quo tempore Pi- *Carthaginis primordia.* gmalion,spe potiundi auri,Sichæum sororis Elisæ,quæ & Dido,maritum sustulit. Hæc grauiter indignata,effugiens,in Cyprum,

prum, pôst in Africum littus defertur: quo in loco solum mercata, Byrsam primùm, dein minus ex reperto bubuli capite auspicatum existimans, ut equinum non ita longè inuenit, bellicam gloriam significare rata, Carthaginem condidit: quæ ab eiusmodi incrementis, magno finitimorũ concursu, rerum omnium copia affluens, ad summum uenit dominatum.

Athenarum libertas.

Victrices Athenæ bello cum Doriensibus ex uolũtaria Codri regis morte, oraculo obsequentis, in semel parta libertate sese continuerunt: ut fuerit hic regũ ultimus à Cecrope, nec ullum deinceps regem admiserint, principibus ciuitatis nouem, annuis magistratibus, rerum summæ pręfectis.

Regnum Assyriorum ad Medos translatũ.

Apud Assyrios, contempta rerum administratione, intemperantius luxuriantem, & in grege fœminarum purpuram colo nentem Sardanapalum, Arbaces præfectus principatu indignum arbitratus, cum bello illato in desperationem adegisset, regnum ad uicinos Medos transtulit.

Secessio Israelitarum.

Sed Hebræorum dominatus iam à Solomonis decessu, propter illius grauem offensionem, in partes contrarias, maximo rerum quæ consequutæ sunt, incommodo, diuiditur. Roboamus nanque sprętis senibus, ascito iuniorũ consilio, de grauitate exactionum nihil populo remissurus, seuerius respõdit.

Israelitarum regnum.

Factum inde, ut relicta Iudæ & Beniamini tribu, cæterę decem Ieroboamo rege delecto, per secessionem, regnum aliud Israelitarum constituerint: qui à religionis integritate desciscentes, auita disciplina commutata, peregrino cultui sese implicarunt. His intestinis inter se discordijs in rerum omnium discrimẽ uenerunt, ut suis ipsorum confecti uiribus, acerbissimis & atrocissimis finitimorum Assyriæ regum incursionibus expositi, capta Samaria, & seruitute imposita, fracti sint, atque conciderint.

Iudæ regnum.

At Iudæ regnũ, licet diuersis rebus interuenientibus, concussum & debilitatum fuerit, diutius, ut prædictũ extabat, constitit: atque syncerioris doctrinæ assiduos hortatores, Vates, & Prophetas habuit.

Hierosolyma capitur.

Pôst Assyrij, qui partem Babyloniæ tenebant, cum uehementius premerent, obsessa est, & capta Hierosolyma. Templum totius orbis terrarum maximum & nobilissimum conflagrauit, translata omnis preciosior supellex: ciues in seruitutẽ Babylonem abducti, miserè & indignè habiti sunt.

Olympiadum institutio.

Institutę iam apud Gręcos Olympiades, celebritas fuit magno totius Græciæ concursu, quæ annis quatuor expletis, quinto quoque redeunte ita repetebatur, ut annus Olympiadis cuiusque primus, finis esset antecedentis, & initium consequentis. Quibus certior ac fidelior rerum diuersis locis ab ijsdem Græcis gestarum memoria, in scripta est deinceps relata, & pro tem

porum

porum ratione distincta. Nam quæ supra illa tempora illi ipsi gessere, adeò sunt uarijs & ingeniosis commentis implicata, ut pleraque meritò fabulis simillima habeantur. Reges autem in

Reges Albani.

Italia Ascanio succedentes, dum ad Procam est uentum, Albæ, quæ erat Latij caput, regnarunt. Hic duos habuit filios, Numitorem & Amulium. Pulso fratre, principatum Amulius obtinuit, uirilem fratris stirpem interemit: ac fratris filiam, Rheam Syluiam, ut partum auerteret, in ordinem Vestalium coopta-

Remus & Romulus.

uit. Hæc à Marte, uti credebatur, compressa, geminos, Remum ac Romulum suscepit, quos flumini coacta est exponere. Hic Faustulus regius pastor, cum lupam mitem factam, infantibus mammas summissas præbentem, inuenisset, Laurentiæ uxori educandos tradidit: quanquam eandem, uulgato corpore, Lupam inter pastores uocatam existimant. Protinus ut adoleuerunt, regiæ indolis significatione, & fide pastoris tandem agniti, impetu facto, Amulium obtruncant, & Numitorem in illius locum reponunt. At ipsi relicta Alba, cum montium ac fluminis amatores essent, ubi fuerant educati, mœnia nouæ urbis au-

Roma cōditur.

spicatò aggresi, Romam condidere. Occiso dein per inuidiam

Primus regum Romulus.

fratre Remo, suscepta totius administratione Romulus, urbem principatu orbis aliquando potituram, Asylo instituto, uiris undique confluentibus, & per fraudem ad spectandos ludos Sabinis uenientibus, fœminis cōpleuit. Eosdem Sabinos, uicinorum ope tantam iniuriam ulcisci uolētes, cohibuit. Pòst facta pace, in urbem immigrarunt: pro hostibus amici redditi,

Populus tres in ordines distinctus.

apud generos suos uixerunt. Idem Romulus administrationi rerum delectos Senatores centum, ætate, uel curæ similitudine Patres appellatos, publicis tractandis consilijs præfecit. Alter erat equestris ordo, ut militari uirtute res suas & principatum firmaret. Plebei ordinis erat reliqua artificum multitudo. Inde

Numa Pompilius.

Numa Pompilius regno, pietate & iustitia insignis, succedens, ferocem populum, armis deditum, legibus & sacrorum institutis deuinxit, ac omnibus pacis artibus fecit mansuetiorem, quo ita principatū ui & iniuria partum stabiliret: quæ eadem, quo plus autoritatis haberēt, nocturnis cum Aegeria dea cōgresibus sese moneri atque informari simulat. Iani templum edidit, cuius porta pacis index, tum primùm clausa. Hunc sequutus

Tullus Hostilius.

Tullus Hostilius, arma quæ conquieuerant, disciplina militari instituta, recepit, ne populus ocio ac desidia langueret & torpesceret. Cum Albanis dimicans, totius belli euentus Horatijs Romanis, Curiatijsq́ Albanis, trigeminis hinc inde fratribus, committitur: ex his unus superstes Horatius, uictor redit: pòst

Alba

Alba deleta, & opes Romam translatæ. Ancus Martius, magnificis structuris delectatus, urbē muro cinxit. Tyberim ponte Sublicio iunxit, Hostiam maris portum coloniam deduxit. Tarquinius Priscus, Græcorum disciplinis imbutus, Sabinos acie deuicit: Senatum ac Tribus auxit, Capitolium est auspicatus: ac primus Triumphum, equis albis aureū currum trahentibus, instituit, & multiplicia Magistratuum ornamenta introduxit. Præcipuus fuit Seruius Tullius, sanctor legum, quibus etiam reges obtemperarēt. Idem censum primus instituit, quo bello & paci opportuna redimerentur: in classes & centurias populum diuisit, atque Lustrum introduxit, quo temporum ratio haberetur. Aes tum primùm signatum, à pecudis nota, pecuniæ nomen retinuit. Eiusmodi regum incrementis urbem omnium maximam futuram, à finitimorum grauissimis incursionibus optimè uindicarunt, atque præclaris Reipublicæ administrandæ institutis nobilitarunt & firmarunt. Sed prægrauantem interim Gallorum multitudinem, quam inuitatam Eliconis Heluetij, qui Romam fabrilem ob artem uenerat, facto, tradunt. Bellouesus in Italiam, pulsis Tuscis, quos dux Rhetus ad Alpes deduxit: inde Alpina Rhetorum gens profecta, & Sigouesus in Hercynios saltus, ad sedes collocādas, transtulerunt. Itaque Galli sedibus in Italia firmatis, Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Bergomum, Tridentum, Vicentiam, urbes, quarum etiamnum magna est celebritas, condiderunt. Ex hac Gallorum in Italiam emigratione, intermedijs Alpibus, Gallia citerior atque ulterior est appellata. Quo eodem tempore aduenæ Græci Phocenses in littore Galliarum Massiliam primùm ædificarunt: quæ cum esset Græcorum portus, linguam, instituta, atque disciplinam suorum constanter seruauit. Eadem Massilia, consequentibus annis, uiribus aucta, cum uicinis, maximè cum Carthaginiensibus, res gessit, & in Hispaniæ atque Galliæ littore pleraque oppida cōdidit. Græcorum res suis incrementis multum prouehebantur, cum Athenienses simul & Megarenses de contentione insulæ, quæ Salamina dicitur, multis prælijs debilitantur: ut iam Athenis capitale esset, de eadem uindicanda consultare. Quibus temporibus Solon Legislator, subita dementia simulata, miro consilio perfecit, ut de Megarensium manibus protinus eriperetur. Pisistratus dux Atheniensium, ijsdem Megarensibus, cum iniuriam ulcisci uellent, est oppositus: qui ipse successu rei bene gestæ elatus, non multo pòst callidè tyrannidem occupauit. Medorum principatum tenebat Astyages, qui somnij memor, natum ex

Ancus Martius. — *Tarquinius Priscus.* — *Seruius Tullius.* — *Gallorum emigrationes.* — *Ciuitates in Italia à Gallis conditæ.* — *Massiliæ primordia.* — *Res Atheniensium.* — *Solon.* — *Pisistratus.* — *Medorum regnum in Persidem translatū.*

Mandane filia (huic nanque totius Aſiæ imperium promittebatur) occidendum Harpago dedit: ſed is metu filiæ ductus, tradidit paſtori regij pecoris: cuius uxor mota regio infantis aſpectu, ſuum partum fortè tum mortuum, huius loco exponi uoluit. Ita magni illi principatus diuina Prouidentia ex periculoſiſsimis exordijs ducuntur: præter hunc Cyrum nomine, etiam admirabiliter ſeruatum Moſem, & fratres Remum ac Romulum ſuprà diximus. *Aſtyagis crudelitas.* Aſtyages igitur Cyrum ut cõſeruatum intellexit, patri Harpago filium crudeliter epulandum appoſuit. Tantam iniuriam expectata occaſione ſic ultus eſt, ut cum aduerſus Cyrum aduitiorem factum, copiarum pręfectus eſſet delectus, ad eundem trãſierit. Pòſt Aſtyage ſuperato, regnum in Perſidem eſt translatum. *Cyrus rex Perſarum.* Itaque Cyrus, præſtanti uir ingenio, atque imperij gloria, totis Aſijs latè uictor, capta Babylone, Danielem audiuit, & Iudæos à ſeruitute liberauit: quos Zorobabele duce, ac Ieſu Pontifice, muneribus donatos remiſit. *Iudæorum restitutio.* Iidem cum templi ruinas inſtaurare conarentur, ad conſequentia uſque Darij tempora ſunt impediti. *Crœſus.* Crœſum Lydorum regem opulentiſsimum, bello captum, prudenti Solonis admonitu, nullam tantam eſſe beatitatem, aut potentiæ magnitudinem, quę non ſuis incommodis & periculis ante obitum ſit expoſita, cum ſe in eundem caſum humana conditione recidere poſſe intelligeret, clemẽter habuit. Idem Cyrus opũ & uirium amplitudine cõfirmatus, translato in Scythiam bello, Thomyris reginæ inſidijs in anguſtias redactus, quàm maxima ſuorum ſtrage, ne nuncio quidem relicto, opprimitur. Præciſum *Cyri mors.* Cyri caput, in utrem ſanguine humano plenum, fuiſſe impoſitum, diuerſi commemorant, cum hac crudeli exprobratione, ut ſanguine, cuius inſatiabilis fuiſſet, tandem ſaturaretur. Alij tradunt, conuocatis filijs, amicis, atque magiſtratibus Perſarum, luculentam, quę etiamnum legitur, orationem de immortalitate animorum habuiſſe. Confirmauit primùm Cyrus gentes linguis & inſtitutis diſsimiles, locis diſiunctas, legitimo unius principatu teneri poſſe. *Monarchia.* Tertius hic fuit dominatus ab Aſſyrio & Medorum, cui non facilè propter magnitudinem per ea tempora quiſquam opponi poſſet: Monarchiæ inde nomen dimanauit. A' qua eadem Græci tam multarũ rerum, quæ longis temporum ſpacijs præceſſerãt, ignari ueteris memoriæ ſcribendæ, initia potiſsimum deduxerunt. *Rerum Romanarum commutatio.* Apud Romanos, ut ſunt res hominum ad commutationem faciles, ſimulac rebus ſecundis animi inſoleſcunt, *L. Tarquinius Superbus.* L. Tarquinius, ex morum ſæuitia Superbus appellatus, cum in hoſtes eandem ſæuitiam tranſtuliſſet,

liſſet, maxima oppida in Latio occupauit. Huius deinde filius Sextus, conſtantis Lucretiæ (uxor erat Collatini) nocturna ui pudicitiam cum expugnaſſet, tantum dedecus ferro expiatura, in conſpectu omnium ſeipſam interemit. Brutus & Collatinus, pudicitiæ decus ulciſci uolentes, populo ad libertatem excitato, Tarquinios urbe exegerunt: communi deinde cõſenſu, iureiurando Bruti opera dato, non cenſuerunt deinceps reges habendos. Itaque ijdem in libera ciuitate primùm Coss. deſignantur, & Senatus dignitas apud Romanos cõſtituitur, quæ multis è regibus cõpoſita uidebatur. Sic principatus annuus, ne qui diuturnitate inſoleſcerent, ex perpetuo: duplex, ut alius ab alio, ſi improbus eſſet, coerceretur, ex ſingulari conſtitutus. Iam inde hoc libero Reipublicæ ſtatu, Coss. annis ad temporum ſeriem tenendã, prætermiſsis luſtris, res dinumerare cœperunt. Ab ijs primordijs paſtoricius hic populus admirabili progreſsione, incredibiliq́ curſu, ad omnem principatus excellentiam atque potentiam contendit, & aduerſus finitimos de finibus atque imperio, pro uita atque gloria, diu multumq́, uario ſucceſſu, magnis animi corporisq́ uiribus decertauit. At in Perſide Cyri filius Cambyſes, diſsimilis ſucceſſor, Deſpota dictus, Prexaſpis filium ipſe crudeliter, Smerdim fratrem, ac ſororem pro uxore habitam, interimi iuſsit: qui idem cum ex Aegypto rediret, uagina clapſo gladio incumbens, nullo regni hærede relicto, moritur. Magis, quos pro ſapientibus Perſæ habuere, tum depulſis, facta procerũ maxima de ſtatu rerum conſtituendo deliberatione, Dario, qui unus erat ex ijſdem principibus, ſingulari aſtu ſerui, cæteris protinus acquieſcentibus, regnum eſt conceſſum: quod ipſe, ducta in uxorem Cyri filia, confirmauit. Pòſt callido Zopyri facto, qui præciſis auribus, labijs, & naſo, Babylonem transfugit, urbs recepta. Hic inter libros Cyri decretum eſt inuentũ, de inſtauratione templi Hieroſolymæ: cuius rei admonitu Darius, ne deinceps impediri poſſet, ſumptus ad ædificationem contulit. Eundem cum magnis ex omni Perſide copijs uenientem in Europam ad Marathonios campos, Athenienſes decem millibus armatorum, & Platæenſium mille, nimium cunctantibus Lacedæmonijs, duce Miltiade, magna celeritate, & animi alacritate profligarunt. Multũ inde aucta & celebrata, hoc totius Græciæ terrore ſublato, Athenienſium in armis gloria, ut picturæ inſignes factæ ſint, & multi ſcriptores eius uictoriæ claram memoriam conſeruarint. At nimiũ ingrati ciues, maioris potentiæ metu, eundem Miltiadem in uinculis ad extremum indignè habuerunt.

Lucretia.

Reges urbe pulſi.

Conſulum inſtitutio.

Romanorum ſucceſſus.

Cambyſes.

Magi.

Darius.

Babylonis recepta.

Templum Hebræorum.

Expeditio Darij in Græciã.

Miltiades in uincula coniectus.

Tarquinij restitutionem moliuntur.

Romę autem cum Tarquinijs urbe pulsis pugnatum: siquidem finitimos, quo restituerentur, sollicitarunt. Itaque Ethrusci, Porsenna rege, Romanis sese opposuerunt: cum Horatius Cocles

Virtutis exempla.

sublicium pontem solus magna uirtute defendit: cum Mutius, Scæuola cognominatus, occiso scriba pro Rege, singularis patientiæ documentū dedit, cumq́ obses Clœlia uirgo Tyberim tranauit: ut eiusmodi fortitudinis, constantiæ, & magnitudinis animi exemplis uictus Porsenna, pace facta, à bello abstinuerit. Tarquinij uerò tam diu dimicarunt, quoad Brutus, & Aruns regis filius, mutuò occubuere. Pulsi sunt etiam Latini, Tarqui-

Seditio plebis.

nijs opem ferentes: cum translatis à finitimorum bellis ad suos inimicitijs, plebs ære alieno oppressa, in sacrū montem secessit: ex quo fabellæ explicatione, quæ est de immuni atque ocioso uentre, & artubus alimenta subministrare negantibus, Menenius Agrippa uix tandē reduxit, nisi in eiusdem plebis gratiam,

Tribunitia potestas.

sedatis discordijs omnibus, Tribunitia potestas fuisset concessa & instituta: quo his defensoribus atque iudicibus, suam libertatem aduersus Senatum & Consules tutarentur. Paulo ante hæc tempora nouus Magistratus, Consulatu maior, in extremis periculis creari cœptus, summæ potentiæ unicum robur, cunctis

Dictatura.

terrori fuit, & Dictatura appellat̄. Titus hinc Largius primus

Magister equitum.

Dictator habitus. Suberat eidem dignitati alia Magistri Equitum: hanc primùm gessit Spurius Cassius. Ita continenti rerum progressione hic principatus ad summum prouehebatur. Pul-

Coriolanus.

sus interim urbe Q. Martius dux Romanorum, qui Coriolos cęperat, Volscorum oppidum: quorum auxilijs fretus, Tribunos, qui illum exagitarant, patriæ urbis expugnatione erat aggressurus, nisi post aliquot legationes tandem missę fuissent Veturia mater, & Volumnia uxor, quarū precibus & lacrymis est

Fabij oppressi.

obsequutus. Veientes ad Cremerā trecentos & sex uiros unius familiæ, quæ Fabiorum dicebatur, dolis circumuentos, oppres-

Xerxis in Graeciam expeditio.

sere. Xerxes uerò, terror gentium, patris Darij acceptam à Græcis cladem, quàm maximis copijs, quantas nulla audierat ætas, uindicaturus, è Perside in Gręciam uenit: copijs procedentibus ad Thermopylarum angustias, alacri animo & erecto Lacedæ-

Leonidæ animi magnitudo.

monius Leonidas cum paucissimis bene animatis, fortissimè occumbentibus, restitit: multa hostium millia à Græcis sunt cæsa.

Themistocles.

Progressus inde exercitus, Themistoclis Atheniensium ducis consilio & diligentia, quem Miltiadis trophæa uehementer inflammarant, naualibus prælijs debilitatur. Pòst Græcia excedens Xerxes, fugienti similis, relicto belli totius suasore & impulsore Mardonio, cōmunibus totius Græciæ uiribus ad Pla-

teas

teas uictus, tandem cessit. His Persarum expeditionibus præda & auro locupletata Græcia, luxum admirari cœpit. Sed Themistocles ab ingrata patria, quam conseruarat, exul est factus. Tribunis uerò, cõparata Romæ potestate, grauius tumultuantibus, facto communi consensu, Decemuiri, qui annuo imperio sine alio Magistratu, Reipublicæ præesse deberent, creantur. Missi inde sunt in Græciam, qui leges XII Tab. adferrent. Cum uerò ijdem à magnitudine sæuitiæ atque insolentiæ, decem Tarquinij appellarẽtur, cumq; in tertiũ annum Magistratum proferentes, non deponerent, incõtinens Appij Claudij libido tandem breui hoc finiuit imperium. Hic enim Virginij cuiusdam filiæ stuprũ illaturus cum esset, à patre illa protinus interempta, plebs multum commouetur. Seruatis pòst legibus, intermissus Consulatus reuocatur. Regnum Persarum multum opibus & potentia creuit: erant quippe præclara uitæ informandæ instituta, cum iunior Princeps à multis, qui in quoque doctrinarum genere excellerent, ad omnem ciuilem Prudentiam & uirtutem comparandam, diligentissimè præpararetur, cæteraq; ad conuenientem Principatus administrationem adhiberẽtur. Xerxi uir fortissimus Artaxerxes filius successerat, qui quòd dextrãm sinistra longiorem haberet, Macrochir est dictus. Hic bellicis et pacis artibus clarus fuit, & reliquos Hebræos, Esdra legis peritissimo, & Nehemia duce prudentissimo, remisit, qui urbis muros instaurauit, atque prisca gentis instituta confirmauit. Græci itaque rebus gestis inclarescẽtes, diligentius rerum memoriam in scripta retulerunt. Ex his, quasi duo lumina, Athenæ & Sparta nominabantur. Hæc acceptis à Lycurgo legibus, seueritate disciplinæ, grauitate morum, constantia, patientia, continentia, æquitate, rerum gerendarum studio, atq; omni bellica uirtute plurimum fuit commendata. Reipublicæ Spartanæ ratio eiusmodi, ut Ephoris supremæ potestatis Regi adiunctis, ex omnibus formis constaret. Athenæ autem singulari aeris temperatione acutiora habuerũt ingenia, ut diuturna uisæ libertate Eloquentiam, qua ad honores patebat aditus, & cætera doctrinæ atque literarum studia uehementer excoluerint. Eædem Solonis legibus utebantur, ex quibus præclara habuerũt uitæ informandæ, atque Reipublicæ administrandæ instituta. Itaq; Athenienses & Spartani, pulsis communibus animis Persarum uiribus (ea est mortalium conditio, ut qui ab externo metu sunt liberati, uiolentas in sese manus postea cõuertant, & facilis sit inter pares conquiescentibus rebus æmulatio) diutissimè & acerbissimè infestis signis dimicarunt. Cum enim opulentiores facti

Decemuiratus apud Romanos.

Appij Claudij libido.

Regni Persici administratio.

Artaxerxes.

Esdras & Nehemias remissi.

Spartanorum Respublica.

Atheniensium.

Græciæ seditiones.

eſſent, nimium inter ſe diſcordes, una ciuitate euerſa, rerū ſummam ſibi altera pollicebatur. Itaque poſtquam muros Athenę ex ſpoliorū magnitudine firmaſſent, protinus in ſuſpicionem affectati totius Græcię principatus uenerūt. Spartanis ſeſe opponentibus, præter alia multa, origo fuit maximi & diuturni belli, ut non niſi mutuo excidio duæ potētiſsimę ciuitates conquieuerint.

Primordia bellorū Græciæ.

Nam Athenienſes aduerſus Lacedæmonios Periclem ſummæ eloquentiæ uirum, ſimul etiam Sophoclem Tragœdiarum ſcriptorem, delegerunt, qui excurſionibus Lacedæmoniorum uires frangerent. Ventum tandem ad conditiones pacis annorum XXX: ſed nondum XV elapſis, ijdem Lacedæmonij, moræ & ocij minimè patiētes, factis latè excurſionibus, bellum renouarunt. Quæſita ab Athenienſibus occaſione, expugnatur atque diripitur Sparta. Inde annorum L pax repetita, ad ſextum annū non progreditur. Nam cum manifeſtè bellum redintegrare, propter initum fœdus, non auderent, utricꝫ in Siciliam ſocijs ciuitatibus, Athenienſes Catanenſibus, Lacedæmonij Syracuſanis auxilia mittentes, de ſumma Græciæ longius decertaturi, maximas uires tranſtulerunt: ut non de Sicilia, ſed de uniuerſa Græciæ potentia, graue & acerbum certamen committeretur.

Bellum in Siciliam translatū.

Apertius iam commotis animis, Lacedæmonij bellicis ſumptibus à Perſis confirmati, aduerſus Athenienſes dimicarunt. Ab exilio reuocatus Alcibiades, inſtructa claſſe, magno rerum ſucceſſu eſt uſus, ut Lacedæmonijs factus ſit ſuperior. Athenas reuerſus, honorificè excipitur. Lacedæmonij Lyſandro duce bellum redintegrarunt. Miſſus ab Athenienſibus Alcibiades, cum minimè res ſuccederent, ijdem Cononem in illius locum repoſuere: cui etiam ceſsit minus feliciter. Alcibiades interea uolūtario exilio ad Perſas profugit, à quibus, ita ſollicitātibus Lacedæmonijs, eſt interemptus.

Alcibiades. Lyſander. Conon.

Pòſt Athenienſes, ſpe omni amiſſa, in deditionem recepti ſunt. urbs metu ſeditionis, cum eſſet à Codri tēporibus Ariſtocratia uſa, XXX rectoribus adminiſtranda traditur: ijdem Tyranni pòſt facti, etiam in optimos quoſque ſæuierunt: ac Theramenem, quo cæteris terrori eſſent, ſuſtulere. Interea Thraſybuli magna uirtute, collectis reliquis exulibus uarie diſperſis, tandem factum, ut ijdem deturbarētur. Reddita igitur libertati ciuitate, & introducta, ad uitandas omnis generis controuerſias, præteritarum iniuriarū obliuione, memorabili inſtituto priſtinum Reipub. ſtatum reuocarūt.

Athenienſium deditio. Triginta uiri. Thraſybuli uirtus.

Rebus dein uariè geſtis, Athenienſium auxilijs cōfiſi Thebani, duce Epaminonda, maximi animi uiro, Lacedęmonios diuturnis confectos bellis adoriuntur, ac ſupe-

Epaminondas.

superiores fiunt: sed interueniens Agesilaus, comparata uicto- *Agesilaus.* ria compresſit. Repetito bello, Spartam Thebani sunt aggresſi: ac pòst in Leuctris, & ad Mantineam pugnatum, ut Lacedæmoniorum uires multum fuerint debilitatę. Epaminondas fortisſimè dimicans, suis uictoribus relictis, graui accepto uulnere occubuit. Thebanorũ uirtus hoc uno imperatore plurimum emicuit. Apud Athenienses uir fuit clarisſimus Timotheus, *Timotheus.* quo duce urbes, insulas, omnem oram maritimam receperunt: & pace cum Lacedæmonijs facta, maris imperium tenuerunt. Pòst Athenienses deposita armorum gloria, ad ludorum appa *Atheniensium inclinatio.* ratus conuersi, publicam pecuniam in ijs multam consumpserunt. Quocirca succrescentibus nondum compertis Macedonum uiribus, ut Athenienses Spartanorum, & ijdem Thebanorum armis succubuerant, ita uniuersi tandem cessere. Sed in Italia Galli accersitis Cisalpinorum auxilijs, quæ & militum ro *Bellum Gallicum.* bore & uiribus semper formidabiles fuerunt, obsidione Clusium cinxere. At postquam Romanorũ Legatos, de pace componenda Clusium misſos, pugnantes in acie uiderunt, relictis Clusinis, aduersus ipsos Romanos profecti, obuiam ad flumen Alliam eorum aciem, duce Fabio Cos. fuderunt. Inde Romam conuersi, patentem, & defensoribus destitutam, occisis maioribus natu, incenderunt. Iuuẽtus, quæ in Capitolium duce Man *Urbs Roma capitur.* lio concesſerat, eosdem irruptionem facturos, clangore anseris admonita, prohibuit: pòst Camilli exulis aduentu, qui absens *Camillus.* fuerat creatus Dictator, Galli auro accepto, urbe cesſerũt: qui idem Camillus, ob liberatã patriam, alter Romanæ urbis conditor est appellatus. Monumentis librorum hoc bello Gallico incensis & consumptis, res gestæ Romanorũ deinceps plenius ac fidelius conscriptę, ad posteros peruenerunt. Tanta quippe *Consilium Romanorum de transferendis aliò sedibus.* fuit calamitas, ut Gallorum uicinitatem metuentes, de sede Veios transferenda consultarint: sed hoc consiliũ Camillus disturbauit. Inde Romani ab ea pugna, maioribus deinceps studijs ac uiribus, ad res gerendas procesſere. Galli tum ex cultus ua- *Galli à Romanis distincti.* rietate certius cogniti, ut qui in Italia consederant, propter uestes ad similitudinem Romanorum factas, Togati: qui maritima Galliæ loca tenebant, Braccati: longius in septentriones disſiti, à promisſis comis, Comati dicerentur. Superior Diony *Dionysius Superior.* sius in Sicilia tyrannicè imperitans, Carthaginienses ab insula repulit: & in magnam Græciam conuersus, multum bellis eandem adflixit: pòst suorum insidijs de medio est sublatus. Iunior *Iunior.* autem Dionysius, disſimulatione corrupti animi, militũ facto, patri succedens, cum nefandis cædibus arderet, atque intemperantius

rantius

rantius luxu diffflueret, coactus est Corinthum profugere: qui cum in summam inopiam recidisset, eadem in urbe literas docuisse traditur.

Philippus rex Macedonum.

Philippus Macedonum rex, domestica Epaminondæ institutione, apud quem obses antè uixerat, cum cæteri populi diuturnitate bellorum essent quodammodo exhausti & confecti, rebus gerendis animum adiecit, ut auitum regnum plurimum auxerit. Itaq; rebus domi compositis, aut finitimos sibi conciliare, aut cum ijsdem dimicare, aut alios magna calliditate sollicitare tentauit. Inde ab obsidione Byzantij, aduersus Scythas profectus, eosdem fudit. Græciæ pòst rebus intentus,

Athenienses fusi.

cum Atheniensibus acerbè grauiterq; pugnauit: hac uictoria modestè usus, captiuos gratis remisit. Conuētu Græciæ totius

Persicæ expeditionis auxilia.

facto, suscipiendæ Persicæ expeditionis auxilia obtinuit. Idem cum esset in eiusmodi conatibus, occiditur. Hisce temporibus ita sunt collapsæ Græcorum uires, quæ quidem difficillimis bellis fuerunt occupatæ: sed imperium extra Græciam non firmarunt, suam modò libertatem maximis uiribus à grauissimis externorum incursionibus defenderunt. Igitur patri Phi-

Alexander Magnus.

lippo successit Alexander, Aristotelis summi Philosophi doctrinis præclarè imbutus: quem res locis disiunctissimis fortiter gestæ, Magnum fecerunt. Suis ad arma incensis, & Græciæ rebus compositis, atque eorum auxilijs potens, patris institu-

Persicæ expeditionis successus.

tum in Persidem magno rerum successu est persequutus. Parua hic manu, suis militari disciplina bene institutis & eruditis, Darium regem cum maximis copijs sese opponentem, magnis uiribus prostrauit. Amplissimo & opulētissimo Persarum regno factus ita instructior, peregrinationū Liberi patris & Her-

Indiæ expeditiones.

culis admonitu, longissimè in orientem, ad Indos usque, conditis oppidis, rerum à se gestarum testibus, progreditur. Inde in Babyloniam conuersus, legationes de amicitia totius occidentis audiuit. Pòst coorta febre, cum largius adbibisset, rebus per annos XII in omni uarietate gestis, moritur. Regiones orbis plurimæ huius armis cognitæ, & certior populorum orientis fama perlata: ut orbis terrarū penè totus aut Alexandri arma

Monarchia.

senserit, aut nomen audierit. Ita Europæ arma Asianis potiora semper fuerunt. Quartus hic habitus est ab Assyrio, Medo, & Persico summus Principatus. quòd si Medi Assyrijs cōiungantur, tertius, ut Romanorum quartus constituatur. Versanti in

Alexander rex Epiri.

his conatibus Alexandro, etiam alter nominis eiusdē, rex Epiri, non minorem gloriam in occidentis expeditione reponens, cum res in Italia gereret, breui succubuit. Hac ætate etiam præstantis & liberalis ingenij artes inclaruerunt. Nam cum supra hæc

hæc tempora Polygnotus & Aglaaphon in Pictura præstantes habiti fuissent, aliquãto pòst Zeuxis, luminũ umbrarumq́ ratione inuenta, & Parrhasius subtiliore linearũ examinatione plurimum præstiterunt. Itaq; Alexandro res gerente, clari nominabantur, Apelles, à quo pingi uellet: Pyrgoteles, à quo sculpi: Lysippus, à quo ære duci, etiam publico edicto, ne quis alius idipsum faceret. Romani autem, præter uicinorum bella, nec domi satis inter se conueniebant: quando in liberis ciuitatibus regnare omnes cupiunt, & tenuiores sese negligi non patiuntur. Plebs igitur Romana, honorũ auiditate suis Tribunis multum confidens, ut iam antea patriciorum cõnubia obtinuerat, ita & Consularis dignitatis ius, magna contentione repugnantibus patribus, est assequuta, ac primus ex plebe L. Sextius est creatus. Agrorum inde possidendorum modus, quingentis iugeribus finitur. Iam duo Magistratus introducti, Prętura, atq; Aedilitas curulis. M. Curtius pro salute patriæ, oraculo obsequuturus, eques armatus in patentem urbis uoraginẽ sese pręcipitem dedit, eaq; expleta est. Finitimi propter urbis incrementum continenter infesti erant: sed magna uirtute ex his difficultatibus sese explicuere. Ita diuinitus comparatum huius historiæ progresione uidemus, ut uno principatu inclinante, diuersa ex parte ad summum imperiũ alius contendat. Nam Romani, militaris disciplinæ seuerissimi obseruatores, ipsi potius in periculum uenire, quàm eandem uiolare, parati erant. Inde T. Manlius filium, bello aduersus Latinos licet uictorẽ, quòd contra edictum pugnasset, securi percussit. P. etiam Decius, laborantibus Romanis, tunc cum Manlio Cos. deuouit se pro exercitu, & cursu equo concitato in medios hostes cum se intulisset, interfectus, uoluntaria hac morte Romanis uictoriã restituit: Latini in deditionem uenerunt. Tumultuantes Samnites, uastata prorsus eorum regione, Papyrij & Fabij multiplicibus prælijs, magna uirtute tandem compresserunt, reportatis inde XXIIII triumphis. At Italiæ populi, cum nihil se posse aduersus Romanos, experirẽtur singuli, diuersis ex partibus impressionem facientes, iam cõiuncti, huic nimium increscenti potentiæ sese opposuerunt: quibus Fabij Maximi consilio obuiam itum, & conatus illorum opportunè sunt repressi: nihil ut iam difficile fuerit Romanis, superioribus cum finitimis factis, in externos quosque arma transferre, & cum ijsdem, uicinorum metu deposito, confidẽter deinceps manus cõferere. Moriens Alexander, regnum tot laboribus ut celeriter partum, ita breui diuisum iri in diuersas partes, pręsensit, atque pronunciauit.

Pictura. — *Apelles.* — *Romanorum domesticæ seditiones.* — *M. Curtius.* — *Romanorũ in armis uirtus.* — *Samnites compressi.* — *Coniuncti Italiæ populi.* — *Regnorũ Alexandri diuisio.*

Nam de ſucceſſore regni eligendo, principibus, peditatu & equitatu diuerſum ſentientibus, tandem in hoc conuenerunt, ut ne quis ſe neglectum quereretur, tantę magnitudinis regnum, quod ab uno regi non poterat, inter ſe partirentur. Itaque poſt multas in his contentiones, omnis potentia ad quatuor regna deducta: unum fuit Macedoniæ, alterum Syriæ, tertium Aſiæ, quartum Aegypti, quod à Ptolomæis diutius eſt conſeruatum. Fuit hæc diuiſio, maximorum bellorum, quæ deinceps ſunt conſequuta, ſeminarium: continentes expulſiones, exilia, & cædes auditę: nihil ut magis perturbatum, aut turbulentum diuerſis in locis extiterit. Tandem Romanorũ uiribus ad ſummum perductis, omnes fracti ſunt, & cõcidere.

Gallograeci. Gallis interim, Brenno ac Belgio ducibus, Aſias latiſsimè excurrentibus, cum fuiſſet uſus aduerſus hoſtes ſuos rex Bithyniæ, partem agri incolendam illis dedit: regio inde à mixtis Græcis atque Gallis, dicta eſt Gallogræcia, & Galatia.

Bellum Tarentinum. Tarentini autem temeritate quadam in legatos Romanorum cum impetum feciſſent, bello

Pyrrhus. ſuſcitato, ut ſe impares cognouerunt, Pyrrhum ſtrenuum Epirotarum regem, maximis copijs, & ijſdem militari diſciplina uehementer commendatis inſtructum, illis oppoſuere. Romanis inſolito Elephantorũ aſpectu conterritis, apud Heracleam primo conflictu ſuperior fuit.

Romanorum continentia. Redintegrato poſt maioribus uiribus prælio, idem Pyrrhus magnę Curij & Fabricij uirtuti, quę nullo auro, magnificis præmijs, aut amplis promiſsis ſollicitari & corrumpi poterat, ceſsit: nulla etiam gratuita captiuorũ re-

Cyneae eloquentia. ſtitutione, aut excellenti Cyneæ oratoris eloquẽtia, qua eadem plures urbes, quàm armis, ſe deuiciſſe pronunciabat, Romanis potuit reconciliari. Hoc difficili bello confecto, & opimis ſpolijs Romam deportatis, uniuerſa Italia Romanorum partes eſt

Pyrrhus in Siciliam. ſequuta. Pyrrhus nihil cum efficere ſe poſſe intelligeret, ſpe omni Italiæ obtinendę ita deiectus, in Siciliam quæ imperium deferebat, uenit: & Carthaginienſes, quòd inſulam grauius premerent, cohibuit, atque profligauit. Is latè uictor, rex ſalutatur. At inde excedens, partum regnum tenere non potuit. Poſtremò Argos profectus, deiectæ à fœmina tegulæ ictu occiditur.

Carthaginienſium & Romanorum æmulatio. Romani itaque & Carthaginienſes hac eadem Pyrrhi militia bellicam diſciplinã orientis accepiſſe uidentur: quam deinceps ſuſcitata æmulatione, hoſtilibus animis inter ſe commiſsi, exercuerunt: ut uix ciuitates ullæ opibus ualidiores, robore ac uiribus arma contulerint. Gens Carthaginienſium callida & uerſuta habebatur: Romanorum fortitudine, animi conſtantia, atque patientia commendabatur. Intermedia utriſque populis Sicilia,

quæ

quæ quasi auulsa ab Italia uidebatur, hæc in graue certamen obtinendi imperij adduxit. Igitur Messana fœderata Romanis ciuitas, de Carthaginiensium iniurijs querebatur. Contra hos, & Hieronem Syracusanorũ regem, missis auxiliaribus copijs, eo tempore Romani, classe maxima celeritate comparata, primùm mare ingressi, naualis certaminis uictricia de Carthaginiẽsibus signa, Cn. Duillio Cos. reportarũt. In tanto rerum successu, cum traiecisset in Africam M. Attilius Regulus, serpente inusitatę feritatis ac magnitudinis superato, & obsessa Carthagine latè uictor, Xantippo duce Lacedæmoniorum, in auxilium Carthaginiensibus misso, ab ijsdẽ uiuus capitur: qui de pace, etsi eam non impetraret, de cõmutandis captiuis, quod ipse non censuit, Romam missus, iusiurandum atque fidem, quæ sancta habebatur, reditus, constantissimè seruauit. Pòst grauissimis huius supplicijs (nam resectis palpebris, uigilãdo necatus) offensi Romani, fortius Carthaginienses aggrediũtur, & à Sicilia deturbant. Vltimò ijdem ad Aegates insulas uirtute Romanorũ ita compressi, ut iam Carthago in mari capta & deleta crederetur. Pax petenti Amilcari, quòd exhaustam sumptibus patriam uideret, est concessa. Inde Sicilia prima, ad quam missus sit Prætor, iuris Romani facta prouincia: cuius tanta fuit ex frugũ ubertate opportunitas, ut horreum, nutrix, cella penaria, et alumna P.R. eadem diceretur. Iani porta secundò à Numæ temporibus est clausa. Sed cum hic populus ociari non posset, in Ligures, propter locorum asperitatem inuẽtu difficiles, aduersus Insubres Gallos, Viridomaro duce occiso, atque Illyrios, regnante Teuca muliere, uario successu proficiscitur. Carthago autẽ animis receptis, & uiribus confirmatis, fortunam omnem experiri, quàm uictores Romanos, auarè superbéq; imperitãtes, ferre maluit. Diuersa ex parte Romani uictos uictoribus arma ultro inferre, molestè ferebant: ut maximo animorum ardore dimicatum sit, grauissima utriusq; populi calamitate: ita propius periculo fuit is, qui uictoria est potitus. Ab Hispania, cuius imperiũ primi Carthaginienses appetiuerãt, maximi & periculosissimi belli ducta primordia. Hic Annibalem admodum puerum Amilcar pater, odij in Romanos iureiurando confirmati, hæredem cum exercitu reliquerat: qui idem Annibal, Ibero amne contra fœdus traiecto, Saguntum (opulenta fuit, fœderata, & coniuncta Romanis ciuitas) fame expugnauit. Ciues hostis aspectum refugientes, collatis in unum facultatibus, subiecto igne, in medias flammas sese coniecerunt. Interueniens Fabius, eligendæ pacis aut belli, optione utrinque delata, bellum ipse dedit. Relicto hic As-

Prima Romanorum nauigatio.

Regulus capitur.

Sicilia prima Rom. prouincia.

Secundum bellum Punicum.

Annibal.

Saguntum capitur.

Annibalis in Italiam aduentus, & uictoriæ.

drubale, Annibal cum pugnacissimis copijs Gallias peragrãs, transitum impedire conantes prohibuit. Alpes transgressus, quæ inde Pœninæ sunt dictæ, in Italiam uenit. Pugnatum est atrocissimè ad Ticinũ amnem, ad Trebiam, ad Thrasimenum lacum, & ad Cannas acerbissimè, ut XLV millibus Romanorum occisis, detractos equitum & Senatorum aureos annulos (horum tres modios fuisse commemorant) miserit Carthaginem. Itaque tot prælijs superior Annibal, in agro Capuano fertili iuueniliter exultabat, atque luxuriabatur: cum Romani uires & animos, facultatibus in publicum collatis, receperunt, ut Marcelli uirtute primùm Annibalem uinci posse, fuerit cognitum. Romam aliquandiu obsidione tenuit. Pòst mora Q. Fabij Maximi, atque singulari patientia est prudentissimè compressus: inde Cunctator, & imperij scutum nominatus. Marcellus Siciliam omnem, captis Syracusis, solertia Archimedis admirabiliter defensis, recepit. Sardiniam Gracchus occupauit. Pub. & Cornelius Scipiones in Hispania occisi, quibus successit P. Scipio filius. Hic ut Carthaginem Hispaniæ, Afrorum præda opulentam, cepit, omnis ferè Hispania Romanorum partes est sequuta. Asdrubal coniungere sese uolens Annibali, prohibetur. Sed postquã in Africam traiecit idem Scipio, Annibalem ab Italia protinus reuocauit. Pax petentibus Carthaginiẽsibus iterum concessa: Scipio nomen Africani inde habuit. Profugiens Annibal Ephesum uenit. Hic sollicitato Antiocho, orientis arma in Italiã aduersus Romanos transferre conatur. Missi sunt contra Antiochum, qui illius copias instructissimas latè profligarunt. Postremò L. Scipio Cos. eundem Antiochum Asiæ regem cum uniuerso exercitu oppressit: & clarum inde Asiatici nomen, uti frater Africani, reportauit. Interim Philippus Macedonum rex, præsentiens Romanos confectis Punicis bellis, etiam in orientem irruptionem facturos, cum Athenienses grauius premeret, ijsdem auxilia petentibus, sunt à Romanis missa: quibus cum se obiecisset, in regnum est repulsus. Græciæ status instauratus, & libertas reddita. Pòst cum idem Philippus copias repararet, moritur, ac Perseo filio hoc institutum reliquit: aduersus quem ultimò L. Aemylius Paulus mittitur, qui commisso prælio, captum cum uxorę in Triumphum adduxit. Omni Macedonum gaza, quæ fuit maxima, potitus, tantum in ærarium pecunię inuexit, ut unius Imperatoris præda finem attulerit tributorum: cum nihil in domum suam attulisset (tanta fuit uiri continentia) præter nominis memoriam. Andrisco pòst regnum appetere, & bellum suscipere auso, Macedonia

Romæ obsessa. *Syracusæ captæ.* *Asdrubal.* *Annibal Antiochũ sollicitat.* *Macedonicum bellum.* *Perseus.* *Andriscus.*

cedonia tertiò subacta, seruijt: qua eadem in prouinciam redacta, Asiæ totius aggrediundæ magnus quidam portus fuit patefactus. Carthaginienses autem extrema omnia uolentes experiri, specie quidem aduersus Masinissam, sed reuera contra Romanos, bellum redintegrarūt. *Tertium Punicum bellum.* Scipioni Nasicæ, seruandam esse urbem consulenti, ad Romanam iuuentutem in metu continendam, Cato aduersabatur, qui excindendā propter uicinitatē ex recentib. allatis ficis confirmatā, suadebat. Rebus uariè gestis, sequuta est ingens urbis magnæ, populosæ, & tot annos æmulæ uastitas, Scipione Aemyliano, superioris nepote, res administrante, atq; graue incendium, ut X VII diebus tota conflagrarit. *Carthaginis excidium.* Sed Hebræi, præter magnas superiorum temporum calamitates, grauissimis finitimorum iniurijs uehementer affliguntur. *Machabeorum historia.* Persæ quidem magno beneficio illos restituerant, & Alexander Magnus in summo honore habuerat: sed huius successores iniquissimi fuere. Ac primùm Hebræus Matathias, *Matathias.* uir integer, cum filijs quinq;, grauius sæuienti, & patriam gentis atque sanctam disciplinam perturbanti Antiocho Epiphani, collecto etiā exercitu, fortiter sese obiecit. Idem moriturus, ad seruandam summi Dei legem, filios euocatos piè est cohortatus: è quibus Iudas, Machabeus cognominatus, huic principatui Machabeorum initium dedit: *Iudas Machabeus.* & maxima in armis uirtute, res uario successu, instaurata disciplina domestica, administrauit. Singulare autem constantiæ documentum, in retinenda Mosis disciplina, filij septē in matris conspectu dedere, cum atrocissimis et acerbissimis supplicijs ab Antiocho sunt affecti. Iudę fratri succedens Ionathas, *Ionathas.* ictum cum Romanis fœdus renouauit: atque Spartanos, qui sese ex Abrahami prole similiter progenitos affirmabant, in mutuam amicitiam recepit. Eidem & Simon frater successit, *Simon.* inde filius Io. Hyrcanus. *Io. Hyrcanus.* Confectis autem Punicis bellis, omnes terræ & omnia maria potentiæ Romanorum, ac uirtuti patuere, ut breui orientem occidenti coniunxerint, & amplissimum omnium temporum memoria imperium constituerint. *Romanorum incrementum.* Erant optimis, atque patriæ conseruandæ studiosis, maximi honores, & ampla præmia proposita: perniciosos'q; ciues, & improbos patriæ hostes, seuerissimè coercebant: ut quamdiu manserunt in maiorum suorum præclaris institutis, res magno successu administrarint. Itaque scribentibus in uniuersum omnium gentium historiam, necessum fuit, ad eorum ipsorum rationem cuncta ab eiusmodi initijs, ad nouissima tempora commemorare. Punicis igitur bellis cōfectis, perfacile fuit in cæteros populos arma transferre. Corinthus *Corinthus euersa.*

Hispaniæ expeditio.

Achaiæ caput,quòd Romanorum legatis illata esset iniuria,oppresso Critolao duce,à Mummio Cos. est euersa. Hispaniæ magno militũ numero Romanis sese opponebant, cum bellicosa gens,atque Hispaniæ robur Celtiberi,sunt latè fusi & oppresi. Viriatus ex pastore uenator, inde latro, mox iusti dux exercitus factus,et Lusitanorũ uirib. confirmatus,deletis Consulũ ac Prætorum copijs,per annos XIIII frequentissimè uictor,Romanos in armis tenuit.

Numantia.

Erat Numãtia,alter post Carthaginem imperij terror: quæ cum uinci non posse,nisi illius opera, qui Carthaginem deleuerat,uideretur,missus P. Africanus,restituta militari disciplina,Numantinorum ingentes conatus fregit: atque urbe eorum capta & euersa, uires ademit: inde uictricia signa ad Gades usque transtulit.

Aristonicus.

Attalica hæreditas res orientis perturbauit,cum Aristonici audaciæ successorem sese facienti, postremò Aquileius missus obijcitur: qui idem,fœdatis ueneno aquis, turpem Romanis uictoriam retulit. Grauia interim domi consequuta. Nam omnibus gratiæ, largitionibus,luxui,

Leges Agrariæ.

& ambitioni locus erat. Itaque cum totus Italicus ager à potentioribus occuparetur, plebis turbator, & agrariæ legis suasor Tiberius Gracchus Tribunus, uir disertus, non se modò, sed & fratrem in primis eloquentem,C. Gracchum,ac dein consequentes Cn. Apuleium, & M. Liuium Drusum, cõmissa eiusmodi grauissimis seditionibus plebe,& equestri ordine,Rempublicam Romanam in summũ discrimen adduxerunt. Ex quibus domesticis contentionibus res postea sequutæ grauiores,

Bella cis Alpes.

malorum omniũ initio ab his sumpto. Necdum foris res conquieuerãt. Salyi fœderatam Romanis Massiliam exagitabant, qui primi cis Alpes Romanorum arma senserũt. Domitius & Fabius Maximus aduersus Allobrogas, gentem in armis exercitatam, & Auernos, qui Heduis Romanorum socijs infesti erant,mittũtur.

Bituitus.

Bituitus Auernorum dux in triumphum à Domitio deductus. Fabius Allobrogici nomen retulit. Quibus cum populis non pro finibus,aut de imperio: sed uter esset,& de uita atrocissimè est dimicatum.

Iugurtha.

Insolescens in Africa homo callidus & uersutus Iugurtha, cæsis regis Numidarũ Micipsæ filijs,Adherbale et Hiempsale,à quo rege fuerat adoptatus,Romanis socios defendẽtibus sese opposuit. Calphurnio Cos. successit Metellus, inde C. Marius: cuius uirtute, prælijs aliquot commissis, tandem captus, in triumphũ cum duobus filijs adducitur.

Cimbricum bellum.

Sed ad Cimbrorum multitudinem è septentrionibus progressam,& sedes nouas quærentẽ,cum agros Romani dare illis recusassent,uicina quæque excursionibus uastantem,mul-

tis du-

tis ducibus ſuccumbẽtibus, miſſus C. Marius, Dictator factus, populum gentium uictorem conterritum optimè cõfirmauit: atque Cimbros magnis uiribus dimicantes, fœminis ad extremum ſeſe ſtrenuè opponentibus, maturè oppreſsit. Rei bene geſtæ, liberata à tanto metu ciuitate, prẽmiũ fuit triumphus, ut tertius à Romulo & Camillo Ro. urbis conditor appellaretur. Diuerſa ex parte orientem fraude, inſidijs, cædibus Mithridates populatur, Aſiæ atq; Europæ obtinendæ magna confidentia.

Mithridates.

Aduerſus eundem L. Syllam delectum C. Marius indignè ferens, turbare cœpit Rempublicam. Sylla cum exercitu Romam celeriter reuerſus, ciuile bellum difficile & cruentum excitauit: quo multis cæſis ſuperiore, Marius repulſus. Eodem Mario pòſt ex Africa reuerſo, atque comparato protinus ex ſeruitijs exercitu, Syllanæ partes multorum cædibus grauiter oppreſſæ. Reuocatus iterum Sylla, qui reſtitutis Athenis, Mithridatem latiſsimè profligarat, cum uictore Aſiano exercitu redit, & ſimiliter in Marianas partes impetum fecit, atque atroci cæde Romanorum ciuium oppreſsit, & ſuperior factus, ſuſtulit. Cui cum omnia in uictoria, lege belli licere uiderentur, non ſolùm cædibus, uerùm etiam proſcriptionibus, pernicioſo conſequentium temporum exemplo, omnia compleuit: Tribunitiam autoritatem imminuit: Dictaturam, quam inuaſerat, perpetuam uiſus meditari, ſponte poſtea depoſuit.

Bellum ciuile.

Cædes & proſcriptiones Syllanæ.

Exul & profugus ob Syllanas tabulas Sertorius, & Hiſpanicis armis confirmatus, Romanos Imperatores, Metellum atque Pompeium, aduerſus ſe miſſos, multiplicibus prælijs ſæpius uictor exagitauit: poſtremò deſertus à ſuis, & proditus, interimitur.

Sertorius.

Mithridates interea, maioribus comparatis uiribus, fortior reſurgit: cui oppoſitus magni uir ingenij, & excellentis Prudẽtiæ, L. Lucullus: qui uariè iactatũ, in Pontum magna uirtute fugere coegit.

Mithridatici belli redintegratio.

At in Italia, præter bella ſeruilia, & ſociorũ diſcordias, quæ non minus infeſtæ erant, & formidoloſæ, quàm longinquæ hoſtium excurſiones, his Pompeij temporibus, Piratæ oram maritimam uaſtantes, diuiſis copijs per omnia maris oſtia, magna celeritate, nullo incommodo accepto, ab eodem Pompeio ita fugati ſunt, ut mare tutum à prædonibus deinceps fuerit.

Diſcordiæ Italicæ.

Piratæ deleti.

Res in Aſia erant proſperæ, cum magnis Luculli ſucceſsibus interueniens Pompeius, debilitatum & fractum Mithridatem reddidit: ut ipſe pòſt, coorta militum ſeditione, uenenum hauſerit. Inde Pompeius Alexandri, Herculis, & Liberi patris expeditionum memor, ac latiſsimè uictor, orientem peragrans, etiam in Iudæam uenit: quo tempore, diſsidentibus inter ſe fratribus,

Pompeius in Aſiam.

arbiter

arbiter factus Pompeius, Hyrcanum in administratione regni Iudaici Aristobulo prætulit: atq; capta Hierosolyma, eundem Aristobulum Romam secum abduxit. Erat regnum Iudæa à superioris Aristobuli tẽporibus, quem primùm diadema capiti imposuisse traditur. Post eum regnarat Alexander filius, qui hosce duos, Aristobulum & Hyrcanũ, successores reliquerat.

Asia Romanorum prouincia.

Mithridatico bello confecto, Asia iuris Romani facta est prouincia, & Parthi in fœdere manserũt: ut præter Indos, nõdum Romanis cognitos, totus ferè oriens imperio tandem obtemperarit.

Romanorum corruptio.

Postquam uerò (nihil enim in statu codẽ consistere potest) ab externis luxum, auaritiam, uoluptates, ambitionem, & omnes malas principatus labefactandi artes, ex Asia maximè importarunt, tenuitatis atq; frugalitatis maiorum obliti, quorum constantia, patientia, solertia, industria, mansuetudine, clementia, fide, integritate, fortitudine, & magnitudine animi, firmatum erat imperium, omnia sursum atque deorsum iactata: ut cum priuatas inimicitias atque discordias publicis uiribus ulcisci uellent, latius deinceps ciuilis, quàm hostilis sanguis dimanarit.

Priscorum Romanorum uirtutes.

Catilinæ coniuratio.

Itaque è grauissimis urbis factionibus, in spem occupandæ atque opprimendæ Reipublicæ adductum Catilinam, repulsa Consulatus incensum, & flagitiosis hominibus stipatum, cõiuratione, epoto humano sanguine firmata, M. Tullius Cos. magna uirtute cohibuit, illiusq; multiplices conatus prudentissimè patefecit, ut primùm libera ciuitas Patrem patriæ eundem appellarit. Sceleris huius socij deprehensi, grauibus supplicijs afficiuntur. At ipsum Catilinã, in angustias cum suis deductum, Antonius M. Tullij collega fortissimè & animosissimè dimicantem, cruenta uictoria fregit: usqueadeò præpotentis populi uires se ipsæ intestinis discordijs conficiebant. Grauiora sunt consequuta, postea quam in hoc principatu maior ambitio potentum animos, recordatione Marij & Syllæ uehementius sollicitauit.

Romani imperij partitio.

Igitur Pompeius Magnus partam tot bellis dignitatem & autoritatem conseruare uolens, cui M. Cato aduersabatur. Inde M. Crassus in maxima opulentia egens, fieri locupletior cum uellet, C. Cæsar ingenij, doctrinæ, spiritus, & uirtutis armorum præsidijs confirmatus, atque uisa Alexandri Magni statua inflammatus, cum maiorem potentiam comparare studeret, omnes Romani imperij uires eiusmodi rationibus ad sese pertraxerunt: ut facillimè inter hos tres, de inuadendo imperio, deq; distribuendis in totidem partes prouincijs, conueniret. Itaq; Pompeio Hispaniæ, Crasso Parthi, à quibus propter nimiam cupiditatem miserè est interemptus (nam

præciso

præciso capite, liquefactũ aurum in rictum oris infusum fuisse tradunt) Cęsari Galliæ obuenerunt, quę nondum imperio Romano parebãt. Quam ad rem magnis itineribus in Galliam uenit, atque Heluetiorum in Santonas emigrationem, ad transitum Araris, impediuit: Ariouistum à Galliarum populatione prohibuit. Pòst à Belgis, qui illum aduenientem communibus animis pro libertate dimicantibus exceperant, sese magna uirtute explicuit. Flumen Rhenum facto ponte traiecit, ac Germanos in syluas repulit. Oceanum ingressus, Britannias, ignotum Romanis orbem, tẽtauit: Ambiorigem uariè est persequutus. Auaricum, Gergobia, & Alexia grauiter obsessę. Dein Gallicę libertatis uindex, diuersos secum trahens populos, Vercingentorix magnis Cæsaris uiribus cessit. Bellouacis pòst, cæterisq; Galliæ populis deuictis, Galliam Romani iuris prouinciam fecit, quæ annis multis eosdem exagitarat, ut formidabilis semper esset Gallorum aduẽtus, & pro tuenda libertate fortissimè dimicarat. Atque ita Romani suis armis, non aliter quàm Græci longis peregrinationibus, effecerunt, ut pleræque orbis gentes fuerint cognitæ: quibus ab utrisque, præter patria cuiusque gentis, noua etiam nomina sunt imposita, quæ scriptis consignata, diutissimè remanserunt. Sicuti modò Cæsaris opera, ex fluminum decursu, tres in partes Galliam diuidi intellectum. Rheno & Sequana Belgæ continebantur: qui inde ad Garumnam interiacerent, Celtæ dicebantur: conuersi ad montes Pyrenæos, Aquitani fuere. Verùm ut cœptum communis belli & ciuilis cursum paucis, sicut cætera omnia, complectamur: Iulia Cæsaris filia, Pompeio nupta, fœderis illius uinculum, ut mortua est, soluta affinitate, quasi omni amicitia, suspectę Pompeio Cæsaris opes, diuersa ex parte Cæsari Pompeiana dignitas atque potentia grauis: ferre ille parem, hic superiorem non poterat: ut iam hostilibus animis de summa imperij obtinenda acerbissimè inter duos supremos Imperatores, quorum multiplicibus rebus gestis auctum fuerat imperium, decertaretur. Itaque Consulatus repulsa incensus Cæsar, uiribus rem aggredi conatur. Verùm salutare fuit consilium, ut uterq; arma deponeret. Nihil cunctatus Cęsar, posteaquam in se, tanquam in hostem, decretum intellexit, cum uictore è Gallijs exercitu Italiam ingressus, traiecto, perinde ac iacta alea, Rubicone, quod armato cuiquam, nisi communi patriæ hosti, non licebat, Pompeium cõsequitur: inde reuersus, urbem defensoribus uacuam inuenit, Consulem se fecit, ærarium effregit, honores ac dignitates assumpsit, et prouincias distribuit. Pompeiũ longius persequutu-

Crassus apud Parthos interemptus.

Bellum Gallicum.

In Britanniam nauigatio.

Gallia Romanorum prouincia.

Galliæ diuisio.

Bellum ciuile Pompeianum.

Cæsar Romam capit.

ſequuturo Maſsilia, clauſis portis, ſe obiecit. In Hiſpanias progreſſus, eaſdem uictor ad Ilerdam cõpoſuit. Pòſt in Theſſaliam totius belli robur tranſlatum: & apud Pharſaliam ingentibus utrinq; copijs, quæ uniuerſo orbi formidabiles eſſe potuiſſent, acerbiſsimè dimicatum. Acie uictus Pompeius, nihil hoſtile arbitratus, in Aegyptum profugiens, Ptolemæi regis iuſſu indignè eſt interemptus. Venit eòdem Cæſar, ac Ptolemæo ſuperato, Cleopatræ regnum tradidit. Conuerſus inde in Aſiam, Pharnacem celeriter oppreſsit. Romã profectus, tertiò ſe Conſulem fecit. Pòſt in Africam, ad belli reliquias cõficiendas, traiecit. Hic cum Iuba, rege Mauritaniæ, Cato & Scipio bellum reparabant. Idem Scipio ſeipſum interemit: ſimiliter & Cato, Vticæ ſeſe continens, ac hoſtis aſpectum refugiens, Platonis libro, qui eſt de Animo, confirmatus, uiolentas manus in ſeſe conuertit, Vticenſis inde appellatus. Cæſar poſtremò in Hiſpaniã reuerſus, Sext. Pompeium ſuperioris filium conſequutus, apud Mundam, in maximo uitæ diſcrimine, ut à ſeſe interimendo propè non abſtinuerit, Pompeianos, Sexto fuga in Celtiberiam elapſo, deuicit. Atque hic fuit tanti belli exitus, quod ferè uniuerſum terrarum orbem exagitauit. Tot rebus geſtis Romam reuerſus, tentatam à Sylla Dictaturam cum inuaſiſſet, perpetuam ſibi aſcripſit. Pontificiam & Tribunitiam poteſtatem ad ſe conuertit. Repudiato nomine regio, quod Romanis memoria tenẽtibus uetus ſacramentum erat odioſum, Imperatorem, quaſi exercitus ducem, ſe appellari uoluit. Inde principatus unius, poſt hominum memoriam maximus, initium habuit: ut non unius populi, ſed generis humani res, iam à Punicis bellis geſtæ, Romanis coniungantur, & ſimul explicentur. Cæſar itaque ad ordinandam Rempublicam conuerſus, multis inſtitutis eandẽ exornauit. Soſigenis opera annum ad Solis curſum emendauit: atque præclara Clementiæ documenta dedit ijs, qui ſuis conatibus fuerant aduerſati. Pòſt excitata graui inuidia, cum honores, qui antea populo deferebantur, pro arbitratu diſtribueret, cumq; uenienti Senatui non aſſurgeret, odioſus factus, Bruti & Caſsij orta cõiuratione, tribus & uiginti uulneribus, dum iura in Senatu redderet, acceptis, triennio adminiſtrata Dictatura, interijt. Ac nec hoc facto, licet reddita ciuitati libertas, & Dictaturæ honor in perpetuum ſublatus uideretur, perinde ac exactis regibus, ciuilia bella conquieuerunt. Occupato nanque à percuſſoribus Capitolio, decreta M. Tullij ſingulari Prudentia, omni præteritarum iniuriarum obliuione, reuocãtur. Sed adoptatus Octauius, admodum adoleſcens, nominis etiam hæres relictus, atque M. Antonius, Cæſaris

Apud Pharſaliam cõflictus. *Pharnaces.* *Africanæ reliquiæ.* *Cato Vticẽſis.* *Sextus Pompeius elapſus.* *Perpetuæ Dictaturæ primordia.* *Iulius Cæſar interemptus.* *ἀμνηστία.* *Succeſſores Cæſaris.*

Cæsaris quondam collega, mox potẽtiæ æmulus, ac consequentium temporum perturbator: qui cum à Senatu hostis esset iudicatus, aduersum eundem missus Octauius: à quo uictus Antonius, M. Lepidi opera conciliatur: qui amicitia coniuncta, atque distributis inter se prouincijs, in hoc conuenerunt, ut oppressa Republica, & Syllana proscriptione reuocata, communibus uiribus Cæsaris percussores, & suos quique inimicos aggrederentur. Sublatus Antonij improbitate per Popilium M. Tullius, ac præcisum illius caput, cum utraque manu, in rostris positum. Atrocia inde multa in maximos quosq; uiros commissa, & per Italiam atque Prouincias exilia consequuta. Brutus & Cassius percussores, multis prælijs debilitati, tandem fracti sunt, & concidêre. Vt cessit Triumuiratu Lepidus, hi duo imperium diuiserunt: occidentem habuit Octauius, orientem Antonius. Interim Sext. Pompeius, paterna repetiturus, nauali certamine est oppressus. Clade Parthica accepta, cum euasisset Antonius, Cleopatræ amoribus & delicijs totus implicatur: qui cum Octauium Cæsaris successorem molestè ferret, dissensione exorta, & collecto utrinque exercitu, eidem se opposuit. Itaque commisso ad Actium promontorium graui certamine, uno die, uter esset, & de summa totius imperij, fuit pugnatum. Antonio superior factus Octauius, eundem Alexandriam, unà cum Cleopatra fugientem, est insequutus. Antonius spe omni deiectus, cum se obsessum uideret, mortem sibi consciuit. Triumphum metuens Cleopatra, uoluntariam mortem anteposuit. Aegyptus regionum omnium magnitudine opum clarissima, soli ubertate, atque cœli temperie commendata, negociationum ex Arabia, Aethiopia, & Indis opportunitate frequens, Romanorũ fit prouincia, ac Cornelio Gallo administranda traditur. His rebus gestis confirmatus Octauius, cum uictore exercitu Romam ingreditur: ac bellis ciuilibus, quæ imperium altero & trigesimo anno dissipauerant, finem eiusmodi imponit. Itaq; rebus animum adijciens, cum multas gentes nondum imperio subditas circunspiceret, in quatuor orbis terrarum partes arma trãstulit. Nam Ventidium aduersus Parthos misit, qui Pacorum regẽ cum totis copijs deleuit. Vltra Danubium, in septentriones, cum longè dissitis gentibus, nulla locorum asperitate, aut fluminum interuentu prohibiti Legati, feliciter dimicarunt. Ac Drusus uicinas Mosæ gentes, Rheno, & Albi, est adortus: cui succedẽs Varus, ob superbiam odiosus, à Germanis, duce Arminio, deletis legionibus, opprimitur. Ad meridiem Getuli cum alijs populis, ad ortum Armenij latè compressi. Ipse in occidentem pro-

Triumuiratus.

M. Tullius occisus.

Percussores cæsi.

Bellum graue ad Actium.

Antonius & Cleopatra moriuntur.

Aegyptus prouincia.

Bellorum ciuilium exitus.

Imperij unius administratio.

Bella in omnẽ orbis partem.

fectus,pugnaces Hispanorum gentes,Cantabros,Astures,Lusitanos compescuit: quæ iam à Scipionum temporibus ducentos per annos fortissimè restiterant.

Hispania Romanorum prouincia.

Hispania inde prouincia facta,Prætoribus administranda traditur. Itaq; Romanorum consuetudine Latinam linguam didicit,& constanter retinuit. Tot rebus magno successu gestis,humani generis consensu,orbis totus, quaqua uersum patet aditus, conquieuit.

Pax uniuersalis.

Sarmatæ, Scythæ,Parthi,relatis Crassi & Antonij signis,orientis populi Seres,atque nunquam antea uisi à Romanis Indi,rerum magnitudinem circunspicientes,Legatos cum muneribus de amicitia Romam,imperata facturi,miserũt.Iani porta tertiò à Numa & primo bello Punico clausa.

Augusti appellatio.

Cum uerò de honesta Octauij appellatione consultaretur,alijs Romulum,alijs patrem patriæ,alijs Dictatorem perpetuum nominandum esse suadentibus,factum, ut ex Munatij Planci sententia,ob auspicatum & felicem in rebus gerendis successum, Augusti nomen retinuerit:Cæsaris etiam,testamento maioris auunculi,atque Imperatoris: quæ eadem nomina consequentes longissimis progressionibus conseruarunt.

Prudẽs rerum Augusti gubernatio.

Itaq; rerum administrationem suscipiens,recẽti Iulij interitu admonitus, nullum uiolentum simul & diuturnum esse,in has temporũ perturbationes sitam Remp.prudentissimè constituit.Bella non nisi irritatus,coactus, & iustis de causis suscepit.Populum ac Senatum sua obire munera passus est.Igitur Prætor è populo, Proconsul è Senatu eligebatur. Ipse Præsidem ac Legatum mittebat. Prouincias, ne qua usquam irruptio fieret, Prætorio exercitu, ac legionibus, idoneis in locis dispositis, optimè cõmuniuit, & ad repentinas incursiones paratas habuit.

Clementia.

Maxima usus est in eos,qui aduersus illum conspirarunt, clementia. Sic ferocibus ciuili ferro de medio sublatis, cæteri superiorũ temporum memoria relicta, publicis muneribus obeundis potius, quàm periculosis in rebus mouendis,occupantur,& conquiescunt: ut pax diuturna, quod antea nunquam,neque consequentibus temporibus auditum,sit consequuta.

Structuræ.

Vnus principum omnium structuris,ludis,totoq; principis apparatu,magnificus extitit,ut ex lateritia urbem marmoream reddiderit. Multitudinis tenendę artibus peritissimus.Nam muneribus plebem,donis militem,& honoribus proceres in officio obsequentes habuit:quibus ijsdem rationibus principatum longo tempore summa libertate usum firmauit. Roma amplum quoddam totius orbis terrarum domicilium facta,& perinde ac cõmunis quędam patria:in quam eandem, quicquid esset usquam opulentiæ, comportaretur.

Liberæ peregrinationes.

Quietis omnibus populis, tuta & libera fuit in omnes regiones peregrinatio: ut sit omnium laudandarum artium summa celebritas cõsequuta, magnis ingenijs, & ad literas tractandas, & ad artificiosa opera relinquenda, laudabiliter occupatis.

Iudæorum status.

Iudæorum status uarius, cum Antipatrum Idumæum C. Cæsar antea illis præfecisset: quo per insidias sublato, filius Herodes, necem patris uindicaturus, Octauij atque Antonij auspicijs, primus rex externus Iudæorum regnum administrauit.

Christi natalis.

Eiusdem Herodis regni anno XXX, & imperij Augusti XLII, salutis humanæ instaurator Christus nascitur. Itaque cœptus à Iulio Romanorum unius dominatus, singulari Augusti in rebus administrãdis uirtute, omnium principatuum diutisimè permansit, licet consequentibus temporibus per uarios Imperatores uariè fuerit iactatus atque dissipatus.

Augusti mors.

Moriens Augustus, cum sex & quinquaginta annos imperiũ felici rerum successu tenuisset, ingentem pecuniam populo legauit: ac Tiberio dissimili successori, Liuiæ uxoris opera ascito, ut qui esset eiusdem Augusti priuignus, grandem reliquit.

Tiberius.

Hic factus Imperator, cum naturali propensione sæuus esset, aliquãdiu ingenium dissimulauit, matrem reueritus: ut diuturnitate atque Prudentia confirmatum Augusti imperium retinuerit, luxui multum deditus, ut ab excurrendis prouincijs orientis & septentrionis gentes nõ cohibuerit: pòst Caligulæ insidijs est oppressus.

Imperij occupatio.

Fuit hæc consequentium Imperatorum perpetua occupatio, cum amissa sæpius repetere, & populos qui defecerant, ad officium reuocare oportuerit.

Apitius.

Cuius Tiberij imperio, lautitiarum magnus autor Apitius, post ingentes factos sumptus, grandi ære alieno cõflato, uenenum hausit.

C. Caligula.

Succedens inde Caligula, relictas à Tiberio magnas opes, uixdum anno uertente, totas consumpsit, maximè incontinens, atque sæuus, ut Pop. Romanum unius esse ceruicis optarit, quo eandem uno ictu præcidere posset: ipse, facta suorum conspiratione, de medio est sublatus.

Tib. Claudius.

Nec utrique degener Claudius Cæsar, Lugduni natus, consequitur: qui ut luxui & sæuitię successit, ita suorum insidijs summouetur.

Domit. Nero.

Sed priuignus adoptatus, inauditæ atque inusitatæ tyrannidis Domitius Nero, qui principio bonus Imperator, pòst nefarias manus à matre, coniuge, & præceptore minimè abstinuit: quiq; maximo urbis incendio, ad similitudinem ardentis Troiæ, præclaris rerum monumentis consumptis, uehementer est oblectatus, & in scenam publicè prodijt: ut mirum non fuerit, in tanta rerum securitate prouincias ab eo defecisse, & à sese necando, alterius ope adiutum, non abhorruisse. Hęre

Galba. Otho. Vitellius. Quis Reipub. ſtatus.

ditaria eiuſmodi uitia in Galbam, Othonem, & Vitellium, qui non ita multum in imperio fuere, ſunt tranſlata, & exitus moribus conſimiles ſequuti. Alius iam Reipublicæ ſtatus, his imperantibus: arbitratu nanque Principis omnia fiebant, ſæua iuſſa, continuæ accuſationes, fallaces amicitiȩ, pernicies innocentum, cædes, exilia, proſcriptiones bonorum, non ita magna Senatus autoritas: cum honores non uirtute, aut aliqua excellēte doctrinarum commendatione, ſed corruptionibus, alijſq; malis artibus obtinerētur. Principatum diuturnum non quidem horum uita, ſed ſuperiorum temporum belli ciuilis retenta adhuc memoria faciebat. Sed erāt maximo adiumento ad ſtabilitatē & firmamentum totius Principatus, malis eiuſmodi boni Imperatores interiecti, qui ſumma Prudentia, magniſq; contentionibus, ne diſsiparetur aut collaberetur imperium, maturè & opportunè prouidebant: ut hoc quaſi conuenienti temperamento, curſus rerum diuturnior fuerit. Igitur has tam graues, breui tempore allatas, totius imperij calamitates, melioribus inſtitutis, et magnis ſtudijs reparare tentauit, ex Flauia gente profectus Veſpaſianus: qui adiuncto Tito filio, res prudenter adminiſtrauit. Iudęa iam ab Herodis temporibus ad Agrippam deuenerat, cum expugnata eſt à Tito Hieroſolyma. Quo tempore ſummus fuit ex omni Iudæa ad publicam celebritatem concurſus, ut ita concluſam gentē grauiſsimè oppreſſerit. Nam in ea expugnatione, præter eos quos dura fames abſumpſit, multa hominum millia cæſa atq; capta. Reliqui inde Iudæi per orbem terrarum, in perpetua ſeruitutis cōditione, diſiecti atque diſsipati, Principatum deinceps non habuerunt. Titi frater Domitianus, eorum qui præceſſerant, uitam imitari uolens, cędibus multum eſt delectatus: ut & ipſe, facta ſuorum coniuratione, oppreſſus fuerit. Integer nomine clementiæ Cocceius Nerua, atque ſingularis probitatis exemplar, per adoptionem ſuſceptus, & Plutarchi nobilis Philoſophi inſtitutione cōfirmatus, Vlpius Traianus, ex Hiſpania primus externus princeps, qui reſtituto Decēbalo, Daciam prouinciam fecit, atque orientis & meridiei gentes compreſsit. Idem ſummum imperij decus præclaris, & ijs ciuilibus inſtitutis auxit atque exornauit, ut reuocata ab eo Auguſti tempora uiderentur. Similiter gnarus, qualem ſucceſſorem tanti principatus eſſe oporteret, per adoptionem Aelium Adrianum publicȩ tranquillitatis ſtudioſum aſciuit. Hic militaria inſtituta reſtituit, & literas elegantiores uariè eſt amplexus. Quo eodē ſucceſsionis iure, morum ac uitȩ integritate commendatus princeps Antoninus, Pius cognomēto, Nemauſi Galliȩ oppido natus, ab eo deligi-

Boni principes interiecti. Veſpaſianus. Titus. Hieroſolymæ expugnatio. Domitianus. Coc. Nerua. Vlp. Traianus. Ael. Adrianus. Antoninus Pius.

deligitur: qui præter alias summas uirtutes, ob id laudatur, quòd maximum in seruandis ciuibus studiũ adhibuerit, & res in maxima tranquillitate populis conquiescentibus, per tres & uiginti annos administrarit. Inde etiam adoptatus M. Antonius, à doctrina Philosophus appellatus: qui L. Verũ fratrem, *M. Antonius cum L. Vero.* administrationis rerum magnitudinem circunspiciẽs, primus Imperatorum, collegam eiusdem potentiæ sibi adiunxit: ita ab ijs imperij dignitas plurimum est honestata. Eodem Marco orientis atq; septentrionis bellis occupato, ac in Pannonijs mortuo, longè patri dissimilis successor, Commodus filius, delicijs, *Commodus.* libidine, ac uarijs cædibus, Neronis & Caligulæ exẽpla sequutus, grauis fuit. Idem Martiæ opera, dato ueneno, sublatus. Humili è loco accersitus Aelius Pertinax, auaritiæ uitio notatus, *Pertinax.* breui imperiũ suum, coorta factione, finiuit. Iam & Didius Iulianus, *Iulianus.* populo atque exercitui odiosus, malè parti imperij pœnas sustinuit, ut à Septimio Seuero fuerit interemptus. Erat idẽ Iulianus Iuris ciuilis peritus, qua doctrina ad imperiũ tum patebat aditus. Septimius autẽ factus Imperator, Albinum imperium affectantem summouit. *Seuerus.* Cuius filius Antonius Bassianus, *Ant. Bassianus.* à ueste Gallica Caracalla dictus, maximo fratris Getę odio & cæde notatur, ipse à suis interimitur. Perpetuum enim illud, ut in quo uitij genere quis deliquerit, in eo ipso maximè pœnas dare soleat. Post hunc Opilius Macrinus, scientia ciuili imbutus, *Macrinus.* malis artibus imperium est consequutus. Sed impotentis omnium libidinis Varius Heliogabalus, tantum ex eo sui odium excitauit, *Heliogabalus.* ut nomen illius abolere Romani tentarint. Rebus autem imperij ad pristinam dignitatem reuocandis, summo studio, & Iuris ciuilis disciplinæ conseruandę nomine, atq; beneuolentia in præstantes uiros, singulari etiam uitæ integritate cõmendatus Alexander Seuerus, ex Mammea præclaram *Alex. Seuerus.* operam nauauit: pòst suorũ insidijs opprimitur. Iam uerò (ut sunt mortalium omnia suis conuersionibus exposita, & nihil in terris magnopere est diuturnum) ab ea potentia imperiũ multum inclinauit, diuersis, & ijs externis hominibus, loco humili & obscuro natis, hoc munus quibuscunque artibus appetentibus. Nam Iulius Maximinus, à corporis magnitudine ita dictus, *Iul. Maximinus.* è pastore Thraciæ miles, inde dux, pòst exercitus beneuolẽtia, nullo Senatus decreto, Imperator cum filio asciscitur. Sed huic Puppienum & Balbinũ Imperatores Senatus opposuit. Pòst is, adiuncto filio, in Italiam uenit, & à militibus est sublatus. Dissidẽtibus autem Puppieno & Balbino, illis interfectis, Gordiano admodum adolescenti imperium est delatum. *Gordianus.* Hic

rebus

Philippus. rebus in Perſide confectis, à Philippo præfecto inſidijs eſt circumuentus: ipſe militum opera Imperator creatur, quem Chriſtianam religionem amplexum tradunt. Huius tertio imperij anno, milleſimus à condita urbe Roma completur. Memoriæ admonitu facta tota urbe celebritas, ludi, ac certamina populo exhibita. Eodem ſimul & Philippo filio interempto, ſequutus *Decius cum filio.* Decius, ſeptentrionis gentem Gotthos, ſeſe ſuis remouentem ſedibus, & agros, quos inhabitaret, à Romanis petentem, pri- *Gotthi primum auditi.* mùm adiuncto filio, minus felici ſucceſſu eſt aggreſſus. Getas eam gentem fuiſſe creditum, Pyrrho atque Alexandro Magno olim formidabilem: quæ ab ijs primordijs, continẽtibus incurſionibus, alijs populis cõiunctis, effecit, ut imperij Romani maxima pars in præceps collaberetur. Inde Vibius Gallus, & Vo- *Gallus & Voluſianus.* luſianus, Scytharũ, imperij dignitate imminuta, tributarij fuere. *Aemilianus.* Trium menſium Imperator Aemilianus, Gotthos profligauit: quo occiſo, Licinius Valerianus calamitoſo euentu impe- *Valerianus cum filio.* rium tenuit. Nam dimicãs, à Sapore Perſarũ rege in duriſsima *Gallienus filius* ſeruitute eſt habitus. Valeriani filius Gallienus, licet ſtudijs literarum cõmendaretur, uoluptatib. tamen et delicijs, maximo rerum incommodo, hoſtes à populandis prouincijs non pro- *Claudius.* hibuit. Flauius Claudius, rebus imperij cõſtituendis, ſalutares manus erat allaturus, ſi diutius illũ uiuere contigiſſet. Idem longius ſeſe effundentes per Græciam Gotthos cohibuit, & Aegyptum recepit. Tranſituros in Italiã Alemannos, ſuperiora Germaniæ loca tenentes, continuit, aliquot millibus ad lacum Be- *Quintilius.* nacum fuſis. Quintilius à Senatu delectus, redeunti Aureliano protinus ceſsit: uoluntariam mortem, inciſa uena, præferens. *Aurelianus.* Aurelianus Francos, inferiora Germaniæ occupantes, ad Moguntium fudit: Gotthos receptis animis (perpetuum fuit cum hac gente negotium) continuit. Zenobia prudens fœmina, erudita, & armis aſſueta, Odenati uxor, cõmendatur: quo mortuo, Oriẽtis imperium inuaſura, ab Aureliano capitur, atq; in triumphum producitur. Sed eo ſublato, ex interregno, militibus ac Senatu Imperatoris eligendi poteſtatem ultro citroq; *Tacitus.* referentibus, uir integer, publico omnium conſenſu, Tacitus *Florianus.* aſciſcitur: breui deinde à militib. interimitur. Cuius frater Flo- *Probus.* rianus aduenienti Probo (conueniens moribus nomen) protinus conceſsit: humili fuit è Dalmatia loco, Sarmatas atque Germanos compoſuit, pacis & belli artibus commendatus. Hunc *Carus, cũ ſuis.* ſequutus eſt Carus, qui Numerianum & Carinum filios in ad- *Diocletianus.* miniſtratione ſibi adiunxit. Carinum ſuſtulit Diocletianus, ſæuus in Chriſtianos. Hic adminiſtrationis difficultatem conſiderans,

derans, Maximianum collegam habuit: uterque deinde successores sibi delegit, ille Galerium, hic Constantium: distributa quibusque munera, & gentes, aduersus quas dimicarent. Pôst Diocletianus & Maximianus, Nicomediæ ille, hic Mediolani imperio sese abdicauit. Maximianum postea conantem se restituere, Massiliæ Constantius interimi curauit: quo mortuo, solus relictus Galerius, rerum magnitudine prægrauante, Seuerum, & iuniorem Maximinũ sibi adiũxit: illi Italia, huic oriens & Africa administranda traditur, ipse Illyrios tenuit. Maxentius à factiosis euectus, deposito Seuero, imperium occupauit. Pôst ascitus Licinius, literarum rudis, ac proinde easdem maximo odio prosequutus, ut uirus, & publicam pestem esse diceret. Idem cum aduersus Christianos grauius sæuiret, à Constantino prioris Constantij filio, cui res gestæ Magni nomen dedere, celeriter summouetur. Gotthos illius uirtuti cedentes, pacis conditionibus tenuit. Maxẽtio deturbato, Italiam ac Romam restituit. Eundem militi ueterano distributis agris, ut iure successionis ad posteros transferri possent, sanxisse primùm commemorant. Byzantium, claram Thraciæ urbem, quòd ea medium quasi terrarum esset, ad coercendas facilius orientis gentes, sedem imperij constituit: qui cum nouam Romam appellandam cẽsuisset, de suo nomine Constantini urbis appellationem deinceps seruauit. Facta Romæ æmula, magnis & multis structuris loci opportunitate creuit. Constantinus primus Romanorum principum, repudiatis erroribus, maiestatẽ Dei singularis ac ueri, ex sanctissima Christi doctrina, præclaris institutis asseruit. Tres huius filij, totidem in partes imperium diuisere: Gallias, Germanias, Hispanias, & Britanniam, eiusdem nominis Constantinus II: Illyrios, Græciam, atque Italiam Constans: orientem & Thraciam, Constantius sortitur. Res successissent, nisi facili inter fratres discordia, imperiũ attritis uiribus, externarum gentium excursioni patuisset. Itaque acerbissimis bellis inter se commissis, & Magnentio, quòd fratrem Constantem interemisset, difficili certamine superato, Constantius rerum summa potitur. Quem est nullo aduersante sequutus Iulianus, fusis ad Argentoratum XXX Alemannorum millibus. Grauis postea effectus Christianæ religionis desertor atq; oppugnator, à sanguinis tamẽ effusione illũ abstinuisse scribitur. Persas aggressus, calamitoso exitu interijt. Milites nominis affinitate Iouianum, hominẽ doctum, Imperatorẽ fecere: qui cum Persis necessariò magis, quàm honestè transegit, nonnulla Romani imperij parte tradita. Valentinianus à militibus euectus, Valentem

Galerius. *Licinius.* *Constantinus Magnus.* *Imperium in orientẽ translatum.* *Constantinus Christi doctrinam amplexus.* *Constantinus.* *Constantius.* *Constans.* *Iulianus.* *Iouianus.* *Valentinianus cum fratre.*

Valentem fratrem collegam habuit,& Procopium imperium
affectantem prohibuit. Gotthi Thracia excessere, Parthi è Sy-
ria depulsi. Mortuo fratre, Valens Arrianorum partes sequu-
tus,Scythas atque Gotthos temerè aggressus,incensa domo in
Gratianus. teriit. Gratianus Valentiniani filius accersitus, literarũ studijs
Theodosius. est delectatus: rerum administrationi Theodosium ex Hispa-
nijs,optimum principem,socium sibi adiunxit, multis in Got-
thos præclarè gestis, & tyrannis magno successu deturbatis,
nobilitatum,ut priscæ maiestatis imperij decus restitutum pu-
taretur.Christianam hic religionẽ multum iuuit.Sed non mul-
to post illius decessum,uarijs interuenientibus rebus,labefacta
Arcadius cum Honorio: Honorius cum Theodosio iuniore. tum imperium propè concidit.Nam filij,Honorius atque Ar-
cadius,quos imperij successores reliquerat,à suis tutoribus,pri
uatum commodum publico anteponentibus,uariè fuerunt cir
cumducti. Post ut ad Honorium omnis rerum administratio
peruenit,Stilico Vandalus,rei militaris peritissimus, Radaga-
stum regem Gotthorum,in Italiam cum numerosis copijs pri-
mùm ingressum,strauit. Gotthi recollectis tandem uiribus, &
reparatis copijs,postremò rege Alarico,certamine commisso,
Roma capitur à Gotthis. superiores facti,atq; Romam cõuersi,eandem graui obsidione
cinxerunt. Honorius Rauennæ desidẽs,opem ferre nullam po
terat.Stilico,quòd eosdẽ minus fideliter iuuisse diceretur,perfi
dia cognita,tandem cum filio interemptus. Vrbs itaque tot re
bus omnium temporũ memoria gestis potens & ampla, cum
difficilis esset oppugnatio,memorabili astu,regressum simulan
tibus Alaricis,capitur,& horũ arbitrio magna ignominia sub-
ijcitur: à cæde tamen eorum qui ad templa profugissent,absti-
nuit.Mortuo Alarico,huius collega Adulphus,rex factus,du-
cta in uxorem Placidia Honorij sorore,conciliatur. Idem subla
to nomine Romano,urbẽ Gotthiam appellare instituerat: sed
barbariem suorum circunspiciens, instaurationi Romani no-
minis potius incumbendum censuit. Peragratis Gallijs, in Hi-
Cathalania Hispaniæ. spania Gotthi iam cõsedere: inde ex mixtis Alanis,Cathalaniæ
seruatum nomen. Sic Romanis tantis calamitatibus, quantas
nulla habuit ætas, uehementer oppressis, pleræque gentes se-
ptentrionis,quę suis locis sese remouerant,stabiles sedes collo-
Emigrationes diuersorum populorum. carunt. Itaque propè ijsdem temporibus è Germanijs cum ma
gnis copijs progressi Burgundiones,priscorum Sequanorum
Burgundi. atque Heduorum fertiles agros ad Rhenum usq; possederant:
quos à Burgis castellis uariè dispersis, ita appellatos tradunt.
Franci. Franci,pars altera Germaniæ,suos prægrauante hominũ mul-
titudine deonerare uolentes,Gallici soli ubertate adducti,rege

Fara-

Faramundo (Marcomiri fuit is filius) Rheno flumine traiecto, longius inde ad Sequanam fluuium, quo loco est Parisiorum ager, constitere: & principatu aucti, latè per Gallias, collabentibus ita Romanorum uiribus, regnarunt. Similiter Anglosaxones, Hengisto & Horsone fratre ducibus, collecta iuuenum manu, Oceanum ingressi, & ad littus Britannicum delati, sedes in Cantio habuerut primùm: ac pòst rerum successu, magnis artibus principatum stabilierunt. Britannorū quidam suis pulsi sedibus, in aduersum Galliæ littus, ad Armoricas ciuitates commigrarunt, ut priscorum inde linguam atque mores etiamnum retinuisse uideātur. Romanis igitur à Transalpinis diuulsis, totoq; septentrione, imperium maxima ex parte labefactari cœpit: ut ita multi principatus diuersis in locis amplitudine, opibus, atque non mediocri potentia creuerint. Factum enim illud non sine singulari admiratione legimus, ut quas gentes infestis armis tot annos Romani afflixerāt, eædem receptis animis, & commutatis temporum momentis, eorum reliquias grauius exagitauerint: & tandē à Cisalpinis, uiribus auctis, ad necessariam sui tuitionem postulare auxilia fuerint coacti. Interim ab Honorij decessu, Arcadij filius Theodosius iunior, qui Persarum regi in tutelam fuerat traditus, imperium consequitur, Eudociam eruditam fœminam uxorem habuit. Valentinianus inde tertius Italiam recepit. Gensericus rex Vandalorum, capta urbe Roma, à cæde & igne abstinuit quidē, sed multam opulentiā in Africam transtulit. Hunni etiam, gens septentrionis, Attila duce, qui terror gentium dicebatur, Pannonias latè populati sunt: inde Hungarorum nomen profectum. Itaq; ad confluentes Tibisci in Danubium, etiam hodie ualli amplissimi uestigia apparent, ex quo tam multas excursiones fecisse creditur. Peragratis Germanijs, urbes ad Rhenū sunt direptæ. Vltrà progressum eundem Attilam, Etius Romanorum dux, bellicis artibus clarus, in campis Catalaunicis, & concursu ad Tholosam facto, graui atque acerbo certamine fractum, abire coegit, ipse à Maximo Valentiniani iussu interemptus. Attila recollectis iterum copijs, Italiam ingressus, totam uehementer conterruit. Veneti in æstuaria sinus Adriani profugientes, in medijs fluctibus, ad locum etiamnum percelebrem, qui Riualtus nuncupatur, futuræ urbis amplissimæ primordia deduxerunt. Hæc suis institutis ac legibus firmata, ex nauigationū opportunitate, rerum copia atque potentia multum creuit. Aduenientem Attilam Leo Pōtifex precibus uictum, remisit. Romæ, quæ omnibus uiribus destituebatur, post uarios urbis præfectos,

Anglosaxones.

Britones.

Theodosius iunior, & Valentinianus.

Roma capta à Vandalis.

Attilæ excursiones.

In Gallijs pugnatum.

Attila in Italiam.

Venetæ urbis primordia.

Præfecti Romæ.

præfectos, qui ſe Cæſares nominabant, Auguſtulus tandem ſuccedens, ab Odoacro deturbatur. Itaque occidēte diſtracto, nulla iam principum Romanorum ſocietate atque auxilijs bella maxima, & multiplices rerum commutationes fiunt.

Arthurus Britanniæ.

Arthurus Britanniarum princeps, maximis rebus geſtis, animi corporiſq; uiribus plurimum commēdatur. Hic apud ſuos ſplendidus, memorabilis mēſæ rotundæ proceres cōuiuas habuiſſe creditur, ne qua eſſet in ſeſsione ambitio. In oriente uerò ſumma erat imperij:

Martianus.

Valentinianum quippe Valerius Martianus conſequitur. Fuit is pacis ſtudioſus, & Tatianum atque Iulium fratres adminiſtrationi rerum ſibi adiunxit. Primus ex Græcis

Leo.

Leo imperauit, qui eiuſdem nominis Leonem, filia natum, ſucceſſorem reliquit. Byzantium incendio non parua ex parte abſumptum.

Zeno.

Leo autem iunior patri Zenoni imperij adminiſtrationem conceſsit. Etiam his temporibus urbem incenſam tradunt, CXX librorum millia, maximo generis hominum incommodo, perijſſe.

Anaſtaſius.

Poſt hunc Valerius Anaſtaſius, cuius imperio Bulgari primùm ſunt cogniti: ipſe fulmine ictus interijt.

Iuſtinus.

Humili è Thracia loco Iuſtinus, melius quàm ſperabatur, res tenuit: qui poſtea Iuſtinianum ſororis filium, ſucceſſorem habuit.

Iuſtinianus.

Itaque cum Italia diuturnis populationibus externarū gentium uaſtaretur & opprimeretur, ad imperium aſcitus Iuſtinianus, ueterem dignitatem, ſuperiorum infortunijs collapſam, recuperaturus, in debellandis Perſis, excellente in armis Belliſarij uirtute uſus eſt:

Roma à Gotthis capta.

qui deinde Gotthos, Totila rege, ab capta, incenſa, atque iterum inſtaurata urbe Roma, uario ſucceſſu repulit, & ex Africa Vandalos profligauit. Pòſt ad eundē Totilam prorſus conficiendum, alter Iuſtiniani dux Narſes, Langobartorū copijs inſtructus, mittitur: quorū armis Totila, ac Teius, qui huic ſucceſſerat, ita ſunt oppreſsi, ut deinceps ſublatum fuerit ex omni Italia Gotthicum nomen.

Gotthi prorſus deleti.

Grauis fuit huius gentis excurſio, ſiue diuturnitate, ſiue periculo, & maximis totius orbis terrarum infortunijs æſtimare oporteat.

Langobarti Inſubriæ cultores.

Confecto itaque bello Gotthico, fertiliſsimus Inſubriæ ager Langobartis ad incolendum datus: qui ijdem uiribus atque opibus breui creuere, ut Italiæ totius dominatum quæſierint.

Ius ciuile inſtauratum.

Iuſtinianus fuſis undique tot populis, omnes terras excurrentibus, latè uictor, ad ſtabiliendum imperij munus, doctrinam Iuris ciuilis, temporum calamitatibus grauiter ſuppreſſam, inſtaurauit, magnificis ſtructuris delectatus:

Sophiæ templum.

cuiuſmodi fuit Sophiæ templum, quod Conſtantinopoli hodie eſt à Turcis occupatum.

Iuſtinus iunior

Alter Iuſtinus iunior, ſororis Iuſtiniani filius, ſublatis tributis, Perſas compo-

compoſuit, atque Tiberium ſecundum per adoptionẽ ſibi coniunxit. *Tiberius.* Hic cum Perſis feliciter, aduerſus Langobartos minus proſperè conflixit: ſed utrunque populum, ſimul & Scythas, ac Hunnos, Mauritius compreſsit: *Mauritius.* ipſe inſidijs Phocæ, imperio atque uita priuatur. Mauritij temporibus Turcarum nomen primùm auditum commemorant. *Turcæ primùm auditi.* Dubitatum diu eſt, quibus è locis initiò profecti ſint. Scythas fuiſſe, ueriſimile habetur, ex his quæ ueteres meminerunt, cum gentem nominis eiuſdem Tanain atque paludem Mæotida incoluiſſe tradunt. Itaq; progreſsi inde, militaribus populationibus per Armeniã, Cappadociam, ac Pontũ excurrere cœperunt. Phocas autẽ factus Imperator, *Phocas.* auaritiæ & luxuriæ ſeſe dedidit, ac minus feliciter res adminiſtrauit: cum prouincias à Barbarorum excurſionibus non prohiberet, ab Heraclio, facta conſpiratione, cum ſuis interimitur. Idem Heraclius, recepta Aegypto, Syria ac Hieroſolyma expugnata, *Heraclius cum Conſtantino filio.* poſteaquam Perſas, Coſroa eorum rege profligato, Arabum armis fregiſſet, ſolita ſtipendia cum illis negarentur, Mahumeti ducis noua atque malicioſa, ex diuerſis compoſita religionis doctrina, *Mahumetis primordia.* ſeſe confirmarunt, & ſtabilierunt: ut Romanis oppoſiti, breui in principatum ſeſe aſſeruerint: & Arabiæ, Syriæ, Aegypti, atque Perſarum uiribus auctiores facti, totum orbem diuerſis temporibus exagitarint. Habuit is Mahumetes obſequentem multitudinem, ut eiuſmodi artibus, facta liberè comparãdi Principatus ui armorum poteſtate, nihil non efficere ſit conatus. Agarenum nomen in Saracenum commutauit. *Saraceni.* Diuulſus ita à Romanis meridies, cum magna orientis parte, *Romani imperij diſsipatio.* atque ſeptentrionis, multis paſsim gentibus, dominatu comparato, ſeſe in ſpem Principatus erigentibus, ut propè imperium corruerit, Nam qui populi ante hæc tempora, ad nouas ſedes quærendas, emigrationes fecerant, ut quique uiribus potiores fuere, arma inter ſe mouere, etiam ipſum imperiũ appetere auſi ſunt: quorum graues cõtrouerſias Romani non, ut antea, componere, aut opem ferre, aut multiplices illorum conatus prohibere poterant. Iam erat Hiſpaniæ, Galliæ, Germaniæ, Britanniæ, Africæ magna per ſe potentia. Itaque Heraclij filius Conſtantinus tertius, Martinæ nouercæ inſidijs, dato ueneno, *Conſtantinus.* interimitur: quo mortuo, ipſa cum filio Heracleone aliquandiu res tenuit. *Heracleon.* Scelere cognito, Senatus utrunque ignominioſè repulit. Pòſt Conſtanti delatum eſt imperium, *Conſtans.* qui cum Saracenis & Langobartis infeliciter dimicauit: in Sicilia exactionum grauitate & crudelitate odioſus factus, ſuorũ inſidijs perijt. Inde filius Conſtantinus quartus, *Conſtantinus.* cui reuerſo è Sicilia,

 Pogo-

Pogonato, ab enata barba fuit nomen. Hic fortiter repulsis Sa-
racenis, eosdem persoluere tributa coegit: ac Bulgaros gentem
Scythicam cum prohibere satis non posset, sedes in Mœsia col-
Iustinianus II. locare passus est. Iustinianus secundus Constantini filius, sęuus,
ac fœderum immemor, Arabas & Bulgaros imprudenter con-
Leontius. citauit: sęuitia molestus, Leontij et Callinici facto pulsus, ad Tre
Tiberius. bellium regem Bulgarorum ut confugit, ab eo restituitur: ac Ti
berium, qui Leontium imperio potitū deiecerat, imperitantem
Philippicus. sustulit. Hos sunt in imperio cōsequuti, Philippicus, tantæ igna-
Anastasius. uiæ, ut Bulgaros à Thracia non repulerit: Anastasius, qui Ara-
Theodosius. bas tētauit: Theodosius inde tertius, difficultati rerum ciuilium
Leo III. succumbens, priuatam uitam anteposuit, ac Leoni tertio Icono-
macho cessit. Saraceni à diuturna & graui Constātinopolis ob-
Constantinus. sidione, Bulgaris opem ferentibus, dissipantur. Iam Constanti-
nus quintus, Copronymos appellatus, Bulgaris bellum intulit,
Leo IIII. & Artabasdum repositū, cum liberis, luminibus priuauit. Leo
Constātinus, et mater Irene. inde quartus, cuius filius Constātinus sextus, cum Irene matre,
integritatis & probitatis nomine commēdata, imperium admi-
nistrauit. Dissipata ad hanc rationem imperij potentia, grauius
afflicto occidenti, oriens ferre opem nullam poterat, Langobar
Cisalpinorum auxilia. tis totius Italiæ dominatu potituris. Itaque cum Cisalpinorum
uires iam multum rerum magnitudine creuissent, ab ijsdē Pon-
tifices auxilia euocarunt. Regnabat tum apud Francos & Ger-
Pipinus. manos Pipinus, Caroli Martelli (à comprimēdis hostibus hoc
nomen habuit) filius, qui Langobartos pacē facere coegit. Idem
Carolus Magnus. & regnum stabiliuit. Cuius deinde filius Carolus, ex rerum ge-
starum amplitudine Magni nomen assequutus, compositis do-
mi rebus, petente Adriano Pontifice, cum ingentibus copijs in
Italiam magnis itineribus uenit, ac Desideriū Langobartorum
regem, Ticini conclusum, in deditionem accepit: pòst Insubria
Rolandus. præfectis traditur administranda. Rolandus sororis Caroli fi-
lius, animi atq; corporis uiribus celebratur, ut rerum gestarum
magnitudine & uarietate, fabulis similia pleraque in summa ad-
Caroli Magni gesta. miratione de eo prodantur. Multa gessit Carolus in Germanijs
aduersus Saxonas, in Gallijs aduersus Aquitanos, & in Hispa-
nijs contra Saracenos: præterea septētrionis gentes suis finibus
coercuit. In Italiam secundò profectus, res præclarè gessit. Hun
nos deinde feliciter adortus, Rhingo expugnato, magnam opu
lentiam inuenit. Tertiò in Italiam ut est reuersus, compositis re-
Carolus Imperator creatur. bus, ac Leone Pōtifice reposito, eidem Romani imperij decus,
communi consensu & acclamatione, delatum. Quam ad rem
confirmandam, Irenem orientis imperium tenentem, etiam nu-
ptijs erat

ptijs erat sibi adiuncturus: consenserunt tamen orientis proceres, & acquieuerunt. Igitur cum ab Augustulo occidentis imperium esse desijsset, cis Alpes hoc cōstituitur: quo facto, licet multa interuenerint, instaurari tamen pleraque, & inclarescere coeperunt: ut intermedio Germanijs atque Gallijs Rheno, latissimè imperium Carolus tenuerit. Itaque Rempublicam pręclaris institutis & legibus constituit. Nobilitatem in bellis habuit exercitatam, & propositis præmijs atque honoribus ad necessaria tempora expeditā. Ea erat Caroli famæ celebritas, ut principes disiunctissimi legationes de amicitia ad eum certatim mitterēt. Quocirca fuit illud laudabile, occidētis principes, magno & nobili loco natos, rebus fortiter gestis, & suscepta Christi religione, uita integrè acta, æquo atque moderato in his locis usos fuisse imperio: nec superiorū more, in suos perinde sæuijsse: bella pro communi religionis defensione, magna ex parte gessisse: quando Saracenis, Italiam continenter prementibus, strenuè sese opposuerunt, & septentrionis plurimas gentes ad Christi cognitionem adduxerūt. Ita semper hoc imperium à suis primordijs, ex maximis rerum conuersionibus, potentiam, ac uires amissas & debilitatas recollegit. At orientis statum cum teneret Irene, missam à filio in exilium, ciues reuocarunt. Nicephorus illa depulsa, imperium assequutus, auarè crudeliterque res administrauit. Pòst Bulgaris impressionem facientibus, cum suis opprimitur: cuius filius Stauratius, à Michaele Curoplate summouetur. Hic domesticis rebus, quàm militaribus accommodatior, Bulgaris cessit, & in solitudinem abijt. Leo iam Armenius, comparata de Bulgaris uictoria, in rerum tranquillitate sęuus fuit: pòst à Michaële Balbo est per insidias circumuentus. Hic Michael, Leone occiso, Thomam tyrannidem appetentē, cum suis sustulit. Saraceni tum prælijs aliquot superiores, Cretam insulam occuparunt: quibus cum huius filius Theophilus, imperio succedens, minus feliciter dimicauit. Eundem casum Michael, huius filius, cum matre Theodora passus est, qui adultior eandē conclusit: ipse socordia & largitionibus res imprudenter tenuit, ut pòst à Basilio Macedone collega sit sublatus: qui idem potitus imperio, in Creta cum Saracenis dimicauit: ijdē ex Africa progressi, populata Italiæ parte, etiam per Dalmatiam latissimè excurrunt. Itaque Saraceni continenter belligerātes, uariè dispersos Turcas hisce temporibus mercenarios habuere, quorum uiribus Babylonios atque Indos subegerunt. Inde Asię terris & coelo assueti Turcæ, ac Saracenis prælio etiam commisso superiores, in spem obtinendi principatus adducti, Persarum principa-

tum

Imperium occidentis cis Alpes.

Rerum administratio.

Imperij occidentis principes.

Orientis status.

Nicephorus.

Stauratius.

Mich. Curoplates.

Leo Armenius.

Mich. Balbus.

Theophilus & Michael filius.

Basil. Macedo.

Turcæ auxilium Saracenis dedere.

Turcae Saraceni coniuncti. tum affectarunt, ut ex Scythijs & aliam militum manum euocarint. Sic cum uiribus plurimum possent, Saracenis reconciliati, socijs armis coniunctis, nuper introductae Mahumetanae religionis instituta, quae suis conatibus conuenire uidebantur, amplexi sunt, unde etiam Saracenorum nomen illis fuit: atque ita confirmati, ijsdem Saracenis Aegyptum, & magnam Asiae partem relinquunt: ipsi uersus Europam, nostris dissidētibus, principatum comparare coeperunt, quibus cum frequēter est pugnatum. *Leo Philosophus.* Basilius Macedo imperiū tribus filijs reliquit. Leo Philosophus cognomento, ex ijsdem superstes, astrorum fuit peritus; à Turcis aduersus Bulgaros auxilium habuit, quibus difficulter restitit: melius cum Saracenis conflixit. Tertius è filijs Basilij Alexander, *Alexander.* à fratre Leone imperiū accepit: qui praefectis rerum administrationi nullo delectu adhibitis, luxu & ignauia diffluere maluit. *Constantinus.* Constantinus literarum studiosus, ut Andronicus Duca tyrannidis inuasor est oppressus, Bulgaris grauius prementibus, *Romanus Lecapenus.* Romanum Lecapenum interim sibi asciuit. Hic postea imperium cum filio inuasit: quibus sublatis, ad Romanum Leonis iuniorem imperium est delatum: *Romanus Leo.* qui Saracenos Cretā occupantes, & Turcas per Asiam excurrentes, Nicephori Phocae facto, compressit: *Nicephorus Phocas.* matrem ac sorores indignè tractauit. Idem Nicephorus Phocas, factus Imperator, cum ijsdem Saracenis uariè in Sicilia dimicauit: & cum per Asiam longius sequeretur, Antiochiam recepit. Domi, auaritiae & sordidae magno odio, à Ioanne Zimisce interimitur: *Io. Zimisces.* qui imperium adeptus, Basilium atque Constantinum collegas sibi adiunxit. Rhoxolanos gentem Scythiae, Bulgariam occupare conantes, capto eorum rege, prohibuit. Hac uictoria nobilitatus, in urbem reuersus, ueneno tollitur. Hoc imperium, continuatis domesticis caedibus, nulla seruata imperij constantia & dignitate, multas in partes ita distrahebatur. *Occidentis imperium.* Sed in occidēte, Carolo Aquisgrani defuncto, filius Ludouicus, *Ludouicus Pius.* cui ex morum integritate Pio nomen, successit, multarum gentium legatos excepit: & pacta cum Graecis foedera, Leone imperium obtinente, firmauit. Huius dein filij tres, de successione solliciti, ut Moguntiae decessit, totidem in partes amplissimum imperium diuiserunt. *Lotharius.* Maximus natu Lotharius, imperij munus, Italiā, Narbonensem Galliam, Lotharingiam, quae inde nomen habuisse creditur, obtinuit. *Ludouicus.* Ludouicus populos Germaniae, ultra Rhenum positos, est sortitus. *Carolus Caluus.* Carolus Caluus natu minimus, interiectas his terras ad flumen Mosam, & Galliarum maximā partem administrauit. Suscitata dein inter fratres discordia, grauissimè

uissimè & acerbissimè in Gallijs ad Fontanaicum dimicatur. Viribus ita debilitati, pòst reconciliantur. Lotharius priuatam uitam egit, Ludouicum filium Imperatorem relinquens: *Ludouicus.* hic Saracenos ab Italia fortiter repulit. Carolus inde Caluus à *Carol. Caluus.* Ioanne Pontifice creatus est Imperator, cui Germanici filij bello ad Andernacum superiores fuere: is tandem, ueneno dato à Sedechia medico Iudæo, moritur. Iam Pontifex eiusdem Caroli filium Ludouicum Balbum, prima ætate Imperatorem utiq; *Ludouicus Balbus.* fecit. Rebus tum difficilibus, eodem Ludouico mortuo, Carolus Crassus Ludouici Germanici filius, in auxilium uenit, atq; *Carol. Crassus.* Saracenos magna uirtute profligauit: rei bene gestę præmium fuit imperij corona. Idem à Galliarum populatione Nortmannos continuit, antè prælijs cōmissis tentatos. Interea cum non satis in se præsidij esse uideret, sustinendis laboribus minus accommodatus, relicto imperio, Arnolphum fratris filium suc- *Arnolphus.* cessorem cōstituit. Morauos est adortus, atque Nortmannos à Rheni ripis prohibuit. Cuius filius Ludouicus, Pannonibus *Ludouicus.* superior, cum in Italiam ijdem facerent irruptionem, Berengarij, ex Langobartis collecto milite, sese obiecerunt, atque Imperatoriam dignitatem quęsierunt. Eosdem Pannonas sibi oppositos, Conradus primus latè profligauit, ac pòst Henricum pri- *Conradus.* mum Saxonem hęredem habuit. Otho huius filius, à Romano *Henricus.* secundus, et ex Germanis primus, Berengarijs factus superior, *Otho.* coronam est assequutus. Varijs Germaniæ bellis, & Saracenorum maximè implicatus, quos ex Calabria & Apulia repulit: pòst eiusdem nominis filium Othonem secundum asciuit: qui *Otho.* prælio aduersus Saracenos dilapsus, & à nautis comprehēsus, parua pecunia, cum incognitus esset, dimittitur. In oriente uiri- *Oriētis status.* bus confirmatis, & successu rerum impulsi Turcæ, grauius urgebant, ut principes, imperij munus tueri difficulter possent. Itaque duo collegæ fratres, Basilius & Cōstātinus, imperium *Basilius & Constantinus.* diutissimè tenuerunt: domesticis aduersarijs prælio commisso superioribus, in Bulgaros profectus est Basilius: quibus supe- *Bulgaria deuicta.* ratis, tota ea regio orientis Principatui addita: ut Bulgarorum arma, quæ tot annos infesta fuerant, tandē conquieuerint. Constantinus mortuo fratre relictus successor, ad res tractandas minus fuit idoneus, prę fectis omnia administranda committens. Inde Romanus Argyropylus, ducta in uxorem Zoe filia, prin- *Romanus Argyropylus.* cipiò multis præclarè institutis confirmatus, Saracenorum armis succumbens, auaritiæ atque ignauiæ sese dedidit: pòst eiusdem Zoes insidijs est sublatus: cuius adulter Michael Paphla- *Michael Paphlago.* go Barbarus, pactis cum Aegyptio rege inducijs, aliquandiu

Michael Calaphates. res administrauit. Zoe in adoptionem Michaelem Calaphatem auarum & crudelem recepit. Missam in exilium eandem ciues reuocarũt, ac ipsum Michaelem priuarũt oculis. *Zoe & Theodora.* Zoes deinde, sorore Theodora adiuncta, muliebri administratione contenti fuerunt: pòst eadem *Constantinus Monomachus.* Constantinum Monomachum Imperatorem esse uoluit. Hic seditionibus domesticis exagitatus, luminibus priuatur. Turcæ uiribus atque successu cõfirmati, per Asiam hisce temporibus longè latéque excurrunt. *Theodora & Michael.* Theodora à Zoe decessu res gessit, adiuncto Michaele seniore: idem imperium aliquandiu tenuit. *Isaacius Comnenus.* Res Isaacij Comneni principatu reparari potuisse uidebantur, nisi ille, Senatu assentiente, populi etiam consensu, *Constantinus Ducas.* Constantino Ducæ imperium tradidisset. Hic res domi suscitatas componere est conatus, nec à studijs literarum abhorruit. *Eudocia.* Cuius uxor Eudocia simul cum filijs succedẽs, rebus grauius premẽtibus, in societatem administrationis *Romanus Diogenes.* Romanum Diogenem maritum sibi adiũxit: qui à Turcis captus, *Michael.* facta pace, cum muneribus remittitur. Admisso interim Michaele Constantini Ducæ filio, & Pselli discipulo, conantẽ Romanum sese restituere, luminibus priuarunt. Eodem Michaele ignauia languescente, *Nicephorus Botoniates.* Nicephorus Botoniates imperium obtinuit: quo repulso, *Alexius Comnenus.* Alexius Comnenus receptus: qui licet suspectos nostros haberet, plurimum tamen Boamundum Nortmannum est prosequutus: moriens, filiũ Caloiannem reliquit. Atque ita orientis principatus perpetuis & domesticis seditionibus dissipatur: ut alijs repulsis, atque alijs interemptis, ad *Occidentis imperium.* obtinendum imperium pateret aditus. Sed in Germanijs maiore successu rebus progredientibus, *Otho.* Otho tertius Imperator salutatur, qui Brunonem (Gregorius quintus is postea est appellatus) Põtificem creauit: quo depulso, ascitũ Ioannem summouit, ac eundem Gregorium restituit: simul & seditionis autorem Crescentium, affectantem imperium, compresit. Idem *Septemuiratus institutio.* Gregorius, ad tollẽdas in creando Imperatore solitas oriri controuersias, Septemuiratum instituit: tres Antistites, Moguntinum, Agrippinensem, atque Treuirensem: simul etiam imperij proceres, Ducem Boemiæ, qui pòst factus est Rex, Comitẽ Palatinum, Ducem Saxoniæ, & Marchionem Brandeburgum. *Sabaudiæ primordia.* Eiusdem Othonis temporibus, Beroldus Saxonicus, fratris filius, bene comitatus Germania excedens, cum Bosonem ad Arelate regnantem, aduersus finitimos quosque, maxima in armis uirtute iuuisset, ac rebus apud eum honorificè præfuisset, Moriana ualle donatus, Susios affinitatis iure sibi proximè adiunxit, Successores deinde, Alpibus intermedijs, utrinque Al-

lobrogum

brogum atque Subalpinarum gentium terras latiſsimè, rebus uario ſucceſſu geſtis, poſſederunt: genti uniuerſę poſtea, à tuto montium tranſitu præſtito, Sabaudiæ nomen datum. Itaque electoratus auſpicijs & ſuffragijs, Henricus ſecundus, primus *Henricus.* Imperator aſciſcitur. Boemos hic, ac Vandalos cohibuit, & Saracenos ab Italia deturbauit, Lotharingiam atque Flandriam recepit, Pannonas Chriſtiana religione imbuit. Eiuſdem iudicio adlectus Conradus ſecundus, Francici generis, qui Romæ co- *Conradus II.* ronam accepit. Idem Sclauos & Pannonas bellis attriuit: Rempublicam legibus latis, quæ habētur, exornauit. Sed Henricus *Henricus III.* tertius, Niger cognominatus, Boemos tributa pendere coegit, ac eiuſdem nominis filium Henricum quartum Aquiſgrani co- *Henricus IIII.* rona donari uoluit: hanc urbem caput imperij, controuerſijs ſedandis, ſtatuens. Pòſt re bellica clarus, Rodolphum Sueuiæ ducem, ab aduerſarijs Imperatorem factum, graui Germaniæ calamitate ſuperauit. Huius imperio Gotfridus Billonus con- *Gotfridi Billoni in Paleſtinam expeditio.* fertiſſimas copias aduerſus Saracenos et Turcas in Palęſtinam deduxit: recepta Hieroſolyma, hoſtes latè profligauit. Tanta in armis uirtus illius celebrata, ut Heroū ordini, qui omnium temporum memoria militari laude præſtitere, fuerit cooptatus. Hebræi tres, Ioſua, Dauid, & Iudas Machabæus: totidem *Heroes omniū ætatū maximi.* externi, Hector Troianus, Alexander Magnus, & Iulius Cæſar: totidem Chriſtum profeſsi, Arthurus Britannus, Carolus Magnus, atque nonum obtinens locum, præclaris horum rebus geſtis æquandus Gotfridus. Patre autem mortuo, Henri- *Henricus V.* cus quintus imperium aſſequutus, multis bellis occupatur. In oriente perpetuum cum finitimis Turcis bellū, aduerſus quos *Oriētis ſtatus.* dimicauit Caloioānes, cui ſucceſsit minor natu filius Emanuel, *Caloioannes.* iniquior Conradi Imperatoris, & Ludouici Francorum regis *Emanuel.* expeditionibus, contra hoſtes nominis Chriſtiani ſuſceptis. Commotus inde Rogerius Siciliæ rex, omnem oram Græciæ & Thraciæ latè populatur. Idem Emanuel cum Turcis dimicans, uenit in periculum, ne caperetur: pòſt Alexio filio rerum *Alexius.* adminiſtrationem reliquit: Andronici Comneni inſidijs ſubla- *Andronicus Comnenus.* tus, hunc eundem (ita nunquam inulta eſt cędes) Iſacius Ange- *Iſacius Angelus.* lus inopinantē ignominioſè diſiecit. Hic factus Imperator, Cyprum recipere tentauit, & Valachos minus proſperè eſt aggreſſus. Fridericum inde, Aenobarbū cognomento, in Syriam contendentē, honorificè habuit: quod moleſtè ferens Alexius *Alexius.* frater, oculis illum priuauit. Inde Alexius iunior, Iſacij filius: *Alexius iunior,* quem imperio potitum, cum homo ignobilis Murziphlus interemiſſet, ſumptū eſt de illo ſuppliciū. In eiuſmodi continua-

tis domesticis cædibus, orientis imperij munus præstanti uiro *[Balduinus.]* Balduino, Flandriæ & Hannoniæ Comiti, x v uirûm suffragijs delatum. Hic breui amissa omnia ad Adrianopolim usque recepit. *[Henricus.]* Cui proximè succedens Henricus frater, affinitate coniunctis Valachis, amicitiam ducis eorum confirmauit. Relictũ *[Petrus Altisiodorensis.]* Petrum Altisiodorensem generum, Theodorus Lascaris circumuenit. *[Robertus.]* Byzantium proficiscitur Robertus filius, qui breui in Achaia morbo interijt. *[Balduinus.]* Balduinus huius filius, nondum imperio maturus, Io. Brenium adiutorẽ habuit: is cum foras ad Bosporum copias educeret, Michael Palæologus interim proditione *[Occidentis imperium.]* urbem recepit, & imperium tenuit. Ita cum annis circiter L X in oriente à nostris esset imperatum, ad Græcos rerum summa rediijt. *[Lotharius.]* In Germania ab Henrici quinti morte, Lotharius secũdus Saxo factus Imperator, Rogeriũ ab Italia repulit. Huius Lotharij auspicijs instaurata Iuris ciuilis disciplina, magnum dirimendis priuatis & publicis controuersijs adiumentum est allatum. *[Conradus.]* Cõradus dein tertius, Bernardi, uiri in sacris literis uersati, hortatu, socijs armis cum Ludouico Francorum rege coniunctis, aduersus Saracenos profectus, Emanuelis & Græcorum malitia impeditur. *[Fridericus.]* Iam uerò Fridericus primus Aenobarbus, Romam cõtendens, repulsis ijs qui obstabant, coronam obtinuit. Francorũ copijs adiutus, recepta minore Armenia, Soltanum *[Henricus VI.]* in Aegyptum coegit. Cuius filius Henricus sextus, rex Siciliæ, Philippum fratrem Syriacæ expeditioni præfecit: qui Beryto occupato, obsidione Ioppen tenebat, cum exorto tumultu reuocatur. Excitatum erat per Germanias graue dissidium, alijs Othonem Saxoniæ ducem præferentibus, alijs Philippum eundem Sueuorum ducem. Vterque externis uiribus auctior, in*[Philippus.]*ter se cõmissi: sed Philippus superior factus, imperio potitur, ac per insidias tandem interimitur. Post cuius decessum idem *[Otho IIII.]* Ottho quartus imperium, corona accepta, obtinuit: quo pulso, *[Fridericus II.]* Fridericus secundus potens eligitur. Rebus Syriacis hic inclaruit. complures linguas eum nouisse tradunt, nec astrorũ fuisse rudem commemorant. Idem in patrocinium studiosorum, memorabilem Constitutionem, quæ inter priscas meritò est relata, edidit. *[Discordiæ per Italiam.]* Graues tum factiones ex multis discordijs per Italiam exortæ, ut qui Cæsareas partes tutarentur, Gibelini: qui Pontificias, Guelphi dicerentur. Circa id tempus rex Hispaniarũ Ferdinandus tertius, compressis magna uirtute Saracenorum uiri*[Saraceni repulsi in Beticam.]*bus, recepta Corduba & Toleto, in Beticam se recipere coegit. Conradus quartus Germania excedens, Neapolin concessit. Vuilhelmus Hollandiæ princeps imperio est potitus: quo mor

tuo,

tuo, Electoribus inter se dissidentibus, cōsequutum Germaniæ Interregnum. Orientis interim uires, continuatis finitimorum irruptionibus fractæ, debilitatæ, & cōminutæ sunt. Igitur cum Michael Palæologus imperium inuasisset, res diutissimè administrauit. Venetos est aggressus, pòst Lugdunum ad cōuentus uenit: sui ob id infensi, mortuum minus honorificè sepelierunt. Andronicus natu maximus filius, adiuncto Michaele filio, imperium tenuit. Turcæ autem longis excursionibus Asianis potentiores, & multis prælijs finitimorū successu elatiores, Othomanno magnis artibus uariè dispersos cogente, principatū sunt assequuti. Hic rebus gestis, successores, qui orientem grauiter oppresserunt, ac tandem occuparunt, reliquit. Medio tempore interueniens Tamerlanes Parthus, ex milite gregario, maximarum copiarum ductor factus, adiunctis finitimis populis, Syria & Aegypto uastata, in minori Asia oppositum sibi Paiazetem Turcarum principem, ducentis, uti tradunt, millibus cæsum, ac uiuum captum, in uincula coniecit. Sed in principatu Byzantino, post graues discordias, Andronicus iunior res administrauit: quo mortuo, sequuti sunt Io. Palæologus, & Io. Cantacuzenus: quibus inter se dissidentibus, auxilia Turcarum in grauem totius orientis perniciem accersita. Palæologus, Matthæo Cantacuzeni filio deiecto, Emanuelem successorem habuit: è cuius liberis maximus natu Ioānes, quietius imperauit, & Antistitum comitatu uenit in Italiam, ad Eugenium, Florentiæ conuentum agentem. Imperium tenebat Constantinus, cum ingentes Turcarum copiæ diu, & magna ui obsessam, fractam, atque debilitatam Constantinopolin, Mahumete ductore, expugnarunt. Imperatori caput præcisum, proles omnis regia sublata: urbs orientis totius potentissima & amplissima, latè ferro, ruina, flamma uastatur, & grauia in contumeliam nostræ religionis committuntur. Sic quæ urbs Constantini Magni auspicijs cœperat esse Romæ æmula, alterius Constantini maximis infortunijs collapsa est, & corruit: ut gens Christum professa, seruile iugū, quod nos maximum illam sustinere haud ita pridem uidimus, subierit. Nam eadem præter multa indignissima, ad comparandum militem Prætorium, Iannizarum nuncupatum, delectu ex Christianorum liberis habito, ignominiosè affligitur. Atque ita omnis Græcia, & finitimi populi, quondam clarissimis ingenijs, & imperij gloria cæteris præstantes, planè sunt oppressi & attriti. Verùm cum lōgè ante hæc tempora, ad rerum progressionem utrinque seruandam, in Germanijs fuisset Interregnum, alij Alphonsum Castiliæ regem, doctrinæ studijs, & astrorū maximè

Interregnū annorum 18.
Oriētis status.
Michael Palæologus.
Andronicus cum filio.
Othomannus primus Turcarum princeps.
Tamerlanes Parthus.
Andronicus iunior.
Ioannes Palæologus, & Ioannes Cantacuzenus.
Emanuel.
Ioannes.
Constantinus.
Grauis Cōstantinopolis expugnatio.
Principatus orientis in seruitutem redactus.
Occidentis imperium.
Alphonsus Castiliæ.

[Richardus Angliae.] commendatum, alijs Richardum regis Anglorum fratrem anteponentibus. Pontificis Gregorij X constituti (siquidem aliquandiu uacarat sedes) hortatu, Lausannæ (posita est ad uicinam lacus Lemani ciuitas) facto conuentu, *[Rodolphus.]* Rodolphus Habisburgius, & Alsatiæ Comes, Imperator salutatur. Idem Othacarum Boemiæ regem, Austriam hæredibus carentem occupaturum, prælio commisso sustulit: atque filio Alberto, Duce constituto, Austriam tradidit: *[Austriæ primordia.]* quæ ab eiusmodi primordijs, latissimè cõparato Principatu, deinceps maximis aucta est incrementis. Rodolphus in Italiam profectus, Hethruriæ oppida libertate donauit: *[Adolphus.]* cui successit Adolphus Nassauus Comes, *[Albertus.]* qui dum bellũ pararet, Albertum superioris Rodolphi filium principes illi opposuere. *[Henricus VII.]* Eundem sequutus est Henricus septimus, Lucemburgensis, qui coronam Romę habuit. Orta deinde graui in electione controuersia, Fridericus Austriæ Dux, & *[Ludouicus.]* Ludouicus Bauarus deliguntur: hic Aquisgrani, ille Bonnę imperij ornamentą accepit. *[Heluetiorum fœdus.]* Hisce temporibus Heluetij, uiribus inter se coniunctis, fœdus fecerunt: inde finitimis accedẽtibus aucti, communibus de rebus ad oppidum, ex calidis & ijsdem salubribus aquis, Thermarum nomen adeptum, conueniunt. Sed in imperio alij atque alij asciscuntur, Edoardus Angliæ, Misnensis princeps, atque Guntherus. *[Carolus IIII.]* His demortuis, Carolo quarto Boemię regi omnis rerum administratio delata. Is profectus in Italiã, passim honorificè excipitur. Reuersus Pragam, Boemiæ caput, Academia erecta ornauit, atque publica tranquillitatis imperij instituta præscripsit. *[Venceslaus.]* Inde Venceslaus Caròli filius: *[Robertus.]* cui abrogato pòst imperio, Robertus Bauarus in eius locum suffectus: qui opem postulãtibus Florentinis, Galeatio principi Mediolanensi sese opposuit. *[Sigismundus.]* Robertum sequutus Sigismundus, Caroli quarti filius, Pannoniæ atq; Boemię regnis locupletior, doctrinis & linguis, quas cognorat, uehementer commendatur. Idem collectis maximis copijs, adiuncto Burgundiæ principe, expeditionem aduersus Turcas suscepit: sed rebus minus succedentibus, Sigismundus Constantinopolin se recipit. Philippus Burgundus à Turcis captus, grandi pecunia redimitur. *[Albertus.]* Albertus II, Sigismundi gener, Austriæ dux, Pannoniæ & Boemiæ rex, imperium tenuit, Morauos atq; Sarmatas suis finibus cõtinuit, aduersus Turcas ad Synderouium castellum profectus: sed ijdem, recepto per deditionem castello, excessere: *[Turcarum populationes.]* atque populationibus, Europęo cœlo assueti, longius excurrunt: ut multis mancipiorum millibus abductis, & inter se diuenditis, Thraciam, Græciam, Macedoniã, Daciam,

Mœsias,

Mœsias, præterea Peloponnesum, Acarnaniam, & Albaniam exagitarint. Pannonum arma, quos Hungaros dicimus, ad transitum Danubij frequenter aduenientibus, fortissimè opposita, ut se aliquandiu ijs finibus continuerint. Albertum Fridericus consequitur, qui diutissimè, rebus conquiescẽtibus, imperauit, domesticas discordias cõposuit: ac regem Pannoniæ Matthiam, irruptionem facientẽ, continuit. Interim Turcæ successu captæ urbis Constãtinopolis, & longissimis regionum excursionibus assueti, totam Europam spe hauserant: cum ab Hydrunti expugnatione, quę omnem Italiam conterruerat, Alphonsi regis uirtute sunt deturbati. Etiamsi aliqua in artificũ operibus, temporum lapsu intereant, multa tamen hæc ætas, maximi ingenij, ueteribus inaudita, reperit: è quibus, præter cætera, est tormentum, quod ab horribili sono Bombardam dicimus, ad muros subuertendos, & ad acies disturbandas, magna hominũ internecione, accõmodatum: quo semel introducto, militaris ueterum disciplina relicta: simul & multiplices machinę, quibus illi in bellis gerendis utebãtur, neglectæ: munitiones etiam oppidorum, terra aggesta, densissimis & firmissimis propugnaculis, diuersæ factæ. Sed magnæ utilitatis fuere Typi, quorum ad uenustè celeriterq; excribenda ingenij monumenta, maximus usus hisce Friderici temporibus esse cœpit. Eiusdem filius Maximilianus, ducta in uxorem Maria, Caroli Burgundiæ ducis filia, auctior, uiuente etiam patre, secundis Electorum suffragijs rex Romanorum Francofurti designatur, & Aquisgrani coronam accipit. Compositis pòst Germaniæ inferioris cõtrouersijs, à patris decessu Imperator creatur: militarem disciplinam restituit, atque difficilia bella per Italiam et Germaniã gessit. Pulsi tum ex omni Hispania Mauri: atq; magnis Ferdinandi uiribus receptum, & principatui adiectum Beticum, quod & Granatæ regnum dicitur. Idem Maximilianus multorum Europæ principum affinitatem, filiarum nuptijs comparauit: ac Philippus huius filius, Ioannam regis Aragonum Ferdinãdi filiam, uxorem habuit: quo defuncto, Carolus atque Ferdinandus nepotes in tutelam Maximiliano sunt traditi. Hæc ætas ingenijs ad studia literarũ pertractanda uehemẽter incensis, rerum multarum cognitione inclaruit: ut longissimæ peregrinationes à nostris hominibus in omnem orbis terrarũ partem, rerum priscarum lectione, renouata historię memoria, sint susceptę. Itaq; maximam illam orientis calamitatem, distracto à nobis imperio, cõpensare quodammodo uisus est, inuentus longius in occasum solis Orbis terrarum alter, & is nouus, atque priscis omnibus, quantũ ex relictis

scriptis

Pannones Turcis oppositi.
Fridericus.
Hydruntum receptum.
Inuenta duo Germaniæ.
Bombarda.
Typi.
Maximilianus.
Saraceni Hispania pulsi.
Philippus Maximiliani filius.
Huius ætatis illustratio.
Orbis nouus.

ſcriptis conſtat, incognitus: licet Carthaginienſes procul in Allanticum progreſſos commemorent, & alia quædam de terra extra ſidera ſcribantur. Multo uerior & certior Ferdinandi regis Caſtiliæ auſpicijs fama perlata. *[Chriſtophorus Columbus, & Americus Veſputius.]* Chriſtophorus nanque Columbus, & Americus Veſputius, magnis nauigationibus, nulla æquorum uaſtitate deterriti, ab inſulis Fortunatis, Canarias à canum copia dicunt, in obeuntem Solem progreſsi, oppoſitum nobis orbem quæſierunt: qui ab hominum genere incognito habitatur, cultus ac lautitiarũ ignaro, ſimul & habitationis, atque rationis ædificandi: ſiquidem homines uictu obuio nudi latè oberrant. Póſt exculti ſunt, oppidis & caſtellis ad noſtram rationẽ conditis: hos religionis etiam Chriſtianę inſtitutis quotidie imbuunt: multa explorantur, quo is tractus regionum tandẽ cognoſci poſsit. Plurimis deinde nauigationibus, mercium noſtrarum commutatione, multiplex opulentia inde reportata. *[Circum Africam longa nauigatio.]* Similiter Emanuelis regis Luſitani auſpicijs, ab occaſu in meridiem, circum Africam laborioſè nauigantes, ultrà longiſsimè in orientem, ad Indos uſque penetrarunt, & loca caſtellis ſibi communierunt. Quo memorabili facto, non uiſa ante cœli ſidera maioris ſplendoris, cognouerunt: & aliæ terræ, quas cultoribus deſtitutas ueteres crediderunt, luſtratæ. Frequens eſt finitimarum gentium totius orientis magno concurſu, & Taprobanæ inſulę, Calicutij emporium, *[Calicutij emporium.]* ex quo noſtri diuerſi generis aromata & gemmas referũt. Alij in ampliſsimum Perſidis regnum, *[Sophes Perſarum.]* quod rex Sophes dictus obtinet, uiſendi gratia proficiſcuntur. Alij longiſsimè in ſeptentrionẽ, gentem Scytharum, quam Tartariam hodie nominamus, *[Tartarorum Chamus.]* Magnum Chamum principem habentem, adeunt. Præterea Aethiopiam, cui multis regib. potens Ioannes is, *[Io. Precioſus.]* qui Precioſus appellatur, Chriſtum agnoſcens, imperat. Frequenter in Palæſtinam omnem, *[Palæſtina.]* ueſtigijs eorum quæ in ſanctiſsimis literis leguntur, recognoſcendis: ſic etiam in Aegyptum, Alexandria *[Alexandria.]* negociationibus celebri, nauigant. *[Turcarũ principatus.]* Non ignorantur res Turcicæ, Solymanno orientem occupãte: qui poſita Conſtantinopoli regia, noſtros diuerſis temporibus bellis tentauit: cuius Principatus eſt eiuſmodi, ut ad unum caput totus referatur: in quo nulli principes aut nobiles uiri alijs dominentur, ſed poſsideat princeps omnia, cæteris in uniuerſum ſeruis atque mancipijs. *[Septentrionis gentes.]* Ad mare glaciale longè peragratis uarijs, & ijs inauditis gentibus, progreſſum etiam eſt: ut noſtri homines uniuerſum orbem, certatim in diuerſas gẽtes profecti, patefecerint. *[Europa.]* Ac omnis Europa, qua eſt Chriſtianum nomen, multo liberius incolitur, & cognoſcitur: loca

tur:loca rerum à priſcis geſtarum ueſtigijs nobilitata, doctiſsimis hominibus inquirentibus, ſtudioſe notantur. Verius fluminum origines ac decurſus deprehenduntur, cæteraq́ plurima: ut multis huius ætatis peregrinationibus ſuſceptis, Geographia, una doctrinarum, multo certior ſit facta, atque locupletior. *Geographia.* Artifices ſimul & opifices diuerſi generis, hanc rerum ex inſtauratis paſsim literis celebritatem ſenſerunt: ut nobiles *Artificum celebritas.* Pictores (Michaelem Angelum commendat Italia: Albertum Durerum, Geometricis præſidijs adiutum, Germania) in relinquendis egregijs operibus plurimum elaborent: quod & Sculpturæ & Cælaturæ ſtudioſi factitant. *Pictores.* Similiter præſtantes Architecti, in ſtructuris erigēdis, ad ſcriptis notatam ueterum rationem & ſimilitudinem, erutis etiam atque effoſsis antiquitatum monimentis, comprobatam, magno ſucceſſu incumbunt. *Architecti.* Varia utique rerum ornamenta, & inſtrumenta ſolertis ingenij, nouis quotidie inuentis occurrentibus, in medium utiliter ijdem artifices producunt. Inde frequens terra mariq́ concurſus mercatorum, Antuerpiam Belgicæ Galliæ, Francofurtum & Nurembergam Germaniæ, Lugdunum & Lutetiam Pariſiorum Galliæ, Londinū Angliæ, Vlyxiponam & Medymnam campeſtrem Hiſpaniæ: Venetias, Mediolanū, & Genuam Italiæ, aliasq́ totius Europæ ampliſsimas ciuitates propè innumerabiles: præter uicos, emporij etiam celebritate certis anni temporibus commendatos, quibus omnes undique ad uitam inſtruendam copiæ ſuppeditantur. *Europæ frequentes mercatus.* Itaque ſummi Principes, et magnæ Reſpublicæ, ad potentes ac bene conſtitutos, omnium ſeculorum memoria ſcriptis comprehēſos Principatus, cognitis eorum incrementis, inclinationibus, & conuerſionibus, prudentius ſua adminiſtrare didicerunt: ut in omni publica gubernatione, & rebus gerendis, facta dictaq́ illuſtria, nihil etiam negatum conatibus noſtrorum confirmantia habeantur. *Rerum adminiſtratio ueterum æmulatione.* Maximiliano autem proximè ſuccedens Carolus V. Principatu inferioris Germaniæ, Burgundiæ, regnorum Hiſpaniæ, Siciliæ, ac Neapolis latè ſucceſſor, Francofurti communibus Electorum ſuffragijs Imperator creatur: Aquiſgrani, more maiorum, ac deinde Bononiæ coronam accipit. *Carolus V. Roman. Imp.* Pòſt conuentu Coloniæ Agrippinæ facto, Ferdinandum fratrem, Romanorum regem electum, & regnis Pannoniæ atque Boemiæ auctum, in communitatem adminiſtrationis imperij, rebus terra mariq́ feliciter geſtis, adiunxit. *Ferdinandus rex Romanorum.* Sunt maximæ res in hac memoria ætateq́ noſtra, quæ aliquando maioribus, ijsq́ neceſſarijs præſidijs, ad hanc, quam modò ſequimur, progreſsionis rationem,

ueterum omnium memoria his breuiſsimè coniuncta, plenius, diſtinctius, & accuratius, quando eiuſmodi Vniuerſitatis rerum hiſtoriæ contrahendæ anguſtijs ſepti atque concluſi, facere non potuimus, commemorabuntur.

TERTII LIBRI HISTORIAE Vniuerſitatis rerum, qui eſt de Principatu, FINIS.

EXCVRSIO AC TRANSITVS EX HISTORIA PRVDENTIAE ATQVE PRINCIPATVS, IN TERTIAM ET VLTIMAM TOTIUS HISTORIAE VNIVERSITATIS RERVM PARTEM, QVAE DE SAPIENTIA INSCRIBITVR.

Gratia ueterum ſcriptis habenda.



GRESSI TANDEM SVMVS EX immenſa illa rerum, etiam hac perbreui ſcriptione comprehẽſa, uarietate, in qua præclarum illud ſit, & communibus animis priorum benignitati atque diligentiæ gratulandū, quorum multiplicibus ſcriptis omnem antiquitatis rerum memoriam patefactam uidemus: qua non modò expeditum ſit cognoſcere diuerſorum populorum primordia atque origines, uerùm etiam quod prætermittendum non eſt, incrementa, commutationes, & cõuerſiones latè inſpicere: è quibus ijſdem ſuæ quiſque Reipublicæ accommodata deligere poſsit, cum noſtra ad ueterum rationem moderanda eſſe intelligimus: optimè edocti, quæ quibuſque Rebuſpublicis ſint aut pernicioſa, aut ſalutaria. Certum enim eſt, & longo uitæ uſu comprobatum, non modò nos ea intueri debere, quæ in conſuetudine hominum quotidie fiunt: ſed etiam quæ ab ultimis principijs geſta, ſcriptorum monimentis continentur, quorum uarietate & copia nihil in omni genere poteſt deſiderari. Quam ad rem ſi uolumus, quod res eſt, dicere, eum uſum pręſtare deberet Hiſtorię cognitio & pertractatio, quem in rerum priuatarum controuerſijs adferre Iuriſprudentiam, uſitatum iam inde longo tempore, & cõfirmatum habemus: quemadmodum ad eam ipſam cõfugimus, uaria prudentum reſponſa, multiplicesq́ꝫ Principū conſtitutiones in ſcripta relatas, continentem;

Veteres rerum geſtarum ſcriptores legendos.

tinentem:ita in difficillimis & periculoſiſsimis huiuſmodi temporibus,ad cõſilia expreſsis hominũ exemplis firmata, quibus quique ſummi principes, & rerum magnitudine potentes populi uſi ſunt, opportunè recurramus: niſi fortè maiorẽ rerum priuatarum rationem, quàm publicarum,in quibus & priuatę comprehenduntur, cenſeamus habendam. Quocirca inſtitui poſſet non contemnenda Hiſtoricorum profeſsio,qui non modò rerum omnium domeſticarũ atque externarum præclaram cognitionem eſſent aſſequuti, uerùm etiam publicam memoriam eorum quæ quotidie fiunt, in commentarios fideliter referrent. Eſt enim uehementer deplorandum & in temporum ratione, & in conſilijs atque factis explicandis, tam diſcrepantes eſſe ſcriptorum ſententias, quas non poſsit quiſquam ſatis magna diligentia conciliare:ut ſæpius in his paucis commemorandis, inconſtantia quorundam autorum exagitatus, ſcripta de manibus abiecerim. Hæc eadem Hiſtoricorum occupatio ſi publicè introduceretur,uerius,fidelius,et facilius ex collectis cuiuſque Principis & Reipublicæ Commentarijs, Vniuerſitatis rerum geſtarum hiſtoria conſcribi poſſet. Multas hac occaſione rationes adferrem,quibus adductus,non potui hæc prętermittere:ſed una ero contentus,quæ ſtudioſis rerum ſuarum abundè perſuadebit, eiuſmodi quandã Reipublicæ curam eſſe ſuſcipiendam. Quòd plurimũ referat, qualem poſteris rerum noſtrarum memoriam relinquamus: plus etiam,quàm hæreditariam Principatus amplitudinem. Siquidem plerique rerum à maioribus geſtarum ſolo admonitu, ſalutaria cõſilia prudentiſsimè ſuis imitanda propoſuerunt. Verùm de his aliquando copioſius,& loco magis conuenienti. Itaque expoſita ſit breuiter,pro hoc inſtituto,pars è tribus ad cognitionem rerum comparandam ſecunda,Prudentiæ nomine,hiſtoriam Principatus coniunctam in ſe habentis: de qua ut dictum eſt dupliciter, eadem prorſus ratione de hac tertia, quæ eſt Sapientiæ, annexa eidem Literaturæ hiſtoria,ad complendam huius conſilij ſcribendæ hiſtoriæ Vniuerſitatis rerum primam collocationem accõmodata,pro noſtra in his mediocritate ſubijcietur. Quàm uerò aptè triplices hæ rerum partes ſeſe conſequantur, ex eo æſtimari facilè poteſt, quòd ab ijs quæ præceſſerunt, in deprehendendis doctrinis omnibus, ſint homines ad ea progreſsi, quæ deinceps dicentur: & uti animus ad maiora fertur, peruenerint. Quam quidem ad rem ſcio nonnulla eſſe in hac hiſtorię parte,magis Prudentiæ,quàm Sapientiæ conuenientia: ſimiliter in Sapientia,quæ ad Prudentiam referantur. Sed quoniam

Hiſtoricorum profeſsio.

Sapientiæ hiſtoria.

pleraque in scriptis eorum, qui nominatim singula tractarunt, consimilia habentur, & sunt usu quodammodo recepta, non uoluimus hoc tempore, hac doctrinę ratione, quam sequimur, nondum satis comprobata, subtilius diuellere: ut cōsideratè & circunspectè, quantum possemus, illa in ordinē aliqua ex parte usitatum disposita extarent. Quocirca in hac parte concedendum erit, si in occasionum ratione ab eadem uulgata consuetudine scribentium sit discessum. Multa in omni genere sunt à nobis laboriosè inquisita, & pluribus literis cōscripta, priusquam in hanc, quam nunc proponimus, sententiam res deduceretur: cum ea quæ iam probarentur, & placerent, succurrentibus lectione, usu aliquo rerum, & longa meditatione, alijs & alijs inuentis, atq; colligationum certis rationibus, abijciēda omnino mihi uiderentur: ut ita statuam, postquā hic inuentionis æstus refrixerit, quamplurima me commutaturum ex his, in quibus ipse hoc tempore mihi non satisfacio. Quàm diu enim uiuam, semper erit aliquid, quod emendari, aliter collocari, & reponi debere mihi in his studiosè uersanti uidebitur: quæ si uel mediocriter uno tempore præstari à me potuissent, non equidem tam fuissem inconsideratus, ac mei ipsius planè oblitus, ut hæc inchoata, publicè legenda traderem. Atq; ea est ratio eorū quę primò inquiruntur, & excogitantur, ut ea quæ protinus placent, certa uideantur: constare tamen non possint, nisi cogitationum diuturnitate, & necessaria doctissimorum hominum in quoque disciplinæ genere nominatim elaborantium opera atque consilio stabiliantur & compleantur. Quæ ipsa tandem effecerunt, ut hæc quamuis in speciem ieiuna, rudia, immatura, atque incomposita, non tamē dubitarim, eruditorum iudicijs, censurę, & emendationi liberè subijcere: nec quicquā eorū omnium, quæ à me toto hoc opere scripta sunt, probare, aut pertinaciter asserere, quod non cōsentiente literatorū sententia fuerit antè cōfirmatum: & ad id quidem, quo melius cognoscam, utrum expediat in eiusmodi studijs diligētem operam ponere, & multis partibus aliquādo complere. Itaque optandum illud esset, cum nemo unus præstare hæc possit, uiros in unaquaque disciplina, & in quoque uitæ huius negocio præclarè & laudabiliter uersatos, cuiusmodi nostra hæc ætas plerosq; dare consueuit, communi opera & consilio, ex disiectis, confusis, atque perturbatis doctrinæ cuiusque documentis, & uitæ institutis, comprobatissima: quo illa cognoscere uolentibus, promptius ac certius constare possint: quæq; prætermitti non debere uidentur, seligere, atque eadem simili aut conuenientiore ordine pertra-

Scribēde huius historiæ difficultas.

Inuentio rerū.

Eruditorum consensio.

pertractare. Fieri tale quiddam poſſet, ſi ex omni multitudine, quinq; uiri publicæ utilitatis ſtudioſiſsimi, ut ſunt totidē rerum conſtituta à nobis genera, unam ex his partem locupletandam, ordinandam, atque expoliendam, omni conatu & ſtudio confidenter deligerent. Sed cum difficulter hoc nomine literati homines conueniant, ac deliberent, alijs aliò certis & magnis de cauſsis ſua ſtudia transferētibus, quæ præſtare in eo genere per me potui, occaſione, de qua copioſè à me ſuprà eſſe dictum memini, oblata, & ueterum, maiorum, ac noſtræ memoriæ ſcriptorum lectione adiuuante, ad totius collocationem talia quædam fuere. Quæ quoniam explicare cœpi, perducam ad extremum: ut ſi minus conſideratè, quæ fortè expectabātur, propoſita ſint, perſequendæ uoluntatis conatus, non omnino reprehendendus, cognoſcatur. Experiri nanque etiam cum aliquo iuuenilis confidentiæ periculo uolui: tametſi non neſcirem, quantam lectionem, ac pertractationē multiplicem illa requirerent: & multos hodie literas, magno ſucceſſu, in omni uarietate tractare, qui hæc ipſa eruditius, diſtinctius, atque luculentius exhibere poſſent. Exiſtimans ſtudiorum doctrinæ eiuſmodi quandam eſſe conceſſam libertatem, qua ſine reprehenſione experiri pro uiribus unicuique liceret, quæ ex uſu & commodo Rei literariæ uiderentur, ſuamq; de ijſdem ſententiam dijudicandam fidenter proponere.

Sapientia quid efficiat.

Sapientia igitur, cui tertiū è cognitionis gradibus locum ſuprà aſsignauimus, mentem à conſuetudine oculorum abducēs, altioris eſt cuiuſdam, & à uulgari ſenſu atq; intelligentia remotę cognitionis ac conſiderationis, in uniuerſum genera rerum colligētis, atq; liberum hominem à rerum communium tractatione facientis, ſimul & in quandam aliam quietiorem uitam transferentis: ut animus à corporeis uinculis quaſi ſolutus, quæ uera, uniuſmodi, & diuina ſunt, ea ſtudioſè inquirat: cui perinde ac miniſtra Prudentia, & cæteri intelligēdi habitus obſequuntur.

In quibus uerſetur.

Eſtq; eadem Sapientia, communis quædam intelligentiæ ſententia, omnium integris mentibus, qui in ſtudijs literarum uixerunt, uiuunt, & uicturi ſunt, quiq; locis diſiunguntur, diuinitus impreſſa, de ijs rebus, quarum perpetuus eſt ſtatus, quę etiam temporum decurſu immutabilia ſunt, atque permanent. Quocirca etſi magnam uim habeat ad res cum hominibus gerendas, temporū lapſu firmata conſuetudo, Prudentiam quandam retinens: maiorē tamen ſemper obtinuit uera & probabilis ratio, quam unam propoſitā habet, in qua uerſetur hæc Sapientiæ hiſtoria.

Progreſsio ad Sapientiam.

Eandem Sapientiam tum cōſequimur, cum diuina, quæ in nobis eſt, mentis agitatione, naturali & recto iu-

dicio intelligere, quod sit rerum omnium precium, incipimus, quæꝗ uera æstimatio, quanta sit generis hominum à cæteris animantibus præstantia, quàm magnas ad res diuinitus sati & geniti, quæꝗ sunt ad uitam honestandam & cõfirmandam accommodata. Nam inde cuiusque rei caussæ & rationes certius proficiscuntur, quas rebus omnibus interius quodammodo Natura inseruit, è quibus certam diuinitatis similitudinem inesse animis nostris perspicimus: ut conuenienti studio adhibito, inchoatæ illæ intelligentiæ confirmentur, atque perficiantur. Cuius Sapientiæ talis quidam fuit in deprehendendo & indagando progressus: cum ad eas ipsas notiones, quarum seminaria habemus, multa experientia, & diuturno usu aliquid ita esse, integris sensibus corporis & animi cognoscimus, ac iudicamus: atque illud idem admiratione simul & dubitatione exorta, singulari quadam rerum inter se coniunctione, similitudine, collatione, inuenta ratione & causa concludimus, ac stabilimus: ut bene informati, cumulateꝗ instructi, planius & certius de eodem sentire, etiam si opus sit pronunciare, ad rerum ueritatem tradendam, accommodatè possimus.

Rerum inuentio.

Mutua hominum diligentia, & mutuæ concertationes, de ijs quę quisque in rerum Natura per se deprehẽdisset, singulari æmulatione sunt excitatæ: ut quique ex suis inuentis lætiores, perinde ac uictoriam cõsequuti, plura sibi proponerent inquirenda. Comprobatio deinde eorum, qui præter alios essent aliquid assequuti, in continenti studio tenuit, & priori inuentioni plura esse addenda docuit: ut multa sint in omni genere ab ijs reperta, qui se totos, relictis alijs uitæ occupationibus, huic dediderunt. Varia utique peregrinatio rerum cognoscendarum studiosos locupletauit, quando locorum mutatione, & diuersis occurrentibus, mens cuiusꝗ multum excitatur, acuitur, atꝗ confirmatur.

Artium constitutio.

Ac cum hominũ Natura sit eiusmodi, præcipuo quodam summi Dei munere, ut suis de caussis alia alijs liberaliter elargiatur, & sit quisꝗ cuidã certæ rei naturali quadam uoluntatis propensione magis idoneus, dispersis ita ingenij dotibus, ad unum aliquem referẽdis, quo illa cõpleantur, quæ in quibusꝗ desunt: præstanti ratione effectũ est, ut homines peritissimi, & diuturno rerum usu, cõsentientibus multis ætatibus, cognitionis uarietate cumulatissimi, certa, in quibus animi omniũ conuenirent, documenta pepererint: atque inuentis magno ingenio literarum signis, ad perpetuam eorum memoriam tenendam, scriptis eadem consignarint. Posteri quique priorum studijs cõmoti, multa exercitatione adhibita, cum eadem cognoscerent,

ſcerent, plurima addiderunt, quæ prętermiſſa uidebātur. Non minoris fuit commendationis, ſparſa, cōfuſa, & perturbata diſtinguere, obſcura & implicata patefacere, incerta & dubia explanare: ut communi hoc ætatum omnium conſenſu, optimæ artes, & diſciplinæ incrementa, quæ circunſpicimus, acceperint. Itaque inuentis & coniunctis in unum eiuſmodi multorum præſidijs, neceſſarius diuturnitatis in experiundo labor, maxima ex parte eſt imminutus: & è multis dum quæſita, tractata, ac percepta multiplicibus ſtudijs, docti homines inter ſe ſtudioſè conferrent, & firmarent, una quædam certior atque perfectior Natura, uis, & facultas eſt profecta: quæ Artis, ſcien- *Vſus.* tiæ, doctrinæ, ac diſciplinæ appellatione omnis cōtinetur: quibus liberaliter inſtitutus homo, hanc totam rerum uarietatem in multorum animis, qui nos præceſſerunt, qui uiuunt, quiq; nos conſequentur, ſparſam ſuo ſtudio aſſequi, non parua prorſus ex parte, neque contemnenda poſsit. Verùm inſtitutæ breuitatis immemores, rerum uarietate ſeſe offerente, abripimur longius quàm expedit: quando non eſt huius conſilij, interiores & recōditos eruditionis locos nimiū curioſè ſcrutari & tractare, noſtra hac hiſtorica in rebus cognoſcēdis atq; diſponendis mediocritate contenti. *Ordo.* Igitur ad Sapientiæ hiſtoriam, ut de ſuperioribus iam eſt factum, inde progrediamur: quæ eadem plurimis fortaſſe magis placuiſſet, ſi tritam & uſitatam tradentium uiam atque rationem ſequutus, inde feciſſem initium, unde diſcētes neceſſariò auſpicari ſolent. Sed quoniam cœpta eſt hoc tempore Vniuerſitatis rerum hiſtorica tractatio, non potui conuenientius quicquam facere, quàm omnes occaſiones excogitandæ cuiuſque doctrinæ perſequi, ipſa rerum progreſſione me ad hanc, quam ſubijciam, rationem, naturali iudicio, à quo mihi nullo modo recedendum putaui, ſponte deducente. Ac collocationis hiſtoriæ de Sapientia hoc ſit principium.

EXCVRSIONIS AD HISTOriam de Sapientia, finis.

CHRISTO-

CHRISTOPHORI Mylæi, de scribenda Vniuersitatis rerum historia, è quinque libris Quartus, qui est de Sapientia.

PROOEMIVM.



NTELLIGENS ANIMAL HOmo, diuinaq; mentis agitatione pręditum, non ea modò, quę in communi posita usu, expeditas & necessarias habebant utilitates, laboriosè inquisiuit: sed etiam præstanti illa ingenij celeritate adiuuante, ultrà progressus, quo eadem cognitis rerum caussis, minore negocio & tempore, ac fidelius, è diuturni usus rerum Prudentia petita, tractari possent, auidè, quantum est hominum generi concessum, peruestigauit. Ea modicis & paruis orta è principijs, honore, præmio, gratia, honesta oblectatione, sed potissimum ueritatis eruendæ studio inuitatis hominibus, factum est, ut diuersi populi multas per ætates, quadã suscitata æmulatione, communibus animis in ijs plenè cognoscẽdis multum elaborarint. Itaque eiusmodi progressionibus aucta sunt doctrinæ studia, nihil ut habuerit uita hominũ, rerum copia locupletius, multis introductis adiumentis & ornamentis splendidius, diuinarum humanarumq; rerum consideratione & cõtemplatione augustius. Nam orationem ad disserendum & ad dicendum firmarunt, atq; expolierunt: hominum mores uirtuti consequendæ & obtinendæ, ad omnem uitæ integritatem seruandam, optimè informarunt: atque abditas, & in Natura inuolutas caussas indagarunt: quæ summa fuit per omnes ætates excellentum ingenij cõtentionum, Philosophiæ omnia comple-

Studia hominum.

Philosophiæ partes.

complectentis nomine. Siquidē primis temporibus illustrium uirorum doctæ obseruationes, ex dispersis atque dissipatis, unum conductæ in locum, à studiosis cognoscebantur. Pòst excrescente earum magnitudine, cum omnibus perdiscendis nemo aliquis sufficeret, factum est diuortium, & quique ea artis uia ac ratione conclusa, in quibus nominatim elaborarent, delegerunt: sed ita, ut commune quoddam earum omnium esse uinculum, quo inuicem colligantur, mutuisq́ præsidijs sese iuuant disciplinæ, à literarum studiosis intelligeretur. Igitur cum hoc tempore nostrum eiusmodi sit consilium, ad aliquam ordinis rationem inquirendam & patefaciendā, multarum ætatum susceptos ingenij labores breuissimè enumerare, ab ijs potissimum initium ducere uisum est, quæ prima omniū deprehensa fuisse, & tractata, studiose nobis considerantibus, uerisimile esset: atq; inde certa progressione, conuenientiq́ historicæ tractationi serie, ad extremum, quò omnia referuntur, deducere.

Commune disciplinarum uinculum.

NARRATIO.



AC PRIMVM ea doctrina auspicatò occurrit, quam omnium antiquissimā, & omnibus magnis populis cōmunem semper fuisse constat: quæ ex oculorum ratione, qui sensus est omniū & acerrimus & uelocissimus, pulchritudinem atque magnitudinem uniuersi suspicit, ac corporum cœlestiū motus rationes inquirit. Nam illud satis inter omnes conuenit, principem inuestigandæ Philosophiæ caussam, unam Admiratione fuisse, qua non est maior ulla, quàm rerum superarum, & quæ maxima hominum ingenia diutius tenuerit, ac exercuerit: quæq́ cæteris omnibus inquirendis, primam dedisse occasionem uideatur. Itaq; cum homines sapientes non fortuitò & casu tam illustre, ingens, & magnum opus, omniq́ ex parte absolutum ac perfectum statuerent, certum esse tantæ fabricæ, & eorum quæ cœlo atque terra continentur, autorem & opificem, immensamq́ illius erga genus hominum beneuolentiā ac beneficium, multis in rebus extare pronunciarunt. In eo communibus animis acquiescentes, ut ingenitæ Naturæ in nobis bonitatem esse persequēdam iudicarent, quæ admirabiles fructus sui studiosis & cōtemplatoribus soleat adferre. Hac igitur excellenti persuasione, dum singula attentius circunspicerent (ut est perennis animorum agitatio) à modicis & rudibus incrementis, ad diuersa inqui-

Astronomia ex disciplinis prima.

renda conuersi: atq; in ijs ipsis, quæ deprehendissent, oblectantes sese, rebus maximis, & ijsdem utilissimis cognoscendis, hoc

Oculorũ usus. principium dedere. Oculis itaque ad hunc usum generi hominum, sicuti existimãt, datis, & mundi totius fabricã intuẽtibus, Solis primùm splendor & claritas, iacentes quasi animos diuinitus suscitauit: cuius posteaquã assiduum motum circum terras aspexissent, ortum atque obitum notarunt, quibus noctes & dies, alterna luce ac obscuritate identidem recurrente, manifestè separãtur. Crebra iam inspectione, cum idem Sol uehitur subtus terras, sese'q; corporum cœlestium admirabiliter distincta facies quasi aperit, in tanta astrorum multitudine, alia per-

Stellæ. inde ac infixa consistere: septem uerò locis, figura, uario motu discreta, peculiares cursus habere cognouerunt. Nam duo Planetæ (sic enim uocantur) Lunæ ac Soli interpositi, Mercurius & Venus: supra Solem spacijs immensis tres, Mars, Iupiter, & Saturnus, uoluuntur. Ab ijs est Cœli motus, cæteras micantes stellas diuersis rerum & animantum simulacris uariè collocatas habentis. Inde etiam ingenij celeritate, & obseruationũ diuturnitate, nonum atq; decimum motum quendam statuerunt:

Cœli cõuersio. ut uelocissima totius circum polos, traiecto per terras Axe, horarum XXIIII, cætera omnia secum rapiens, conuersio expleatur: de quibus principio historiæ de Natura, loco idoneo plura commemorantur. Iam uerò ab ijs rebus, quæ oculorum consuetudine usurpantur, remouentes sese magno inuentionum atque obseruationũ successu, ea sunt præter superiora assequuti, quæ mente & cogitatione potissimum æstimari ac comprehendi solent: ita nihil ociosum, nihil'q; non suis rationibus positum, ac fieri in cœlo manifestè demõstrarunt: ut ipsos, qui hæc profitentur, è terris in cœlum subuectos, pedibus obijsse immensa illa interualla, oculis omnia lustrasse, manibus quodammodo tractasse, & mortalibus patefecisse, credi possit. Maxima quippe fuit rationis uis, pusillum animal hominem, è tam disiunctis locis ausum uasta illa spacia cõfidenter dimetiri. Recondita igitur in arte cum uersarentur, ad diuersas rerum cœ-

Circulorum numerus. lestium rationes certius obseruandas, aliquot orbes, Circulos appellant, quibus cuncta illa superiora uariè & decenter distinguuntur, maxima ingenij mentis'q; commendatione adumbrarunt. Horum circulorum maiores septem mundum æquabiliter partiri, cogitatione assequũtur. Est Aequinoctialis, noctes uere & autumno diei æquatas faciẽs. Præter Lacteum orbem, qui solus oculis nostris subijcitur, etiam in obliquum uergens, multiplicis usus Signifer, à XII figuris nomen accepisse perhibetur,

betur, qui subiectam septem errantium uiam demonstrat. Eundem atque annum quatuor in partes Coluri duo, æquinoctia, solstitium & brumam signantes, diuidunt. Similiter Meridianus ac Finitor, nostrum finiens aspectum, mundum totidem in quatuor partes distribuunt. Sed inæqualiter partiuntur circuli minores quatuor. & Arcticus quidem ad aquilonem nobis est cōspicuus: uerùm huic oppositus Antarcticus in austrum, nobis occulitur. Inde ab extrema Solis conuersione, Tropici duo, quorum unus est Cancri, æstiuo solstitio dies lōgissimos reddens: alter Capricorni, diebus brumę tempore breuissimis factis. Itaque accedente ijsdem quatuor minoribus circulis Aequinoctiali ex maioribus, quādo pariter inter se distant, etiam cinguli quinque, quo ita ad certissimam rerum cœlestium rationem, nihil sit usquam in terris non distinctum, ingeniosissimè accommodantur.

Quinq; zonæ.

His instructi omnibus præstantes artifices, cùm alia multa, tum etiam ex constantissimo Solis ac Lunę motu, eorum defectiones, longè antequam fiant, in multos annos, non sine posteritatis admiratione, & certissima doctrinæ totius comprobatione, quæ necessitas Naturæ quædam perfectura sit, prædicere possunt: & id tam certò, ut quæ defectiones, quantæ, & quando futurę sint, subtiliore hac doctrina assequantur, ac profiteantur.

Defectiones.

Quocirca ad horum omnium expeditam intelligentiam, cognitionemq́; studio & diligentia comprehendendam, ut nihil fuit negatū interiora illa peruestigantibus hominibus, singulari solertia, quod efficitur in cœlo singulis diebus ac noctibus, artificiosè compositis orbibus, re ipsa sunt imitati: & quo illa sua inuenta alijs tradere, quasiq́; digito commonstrare possent, admirabili ratione expresserūt, nostris sensibus omnem illam mundi totius uastitatem subijcere conati. Præclarum hoc opus, Sphæram, ad similitudinem immensæ illius cœlestis, nominamus.

Sphæra.

Præterea quæ sunt ad ratos & constantes motus, ad certa interualla, ad ortus & obitus siderum, ad defectiones, stationes, atque progressiones: quodq́; est stupendum, & uix persuaderi potest, ad certas corporum cœlestium magnitudines deprehendēdas, quæsita & aptata. Quid enim tam est mirandū, quàm humani ingenij aciem, habita uastitatis aquarum & terrarū ratione, tantam rerum superiorum amplitudinē assequi potuisse? Sed cum in terrena diuersos effectus, mutua quadam, atque ea naturali astrorum consensione & concordia, influere cognoscerent, frequenti reditu obseruatæ ab ijs sunt rerum conuersiones, incrementa, atque inclinationes, quæ præsentiri & prædici ab ijs possunt, quorum hæc

Astrologia.

est professio: cuiusmodi uidemus serenitatis & tempestatum signa, sterilitatis atque fertilitatis tempora, quæq; ad Agriculturam exercendam pertinent, ut sunt arationis, insitionis, percipiendi, condendi, excindendi ligna aut saxa: etiam ad nauigationum peregrinationumq; opportunitates, & idonea Medicorum ad curationes tempora deligenda. Ex eadem cœlestiũ consensione, alia utique sunt àb aliquantum curiosis (sicuti traditur) proposita: qui cum multos euentus similitudine ducti inter se conferrent, ex siderum, quæ natalitia uocant, situ inquisierunt, quæ cuiq; euentura, quo quisque fato natus esset: ut inde mores, ingenium, corpus, animum, uitæ actiones, & ad quam maximè rem quisq; aptus futurus sit, cognoscerent. Pòst accommodata actionum diuersarum tempora, res calamitatum prænuncias, bella, morbos, eluuiones, æstus ingentes, terræ motus, graues etiam Rerumpublicarum cõmutationes, quæ nulla cognitione hominibus cõstare posse uidentur, inuestigare solent.

Sidera natalitia.

Astronomiæ professio.

Omnis autem de astris scientia, utrunque Astrologiæ & Astronomiæ nomen habuit: in qua magni uiri, etiã Principes studiosè sunt uersati. Antiquissimis nanque temporibus maximi atq; diuini honores eidem communibus animis deferebãtur, & earum rerum contemplatoribus atque amplificatoribus summa præmia publicè solita erãt proponi, ut Astronomia uerè etiam Sapientiæ appellationem obtinuerit: siquidem præter alias uitæ hominum multo maximas utilitates, ad ineundam rationem temporum, & certam terrarum designationem, contemptum quendam rerum terrenarum sui studiosis inducit: & quod maximum est, cœlestis fabricæ intuitu, æternam supremi Dei maiestatem cõsentientibus animis celebrare oportere demõstrat. Eadem Astronomia non nisi diuturna obseruatione, notandis rebus per diuersa tempora recurrẽtibus, perfici potuit: ut inde colligatur, quanto studio primi illi generis hominum parentes, longam agentes uitam (ijs per manus ad consequentes traditis, quæ quique inuenissent) artem hanc laudabilem constituerint.

Geographia.

A' cœlestibus ad terrena lustranda cõuersi homines, cum in tanta locorum orbis totius terrarũ immensitate, nemo unus, etiam longis itineribus emensis, cuncta uidere & cognoscere posset: singulari diligentia factum illud uidebitur, ut eorum descriptionem proposuerint, quæ quique multis diuersarum regionum peregrinationibus obseruassent: cuius generis sunt, fluminum à suis fontibus uarij decursus, uastæ syluæ, planicies, immensæ solitudines, montium altitudines, ciuitatum maximè situs, memorabilia quibusque locis gesta, & peculiares etiam regionum Naturæ.

turæ. Itaq; multis in medium à ſe comperta proferentibus, uniuerſi orbis terrarum ex Oceano emergẽtis, Continens dicitur, & finitimarum inſularum expreſſam artificioſè figuram reliquerunt. Geographiam, quæ hæc tradit, appellamus, tres in partes orbem terrarum diuidentem, in Aſiam, Libyam, & Europam. America poſtremis temporibus, maiorum in Fauonium luſtratione, quarta pars acceſsit: de quibus in Natura, curſum rerum proximè ſequuti, cõuenientia etiam huic loco diximus. Sed quo hæc omnia certius conſtarent, ad longitudinem locorum & latitudinem deprehendendam, quæ terræ portiones cuique cœli parti ſubiectæ eſſent, ſtudioſe quæſierunt, atque magno ingenio certis ſpacijs inter auſtrum & ſeptentriones conſtitutis, accommodarunt. Eſt hæc uehementer commendanda diſciplina, hominem domi deſidentem præclarè inſtituens, ut ex uarijs eiuſmodi artificioſè depictis tabulis, ſecurè, & nullo labore cognoſcere poſsit, qui in orbe terrarũ, patriæ & domicilij cuiuſq; ſitus, qui uicini populi in ortum, in occaſum, in meridiem, & in ſeptentriones ſint poſiti, ac totius Vniuerſitatis terræ breuem & anguſtam comprehenſionẽ in conſpectu habere: uſqueadeò poſteritatis ſummam curam ſuſcipiens Antiquitas, in omni rerum doctrina perueſtigãda & prodenda elaborauit. Iam uerò rebus fideliter ac certò tractandis, multa & neceſſaria adiumenta homines adinuenerunt (ita diuturnus rerum uſus artes, quas habemus omnes, peperit) quæ alijs etiam inueſtigandis ſtudioſos excitarunt. Nam ut quique ingenij celeritate cæteris præſtarent, in earum rerum, quæ in manibus erant, longitudine, latitudine, & altitudine exploranda, atque neceſſario uſu facilius deprehendendo, certas dimenſionum rationes ijſdem accommodarunt: quarum præſidijs cuiuſdam æqualitatis ueritas certius conſtaret, & apertius demonſtraretur. His machinæ parantur, ad moles loco mouendas: & inſtrumenta fiunt, ad eaſdẽ dimenſiones, longi, lati, & alti æſtimãdas: quibus Agricultura, Fabrilis, Res militaris, Nautica, Pictura, Architectura, carere nõ poſſunt. Geometria inde ars, à dimetiẽda terra primum nomen habens, eſt inſtituta: quæ diuerſis temporibus multis aucta documentis, ſingulari in his omnibus ſeruato ordine, à parte minima Puncto incipiens: quod licet nullius magnitudinis diuidi non poſsit, in longum tamen Lineas ſine latitudine duci & extendi, mente atque cogitatione ſubtiliter complectitur. Linearum extrema ſunt duo puncta: quibus lineis in planum longitudini, accedente ſola latitudine, decenter inflexis, coniunctis, & uariè concluſis, formæ, quas Superficies dicunt, aptè deſcribuntur: ex

Geographiæ cognitio.

Geometria.

Artis conſtitutio.

his eſt Circulus,triangula & quadrata figura.Sed in ſolidũ cum eſt altitudo,craſsitudo,atque magnitudo,Corpus oritur:cuiuſmodi eſt Globus, pyramis, cubus, conus, & cylindrus, aliaq́ꝫ. Horum cõuenienti ratione,proportione,& cõparatione,ut excultior ingenijs,et acutior facta eſt ætas,illuſtres,et certis è principijs ortas ſententias neceſſariò concluſerunt, quibus illi non

Geometriæ uſus.

perſuadent modò,ſed cogunt. Ita ſtudij & diligentiæ ſucceſſu, abdita multa inquiſierunt, quæ & ſummã in cognoſcendo oblectationem habent,& ad tractandas cęteras cuiuſq; generis diſciplinas,Aſtronomiam potiſsimum,quæ cõſtare ſine huius præſidijs non poſſet,acumine ingenij comparato, præcipuam utilitatem : ſiquidem ingenuos adoleſcentes non prius ad grauiora Philoſophiæ ſtudia ueteres admiſerunt, niſi Geometricis præ-

Optice.

ceptis liberaliter imbutos. Subtilis utique illa in uidendo umbrarum dimetiendarũ, & ſolers ratio, cum res aut maiores, aut minores uariè apparent, dicitur Optice, Architecturam adiuuans, Geometricis documentis conſtituitur atque cõfirmatur. Proximus uiſioni ſenſus, eſt auditus,ſubtilitatis & acuminis nomine commendatus: ſiquidem homines eodem potiſsimũ magnis de rebus docentur.Necq; enim ab alijs,quę uſui nobis ſunt, commodè accipere, aut cum alijs noſtra communicare, niſi hoc ſenſus beneficio,intermedio utrinque ſermone,ſatis poſſumus.

Muſica.

Itaque præter eundem ſermonem, de quo eſt in Prudentia ſuo loco dictum,ſenſus aurium ratione inſita eſt omnibus ſonorum ac numerorum,noſtræ Naturæ in primis conueniens, quędam apprehenſio : qua una in tam multis hominum laboribus, uitæ huius ſollicitudinibus atque ærumnis,quibus diſtrahimur, opportunam relaxandi animi oblectationem contineri uidemus. Eadem minores aues multiplici uocum uarietate,& pleraq; genera animantũ, quæ feræ & immanes ſunt, cantibus plurimum

Numeri Naturæ inſiti.

delectari ac demulceri ſolere cognoſcimus. Prima etiam hominis ætas (adeò naturales ſunt numeri) in tanta uirium imbecillitate quandam ſentit dulcedinem, qua ſe uehementer oblectari teſtatur, quæ conſequentibus annis fit multo iucundior. Hanc uocum ſuauitatem,ingenioſis inſtrumẽtis, ſuam etiam oblectationem adferentibus,imitantur: quæ aut conſtant oris inflatione,aut pulſu metallorũ uario, aut tactu, in eliciendis neruorum ſonis,quæq; ſunt eiuſmodi plurima. Vnaquęque gens tam non eſt barbara,quæ aptos ſuis auribus modos non inquirat, & par-

Modi.

tem uitæ lętioris in hac cantuum ſuauitate conſtituat: quorum, ut eſt populorum diuerſitas,ita diſsimilitudo quædam à priſcis ſtudioſè hæc cõſiderantibus eſt notata: ut ſeuerum quiddam &

graue

graue habuerit is modus, qui Dorius dicitur: hoc fuerit uehementior Phrygius, inde acutior Lydius, sed uarius & suauis Ionicus. Quocirca ab acutissimis ingenijs constituendæ Musices arti obseruata diuersi generis documēta, rectè & suauiter canendi, ex temperata longarum, breuium, atque mediocrium uarietate & uicissitudine: ut ex his orta cōcentuum grata auribus, & æquabilis modulatio conseruetur. Progressi longius homines eruditi, rebus in omnibus naturalem quandam consensionem, concordiam, & harmoniam quæsierunt: ut etiam ipsius animi, ex partium proportione, concentus deprehenderint: & quod est admiratione dignissimum, orbium cœlestium impulsu, atq; dissimili motu, dulces sonos effici, ueteres prodiderint. Maximus fuit Musices usus, præter scripta Poetarum astrictis, Oratorum etiam liberioribus numeris decenter conclusa, discutiendis grauioribus curis atque molestijs, conuenienti ingeniorum recreationi, minuendæ laborum huius uitæ grauitati, morbis leniendis, etiam depellendis: præterea ad multiplices, atque eas perturbatas animorum commotiones temperandas & moderandas, ad exhilaranda conuiuia, ad suscitandos militum in bellis animos: ut Musica sit aduersis in rebus solatio, & in secundis ornamento. Itaque cum illa animos uehementius commoueat, principiò ad sacras religionis, & pias summi Dei preces, laudes, atque gratulationes fuit accommodata. Tanto in honore ueteribus, ut ijdem Vates, Sapientes, & Musici nominarentur. Sed uitiosum illud (uti optima quæque ætatum spacijs corrumpuntur) ad res leuiores recitādas, ad luxum, & ad delicias Musicen conuertisse, ut hoc facto multum præstantis huius facultatis dignitas fracta sit, & debilitata. Præter hanc sonorum & modorum uarietatem, quam suis occupationibus homines cōuenienter interiecere, in tanta confusione rerum, homines industrij numerorum distinguendorum necessariam doctrinam, seminaria in animis nostris iam habentem, quæsierunt: qua utique certior multarum rerum tractandarum iniretur ratio, ad earum ordinem, discrimina, notationem, & conuenientem maximè translationem. Neque enim nisi certa numerorum distinctione, ad ueritatem negociationū, ex quibus primùm artem dimanasse traditur, retinendam, satis conuenire inter se homines possent, atque consentire. Itaque rudiores cùm alia multa, tum etiam calculis & numis ordine dispositis, prǽsidia & adiumenta in subducendis & notandis numeris inuenerūt. Maioris fuit industriæ & exercitationis, notarum subtili ratione, tum addere & colligere, ad summam complendam, tum auferre et subtrahere, tum partiri;

Rerum naturalium cōcentus.

Quantus Musices usus.

Arithmetica.

Vulgaris Arithmetices usus.

partiri: similiter numeris ingeniosè coniunctis, eosdem multiplicatos reddere, ut res sunt propositæ, & maior eorum exigit uarietas. Tantus horum usus, ut nulla uitæ pars hac distincta numerorum doctrina posit carere: siquidē ea cognitio nos à multis erroribus liberat, qui sunt plurimi in his rebus, quæ sensibus subijciuntur, expeditas multiplici rerum numerationi, & paratas rationes habens, siue temporū ineunda ratio, siue merces tractādæ, siue fructuum, & priuatę rei familiaris, atq; ædificationis ratio subducēda: siue publicæ rationes, in quibus propter magnitudinem & uarietatem maximi est usus, sint administrandę: ut qui pręstare certò & celeriter id posit, bonus Ra-

Interior Arithmetices cognitio.

tiocinator appelletur. Sed uim huius disciplinæ diligētius contemplantes, magno ingenij acumine & celeritate congruenter numeros commiscent: ab uno quasi multiplicato semine uariè solent progredi, & eosdem numeros aut per se considerant, Paris atque imparis diligenti habita ratione: aut uariè inter se conferunt, & comparant: aut subtiliore quadam ratione, figuris Geometricis consimili, acuta multa & ingeniosa peruestigant. Quibus de caussis adducti ueteres ac summi Philosophi, secreta multa & diuina numerorum inuolucris concluserunt, atque prodiderunt: etiam in singulis numeris abditas & re-

Arithmetices utilitas.

conditas uires constituerunt, quæ nisi his elementis cognitis, obscura sunt maxima ex parte, & implicata: ut ab hac doctrina, superioribus uerius ac certius cognoscendis, primus sit ingressus, & aditus ad eas pateat. Hęc omnis disciplina, quam inde à numero Arithmeticam nominant, adiuncta Geometria, perinde ac comes quędam, & socia, diligenti exercitatione ingenium uehementer acuit, & memoriam plurimū adiuuat: ut ita comprehendendis omnibus disciplinis, optimè quisque pręparetur, & multum instructus accedat. Quoniam uerò certis è principijs, intelligentia & cogitatione adhibita, quasiq; à rebus abstracta, potissimū cōstant, obscuris tēporibus neglectę potius,

Mathematicæ cur dictæ.

quàm corruptæ ad nos uenerunt. Disciplinæ uerò quatuor, accedentibus his Musica & Astronomia, ideo Mathematicę à Gręcis sunt uocatę, quòd ad eas percipiēdas, quando res à sensu & consuetudine oculorū seiunctas contemplantur, doctore & interprete, atq; ingenij quadam celeritate singulari, & prestantia, maximè opus habeant. In quibus deprehendendis sudatum est multis seculis: ut ea fuerint solerti ingenio deprehensa, quę nulla humana ratione intelligi posse credebantur. Quāobrem illas rebus naturalibus esse interiectas, & ijs quę sola mente concipiuntur, pronunciarunt. Quibus ijsdem Mathe-

maticis

maticis documentis, mutuo quodam beneuolentię uinculo inter se colligatis, Philosophi ad sua placita atque instituta optimè tradenda, ac neruosius quodammodo stabilienda, rationes suas atque argumentationes necessariò concludere uolentes, plurimum usi sunt, ut nihil uerius sine his probari possit. Habent enim principia, quę facta iam animorum cōsensione, suis, & ijsdem certissimis demōstrationibus omnem dubitationem remouent. Principes uiri summā in his ipsis sitam ingenij commendationem, exquisitam magnas ad res doctrinam, & singularem oblectationem cum intelligerent, horum auspicijs atq; impensis diligentius ac subtilius sunt à doctis hominibus quęsita plurima: & nōnulli ex ijsdem Principibus has liberales atq; ingenuas disciplinas studiosè amplexi sunt, et cognouere. Quę tanti sunt momenti, ut cum certum & constantē in rebus percipiendis ordinem ac ueritatem pręscribere uideantur, in omni uita moderationem animi & æquitatem seruandam esse admoneant. Itaq; homines ab ijs quę uitę necessitas & ornamentum inquirere impulerat, ad alia, mentis acumen & uim sequuti, progrediuntur, rebus ad quandam perfectionē inde transferendis. Nam cum imbecillitatis nostrę memorię essent conscij, ut earum rerum, quas quique deprehendissent, tantam magnitudinem quotidie excrescentem, mente non possent satis comprehendere: cumq; uiderent sonos uerborum, quibus res exprimuntur, celeriter euolare, existimantes graue esse, cognitionem multo atq; diuturno usu partam, consequentibus utilem futuram, perire, ad obliuionis subsidia inquirenda utiliter sese conuerterūt: ut omnis à primordijs rerum progressio, ex consequenti historia plenius constabit. Nam cōsiderantes in multiplicibus hominum rebus (cum mutua sint auxilia) alios locis disiunctos à nobis esse: nec expedire, neque fieri posse, ut uno tempore ad diuersos proficiscamur: notas excogitarunt, quarum maiore testimonio fidelius nostras uoluntates patefaceremus: inde locis disiunctos, quasi coniungentem Epistolam, primùm inuentam esse crediderūt. Alij existimant, in priuatis negocijs, quemadmodum rudes homines facere uidemus, suis quibusdam notis, quæ meminisse uellent, solitos fideliter consignare: postea, quo possent ab alijs illa eadem certò cognosci, in figuris eiusmodi faciendis mutuò conuenisse, atque consensisse. Hinc sequuta memorabilis ad uarios rerū usus industria, ut ad uocum diuersos sonos, & eos distinctos, non confusos, sicuti animantū, translato quasi ad oculos aurium sensu, accommodatæ literarum notæ inuenirentur: quibus decenter con-

Earum tractatio & usus. *Literarum inuentum.* *Epistola.* *Literarū usus.*

iunctis, ut est oratio uiuum quoddam cogitatarũ rerum simulacrum: similiter & eadem literarum signa, rerum uoce expressarum notabilem quandam picturam & similitudinẽ referunt: haud aliter, quàm si cogitantem, loquentem, aut differentẽ manifestè audiremus. Præterea cum loquentis cursum non perin demorari, & ad audiendum præsentes semper esse non possimus, hoc inuento præsidio, cuius rei cognoscendæ, etiam absentes locis & temporibus, quandiu expedit, inhęrere possunt. Hinc scripta mutos quosdam esse magistros dixerũt: quòd ab ijsdem, cum usus postulat, quæ uelit quisque, promptum sit petere, fideliter condita ex his promere, & multiplicem rerum cognitionem abundãter comparare. Quam ad rem mirum ac diuinum omnibus uideri debet, hæc consideranti, non amplius quàm XXIII literis, quæ nominibus, figuris, atque sonis inter se distinguuntur, multiplices omnium cogitationes, sentẽtias, linguarum & sermonis uarietates, quæ infinitæ sunt, ab ultima rerum memoria in omnem posteritatem fidissimè perpetuari solere. Nam multis uoluminibus scripta, magno rerum humanarum commodo, priorum maximis de rebus inuenta, doctrinæ de rebus cognoscẽdis necessariæ, res publicè gestæ, consilia atque documenta, ad posteros longis temporum spacijs à nobis diuulsos, in omni diuturnitate firma & stabilia transmittuntur: ut cum extingui & interire cætera homines cernerent, ab ijs rerũ initijs, munere hoc literario diuinitus accepto, præteritis futura coniungentes, breuem hanc uitam, quàm longissimam reddiderint. Translata uerò in usum scriptione, & liberalibus ingenijs semel excitatis, plura, atque ea magni usus deinceps sunt quæsita. Itaque ex eorum omnium numero, quæ scriptione & ingenio exercentur, antiquissimã, & propè omnibus populis cõmunem philosophandi rationem Poesin, atque Poetas primum eruditorũ genus fuisse, concordibus sententijs tradunt. Numerorũ etenim, quod suprà est à nobis propositum, suauitatem ingenitam habemus: quam sequuti, eruditius & politius quiddam homines docti introduxerũt: ut eadem Poesis, impulsu maximè naturali & diuino (eum numinis afflatum & instinctum, Furorem uocant) multo usu atque exercitatione firmato, non solum summi Dei laudes & gratulationes, quibus celebrandis initio rerum fuisse accommodatam, nostra religio confirmatum habet: sed etiam corporum cœlestiũ motus, quæ in cœlo apparent, & interiores totius Naturæ caussas, certis inuolucris adumbratas, omnem doctrinę materiam ita tractantes, numeris concluserunt. Quòd autem res euenturas diuinitus pro-

Poesis.

ἐνθουσιασμός.

tus pronunciarent, Vates sunt appellati. Similiter ad communem hominum Prudentiam cõuersi, breues & illustres sententias, tanquam leges ac documenta, uitæ informationi præscripserunt. Itaq; ut illustria uirtutum omnium exempla maximis laudibus ornantes, ad imitationem proposuerunt, ita cupiditates, luxum, libidinem, atque omnis generis uitia, graui sunt uituperatione prosequuti: ut omnem Sapientiam, numerorum oblectatione conditã, penes Poetas antiquissimis temporibus fuisse legamus, quibus honor præcipuus haberetur. Rebus igitur excultioribus, impulsis laudabili æmulatione ingenijs, delectu uerborum, pondere sententiarum, descriptionum uarietate, accurata & diligenti structura, lectu & auditu iucundiora effecerunt: ut summam industriæ atq; ingenij Admirationem, quam unam potissimum inquirunt Poetæ, sint assequuti. Est Heroicum genus carminis, graue illud, & plenum, quo fortia Heroum facta, resq; principum gestas, perpetuis laudibus celebrarunt. Ad alia conuersi, Lyricis certamina atque uictorias, in omni uarietate & copia: Elegis res lætiores, & querelas, quadam orationis uenustate: Bucolicis res pastorales, humili & simplici sermone: Epigrãmatis, arguta usi breuitate, quæcunq; occurrerent: Satyris (quæ in ueteris Comœdiæ locum successerunt) morum emendationem, uitia enumerantes, sermonis uarietate & obscuritate, pertractarunt. Præcipua eorum laus in personis ac rebus, decori obseruatio, in uerbis copia & uarietas, atque perturbationum cuiusque cõditionis hominum expressi motus: ut loquẽtis Picturæ nomẽ, Poesis habuerit. Consequentes Poetæ leuia, nec perinde necessaria, accurata oratione, & uenusta, priuatis affectibus nimium inseruientes, multa sunt persequuti: ut hoc facto, scriptionis huius dignitas & autoritas plurimum sit comminuta. Sed ex eadem Poesi suis temporibus profecta & tractata est Comœdia, quæ ad similitudinem mediocris status hominũ, & ad quotidianæ uitæ expressam imaginem comparata, decus, elegantiam, uenustatem, populari iudicio accommodatam, sequitur: ac liberiore orationis cursu, à turbulentis perturbatisq; rebus priuatorum, ad optatum & lætum exitum progreditur. Hac grauior & sublimior est Tragœdia, de maximis rebus gestis, atque ijs principum, facta dictaq; cõtinens: ut uehementioribus utens affectibus, res ad tristes, cruentos, & inopinatos casus, funestos, ac lugubres adducat. Vtraque tamen à plerisq; minus laudatur: illa, quod stupra & adulteria commemoret, desperationis atque furoris exempla hæc persequatur. Continẽtur autem in eiusmodi Poe-

Vates.

Poetices genera.

Noua Comœdia.

Tragœdia.

Fabulæ. tarum multiplicibus scriptis, magni ingenij commẽticiæ Fabulæ: quæ præter singularem delectationem, & ex admiratione quadam persuasionis uim, dissimiles etiam hominum mores, atque interiorem rerum Naturam adumbratam habent. Quorum enim opera usi fuissent, eosdẽ diuinis honoribus sunt prosequuti, ut præter alia multitudinem deorum quandam Poetæ introducant. Excitatis ad liberè excogitandum ingenijs, maximus diuersis seculis Fabularum numerus fuit: ut ex eo iustum opus, quod rerum gestarum propè æquet amplitudinem, contexi possit, & compleri. Quæ quoniam ociosa magna ex parte sunt, nec ita religioni consentanea, huic Vniuersitatis rerum historiæ minimè inserenda suis locis putauimus. Itaque cum in commemorandis rebus gestis, Poetæ ueritatem, ad quam omnia referuntur, iucunditate, gratia, & oblectatione, ingeniosis commentis atque fabulis totam obscurassent, & minus fideles esse cœpissent (uti tempora alijs alia opem ferunt, & cõsequentes à prioribus prætermissa complere, eadem restituere, atque in *Historia.* melius conuertere conantur) inuenti homines literati, quos ciuile in rebus communibus tractandis ac lustrandis ingenium, & ad scribendum parata atque instructa dicendi facultas potissimum commendaret: qui libera oratione, ut ita maior esset grauitas & autoritas, rerum memoriam, quæ tradita per manus facilè corrumpebatur, præter singularem & ingenuam oblectationem, ad moderandas Respub. in primis necessariam, copiose, ornatè, prudenterque consignarent. Eisdem de caussis, *Historia scriptionũ prima.* Historiam hanc memoriam continẽtem, scriptionum primam fuisse confirmant. Primi nanque illi generis hominum administratores diuinitus missi, cum uiderent, quæ de rerum origine, & maiorum suorum gestis, sermonibus publicè habebantur, ea facillimè interire atque corrumpi, ut minus uera utilissimis de rebus narratio ad posteros perueniret, eas literarum notas, quas modò priuatas fuisse diximus, maximo generis uniuersi hominum commodo, publicas extare uoluerũt. Hoc tantum beneficium antiquior & sanctior Hebræorum gens primùm contulit, ut historia Literaturæ consequẽti aptius tractabitur. Cæterę gen*Historia externorum.* tes in magna adhuc rerum obscuritate, primùm diarijs, fastis, annalibus, & cõmentarijs, suorum temporum memoriam simplici oratione breuiter scripserũt. Inde rerum maiore successu, exculta literis ætate, Historiam suis numeris cõpleuere: cuius fusum est orationis genus, & æquabile, ut sit narrationum continens & perpetuus cursus, non eam uim, quæ in orationibus forensibus cernitur, retinens, neque eam quæ in uerborum structura

ctura Poetica ſeruatur, curam diligentiamq; adhibens, quando utrique conuenienter eſt interiecta: ut ex hac liberiore oratione, ſoluta quædã Poeſis, Hiſtoria eſſe dicatur. Ordinis temporum ſumma habetur ratio, & conuenientis regionũ deſcriptionis: maximarum rerum, quæ publica memoria dignę ſunt, conſilia & deliberationes explicantur: dicta factaq; illuſtria, ad exemplum utiliter inſeruntur: ut res omnes ad eos euetus, qui propoſiti ſunt, certa progreſsione poſsint deduci. Poſtea Hiſtoriæ ſcriptores, ex Rhetorum officinis, Philoſophorum ſpacijs, & cõmunis Prudentiæ exercitatione progreſsi, rerum geſtarum præclara monimenta reliquerunt. Eſt quippe Hiſtoria ad omnem uitæ partem, conditionem, ætatem, locum, & tempus, iucunda, fructuoſa, atque per omne doctrinarum genus ſparſa & proſeminata: ut hac una de cauſſa eandem ex omni ſcriptionũ uarietate delegerimus, cuius conuenienti ratione multiplicem hanc, quam proponimus, Vniuerſitatis rerum doctrinam ordine cõplecteremur. Eidem cum omnium ætatum populi communibus animis plurimum detulerint, perfectum illud eſt, maximo rerum humanarum cõmodo, ut expeditũ ſit è ſcriptoribus omnia tempora luſtrare, non aliter, quàm ſi ijſdem, aut diuerſis in locis uixiſſe, aut cùm illa gererentur, interfuiſſe contigiſſet: quæ ipſa perpetuæ generis hominum ſucceſſionis illuſtre & laudabile ornamentum eſſe dicitur. Hęc res & ſacras & externas ita complectitur, ut tolerabilius ſit, nonnulla ſcripti genera perire, quàm huius partem aliquam, qua amiſſa, nullius tanta excellentis ingenij celeritate cõpenſari poſſet: cætera uerò, impreſsis in nobis diſciplinarũ omnium ſeminarijs, iterum atq; iterum à præſtantiſsimis uiris poſſent excogitari. Locupletiorem ſplendidioremq; reddit orationem, & ad omnem communem Prudentiam ualet plurimũ, ut iudicium atq; ſententiam in publicis deliberationibus multũ inſtruat, ac confirmet. Quocirca non malè expoſita Prudentia, eidẽ rerum geſtarum hiſtoriam, Principatus nomine cõiunximus. Ac Hiſtoria tum fuit corrupta, cum oratione res paruas nimium extulerunt, & magnas depreſſerunt: cum obſcuris temporibus homines communis intelligentiæ, & orationis exornandæ rudes, in exponendis factis neceſſaria prætermiſerunt: cum metu ea quę expediebat referre, ſuppreſſerunt: cumq; priuatis affectibus ad gratiam & ad odium prodendis, immodici fuere: atq; nimiam licentiam, multa affingentes, ne quid non uiderentur attuliſſe; qua omnis Hiſtoriæ dignitas perit, uſurparunt. Itaq; Hiſtorici ſimul & Poetæ uetuſtiſsimis tẽporibus, cum ex omni cogni-

Hiſtoriæ utilitas.

Ex Historia & Poesi omnia doctrinarum genera dimanasse.

tionis uarietate & multitudine illustrandis, exornandis, atque omni rerum opulentia cōplendis suis scriptis, selectissima quæque delibassent, omnium disciplinarum, totiusq; Philosophiæ sparsa latè semina habuisse cognoscitur: ut ex ijsdem, tanquam ex fonte, cuncta fuisse profecta, & principium sumpsisse, traditum sit, atque proditū. Nam cum ex omni uarietate eorum quæ quique semel probassent, diuersis adducti rationibus, ea detraherent, & separatim cognoscerent, exorta doctrinarum suis quibusdam terminis ac finibus comprehensarum multitudo, quæ uarias per ætates, magnis ingenijs studiosissimè elaborantibus, sua habuere, ut deinceps ordine subijcientur, incremēta. Libro deinde huic adiūcto, nominatim clara & erudita tempora commemorabuntur, ut suis quæque locis decenter collocata à primordijs cognosci possint.

Physiologia.

Ac primùm ita excitatis ingenijs, præstans ea doctrina manauit, quæ tota in Naturæ obscuritate posita, diligenter inquirit, unde quęque ortum habeant, quo'ue recidant. Impulsa igitur mens & cogitatio, rerum cognoscendarum admiratione, quæ humanissima est oblectatio, & sublimi quadam rerum consideratione feracior, multa utilia omnibus sensibus, omniq; intelligentia adiuuante, magna ingenij contentione, in hoc immenso Naturæ uniuersæ theatro peruestigauit.

Rerum ortus.

Nam post cœli totius aspectum, quod constantia quadam ordinum, purum est, & simplex corpus: neque ullis mutationibus, quandiu suprema ac æterna mens consistere uolet, expositum: è quatuor Naturis atque elementis cuncta ætheri subiecta oriri, composita esse, ac constare, prima progressione animaduertisse uidentur. Ignis quippe & Aer calore ac humore uim habēt mouendi atque efficiendi: Terra & Aqua frigore ac siccitate, accipiendi atque patiendi (principes quatuor rerum qualitates appellant) quorū ut amicitia res omnes gignuntur & cōcrescunt, ita inimicitia intereunt atque dissipantur. Cuiusmodi illa sunt, quæ minus perfectè composita dicuntur, cum in media aeris regione à terra & aquis uapores ac exhalationes ui astrorum subuehuntur: aut perfectè composita, quæ inanima terris sunt conclusa: uel animata, quandam uim habentia uigentem in nutriendo, augendo, & gignendo, in quo genere sunt stirpes: sentientem, in quinque sensibus externis maximè positam, ut sunt beluæ: intelligentem, atque rationis participem, ut est animantum omnium præstantissimum, Homo, cuius gratia hæc omnis rerum machina est fabricata: de cuius animi, ex Natura simplici constantis dotibus, cum non habeat in se quicquam admixtum dispar sui, atq; dissimile, excellentissimis muneribus, & immortalitate

talitate præclara multa diſſeruerunt, quæ primo libro de Naturæ hiſtoria plenius ſuis locis continentur. Eiuſdem animi beneficio nihil niſi certis ex cauſsis ac rationib. fieri, ut eſt captus hominum, cognouerũt. Itaq; rebus omnibus duas eſſe cauſſas, iiſdem coniunctas, obſeruarunt: unã, Materiæ ex qua: alteram, Formæ uim, per quam aliquid efficeretur. Extra res totidẽ poſitas, Efficientem, & cauſſarum nobiliſsimã eam, quæ Finis alicuius gratia eſſe dicitur. ſiquidem ut aliquid poſsit extare, concurſu harum quatuor cauſſarũ neceſſe eſt fieri: ipſum opus inde emergens, Effectionem uocant, atq; Euentum. Coniunctas præterea iiſdem rebus Loci, Temporis, atq; Motus rationes, quas inuolutas in Natura, magno ſtudio in his incumbẽtes diſtinxerunt. Quocirca eorũ quæ fiunt, alia Natura moueri, ponderé deorſum, aut leuitate ſurſum: alia imitatrice & adiutrice Arte, alia quæ hominibus incerta, propter obſcuritatem ignorationem'q; cauſſarum, perinde ac adulterina, Caſu & fortuitò: alia Fato & Prouidentia, fieri tradiderunt. Multa inde exquirentes, latentem & occultatam pleriſq; in rebus quandam eſſe concordiam, cognationem, & continuationem Naturæ: atque certas apparere, nulla nobis conſtante ratione, inimicitias ac diſcordias, ſunt admirati. In his perueſtigandis, ingenio ad ea penetrarunt, ut duo rerum omniũ prima Principia, Materiam appetentem Formæ uim, & eiuſdem ſuſceptricẽ (interiecta ad coniunctionẽ, ut uolunt, Priuatione) in utroq; tamen utrunq;, ut ui contẽta materia, ad corpus, & quaſi qualitatem quandam efficiendam, cohæreat. Qui autem ſanctius & purius hæc tractarunt, Vniuerſi effectricem moderatricem'q;, æternam mentem, ſummum Deum, principẽ, certam, atq; ſolam cauſſam eſſe, in qua conſiſtere, & cui omnino acquieſcere oporteret, ueriſsimè conſtituerunt, & pronunciarunt. Omnem eam doctrinam de Natura, & occultis rebus, Phyſicen ac Phyſiologicen appellarunt, quæ prima fuit è tribus conſtitutis Philoſophiæ partibus. Cuius quaſi alumna Medicina, multis petitis inde neceſſariis rerum cognoſcendarum cauſsis, locupletata eſt, & confirmata: quam eandem ad finem huius hiſtoriæ conſultò repoſuimus. Ac redditis in Naturæ perueſtigatione cauſsis, ea doctrina conſequitur, quæ ex conſtitutione, habitu, atq; forma partium corporis totius, fronte, oculis, uultu, hominum Naturas & mores colligere ac pernoſcere ſe poſſe profitetur: Phyſiognomiam dicunt. Somniorum etiam ex his quæ frequenter incurrunt, iudicium facientes, multiplici interpretatione, & palmæ quibuſdam interioribus lineis multa uariè quæſita & prodita.

Rerum cauſſæ.

Principia.

Prima Philoſophiæ pars.

Phyſiognomia.

Magicæ artes. dita. Sed nullis conſtantibus, idoneis, & apparentibus de Natura rationibus diuerſi nituntur, quos perhibēt abuti, quibuſdam admixtis è Medicina Mathematicis atque ſuperſtitionibus: homines ij ſunt mali, leues, uani, ad turpem quæſtum, & quendam multitudinis applauſum: qui è Magice, inferorū & umbrarum euocationes, reſponſa, colloquia, deliberationes, pacta, fœdera, nimium confidenter exercent: ſimiliter qui ex igne, aere, fulgure, uentis, tempeſtatibus, aqua, terra, cadaueribus, res euenturas ſe prædicere, obſcuras & abditas ſe explicare poſſe contendunt. Mutationes etiam in alias atque alias formas, & faſcinationes: grauia inde multa, nefaria, & flagitioſa. Ex ijs omnibus conſequuta Diuinatorum genera, ariolorum, uatum, augurum, & coniectorum: quibus uariè implicati homines fuerunt, & diuerſis ætatibus multum deluſi. *Phyſices utilitas.* At purior uerior'q; Phyſices doctrina, maximi eſt in omni uita uſus, cum rerum admirationem excitat, ut cauſſas interiores auidè peruestigemus, è quibus conſultò atq; diuinitus facta eſſe omnia, ad moderatricis Prouidentiæ rationem, cognoſcatur. In qua liberali doctrina exquirenda & tractanda, cum animus humaniſſima compleretur uoluptate, per multas ætates præclarè ingenia ſeſe exercuerunt, & quæ de rebus ſentirent, optimè confirmarunt: ut priſci homines ſolam bonitatem Naturæ ſequuti, Deum autorem omnium, & adminiſtratorem, pro ſuo captu, *Metaphyſice.* rebus nondum uerius cognitis, intellexerint. Itaque altior inde rerum in intimo Naturæ totius opificio inuolutarum conſideratione, ea doctrina profecta, quę mentis concepta ab omni oculorum conſuetudine abducens, tota diuina eſt, abditæ & remotæ cuiuſdam cognitionis. Primam Philoſophiam, atq; Metaphyſicen appellant, ea cōſiderans, quæ corporis cum ſint omnino expertia, ſola ratione & intelligentia diuinitus comprehenduntur. Res enim commētatur ex ſua Natura, non ut corruptioni & mutationi ſubiectæ ſunt, uerùm ut ſecretæ, & mente concipiuntur. Ex eadem, magnæ cognitionis, diſciplinarum omnium prima quædam principia, redditis præſtanti ingenio Naturæ cauſsis, conſtituuntur, in uniuerſum ſubtiliter accurateq; exquirentes, ad quæ cætera referantur. Hanc tamē doctrinam, multis productis rationibus uariam, obſcurā, difficilem, & implicatā nobis ueteres reliquerunt. Quocirca uiſa eſt pars illa de Natura ſcitu quidem digniſsima: ſed quoniam à neceſſaria ſui cognitione, quod eſt omnium difficillimum, aliquantum recederet, quaſiq; peregrinari uideretur, inſtituta ea doctrina, uitæ informationi conueniens, quæ de rebus bonis & malis,

malis, Naturà impreſſam nobis rationem ſequuta, inquirit. Initium igitur facientes (ita enim huius hiſtoriæ ordo poſtulat) *[Moralis Philoſophia.]* ab ijs quæ uulgari & populari iudicio, errorū omnium magiſtro, bona expetēda, in morum corruptione falſò creduntur, *[Externa bona.]* primùm ea fuere, quæ Fortunæ, & extra nos omnino eſſe dicimus: cuiuſmodi ſunt opes, & rerum affluētia, libertas, amicitiæ, liberi, propinquitates, affinitates, cliētelæ, nobilitas, & natalium ſplendor, dignitas & autoritas, gratia, fama, potentia, honores, & gloria. Quæ etiamſi abſint, non tamen magnopere expeti de- *[Corporis.]* bere, aliquanto meliore iudicio intellexerunt: ut inde ad ea bona, quæ ſunt corporis, progrederentur, qualia ſunt ualetudo & incolumitas, firmitas, robur & uires, forma & pulchritudo, ſexus, uox, ætas, celeritas, promptitudo, atque ſenſuum omnium integritas. Sunt hæc quidem utilia, commoda, & delectamenta huius uitæ: ſed quæ nihil prorſus eſſe dixere, habita ratione ex- *[Animi.]* cellentum bonorum, quæ propria hominis Naturæ, in illius animo eſſe propè diuinitus deprehenderunt: cui eidem ſi decenter coniuncta ſint, perinde ac quędam inſtrumenta, & quaſdam opportunitates, magno adiumento atque ornamēto eſſe poſſe: ſeparata ab animi bonis, pernicioſa exiſtere cenſuerunt. Itaque cum meliora quæque poſtremò inuenta deprehenſaq́; uidean- *[Rerū delectus.]* tur, notitijs (legem Naturæ uocant) diuinitus impreſsis, & ea rationis bonitate, qua à feris ſumus longiſsimè diſiuncti, Sapientes homines, rerum in nobis iudicium, boni ac mali diſcrimen eſſe, atque conuenientem eorum quę ſecundum Naturam ſunt, delectum quendam habere, conſilium & deliberationē, cognouerunt. Rebus omnibus Naturæ in quodam perpetuo certamine contentioneq́; poſitis, cum idonea & congruentia amplectimur, contraria & repugnantia auerſamur: unde in factis & dictis, quid uitandum ac fugiendum, quidq́; uerè ſequendum & expetendum, optimè intelligitur: quid item rectum & laudabile, ex quo præclarum illud Honeſti, decori, ac pulchri ſtudium *[Honeſti ſtudiū.]* conflatur: ex quibus abundāter cognoſci poteſt, nos certa Prouidentia magnas ad res percipiēdas eſſe genitos. Quippe ex eodem honeſto, tanquam uberrimo & puriſsimo è fonte, repetitis frequenter laudatiſsimis actionibus, animi habitus rectæ rationi, duce egregia uoluntate, obſequentes, emanant, & Virtutes ritè nominantur. Quarum aliæ in ipſa actione poſitæ, neceſ- *[Virtutes in actione poſitæ.]* ſitates propoſitas habent, ad eas res parādas tuendasq́;, quibus hæc omnis uita in animi tranquillitate degenda cōtinetur. Eam ad rem, ut omnia quæ fiunt, quæq́; dicuntur, ordine ac modo ea *[Modeſtia.]* efficiantur, deprehenſa & conſtituta excellens uirtus, quæ Mo-

Temperantia. destia appellatur. Sed immodicis cupiditatibus coercēdis, moderandis, atque prætermittendis hominis præstantia indignis uoluptatibus, ac regendis ijs motibus animi, quibus impulsus uehementer concutitur & perturbatur, Temperantia, Continentia, atque uirtutum omnium mater Frugalitas, conuenienter *Fortitudo.* est adhibita. Incidunt autem dolores, exilia, orbitates, uincula, luctus, labores, egestates, mortis metus, aliaque incommoda, pericula, & infortunia uitę, cum præsens bene informatus, alacer, & magno robore septus animus, ut uirtutibus inferiora statuens, ac elatus & inuictus, res humanas despiciens, Fortitudine multum confirmatur. Eadē uirtus non declinans à recta ratione, & animo æquo perferēs quæ adsunt, Patientia & Constantia dicitur. Est utique animi magnitudo quædam, in conuenienti & opportuno pecuniæ usu, Beneficentia atque Liberali*Iustitia.* tas dicitur. Communis autem societatis, & ciuilis coniunctionis seruandæ gratia, exorta est præstantissima uirtutum Iustitia, unicuique sua, recta, & æqua tribuens: quæ erga Deum Religio, parētes Pietas, uulgò Bonitas, erga hospites Hospitalitas: in contrahendo, creditis in rebus, & in pactis seruandis, Fides: in moderatione animaduertendi, Lenitas: in mutua beneuolentia, quæ ex morum similitudine, communione officiorum, & *Virtus in contemplatione posita.* concordia nascitur, Amicitia. Sed maioris est considerationis, uirtutum princeps, quæ in perspicientia, cognitione & scientia ueri posita, materiam, in qua uersetur, propositam habet Veritatem, quam iudicij & consilij ratione, in deligēdis opportunis bonis, ac rectis, atque in malis & prauis prætermittendis, congressione hominum, usu & tractatione rerum, excellenti *Prudentia.* comparata industria, Prudentiam dicimus. At in expetendis atque fugiendis, & primis rerum caussis interius quærendis oc*Sapientia.* cupatam, grauissimo nomine Sapientiam appellant. His subiectæ sunt partes ex tripartita temporum ratione, Memoria, Intelligentia, ac Prouidentia. Duæ autem uitæ congruēter transigendæ partes, ex Prudentia profectæ: una, cum suæ quisque Rei *Oeconomia.* familiaris tuendæ rationes inquirit: Oeconomia, & Prudentia domestica nominatur. Altera, quæ multitudinis in ciuitate regendę, principatus administrandi, sanctiorum legum usum, pa*Politice.* cis retinendæ artes tradit: Politice & Prudentia ciuilis ritè dicitur. Eædem duæ uirtutes, quoniam non uidentur huius loci, in Prudentiæ historia suprà sunt uberius tractatę. Pari ratione uerum inquirens Sapientia, hanc tertiam totius Vniuersitatis rerum partem, quarto hoc uolumine comprehēsam, nobis ita ijs de caussis, quas toties explicuimus, ita distribuentibus, est sortita,

fortita. Ac superiores quidem uirtutes, cum rationem uoluntatis quandam sequantur, hæ duæ, Prudentia & Sapientia, accedentibus Arte, Intellectu, Scientia, uim & habitum intelligendi referre traduntur. Præter has Heroica est uirtus, quæ altiore & diuina quadam mente, supra uulgarem atq; communem hominum ingenij uim, excellentius aliquid habere deprehenditur. *Virtus Heroica.* Comites autem uirtutum, Probitas, integritas, æquitas, candor, spes melior: sed custos est omnium, dedecus fugiēs, laudemq; maximè consequēs, Verecundia. Atq; hęc omnia, quando inchoatum quid est, neq; perfectū, progressio ad uirtutem, quasi quædam Affectio: *Affectio.* quando autem Natura, exercitatione & arte absolutum, Habitus dicitur, qui est ipsius Naturæ, & eorum quæ in animo sunt posita, perfectio quædam, ac una res optima. *Habitus.* Sed cum omnes uirtutes quodammodo intermediæ sint ijs duobus extremis uitiosis, quę aut nimium, aut parum sequuntur, ut conueniens Mediocritatis nomen accipiant: ex his quędam similitudine falsæ sunt imitatrices earum, ut iudicium plerunq; fallant. Nam Temperantiā proximè imitari uidetur, seuerior immanitas quædā in uoluptatibus, cæterisq; uitæ delicijs aspernandis, *Virtutes falsò referentia.* Frugalitatem auaritia: Magnitudinem animi, fastus & superbia in animis extollendis, atque despicientia in contemnendis honoribus: Fortitudinem audacia & temeritas, Patientiam duricia immanis, Liberalitatem inconsiderata effusio & largitio, Iustitiam acerbitas, Religionem superstitio, Lenitatem mollicia animi: Amicitiam adulatio, blanditiæ, & assentatio: Prudentiā meditata malicia, & arguta calliditas quædam: Veritatem dissimulatio, Verecundiam stupor & timiditas: quæq; sunt eiusmodi plurima, exercitatissimis hominibus in hac communi uitæ totius consuetudine non ignota. Sed dum prauis cupiditatibus & affectibus oppressa Ratio, legitimum animi & uoluntatis imperium non tenet, in contrarium Honestatis fertur Turpitudo, *Turpitudo.* è qua uitiorum omne genus, communi Vitiositatis nomine, emanat: quæ singula uitia singulis suis oppositis uirtutibus aduersantur: quibus cum dimicandum integra mens sibi proponit, atq; incorrupta, conuenienter Naturæ uiuens, & congruenter: ut præcipuum felicis huius communis & ciuilis uitæ bonum, quo actiones nostræ, rectæ rationi ac uirtuti consentaneæ, referri possint, Aequabilitas animi, & Tranquillitas, ad omnem morum Constantiam *Tranquillitas.* & dignitatem retineantur. Et hæc quidem compositione apta corporis, actione quadam, non sola cognitione, uultu ipso: sed magis Oratione, mentis simulacrum proximè referente, qualis *Oratio.*

homo sit, deprehenditur. Commendant orationē, morum Candor, decentia, atque elegantia in congreßionibus, & conuictu omni: ut duo illa, quibus nihil ad cōciliandos hominum animos uehementius, Comitas & Affabilitas, consœruentur. Probatur etiam oratio, cum rebus, locis, temporibus, & personis conuenienter est accommodata, cumq́; uicißitudo loquendi adhibetur, Grauitas quædam, & quæ est retinenda, rectus in affirmando & negando habitus, Veritas: quam deinde maxima in consuetudine hominum uirtus, & firmißimum uinculum, Fides dictorum & factorum omnium, cōsequitur: qua ipsa aut uiolata, aut sublata, nihil inter mortales tutum aut securum esse potest. Tractantem illa de uita, moribus, & animo componendo, omnium maximè excellentem disciplinam: è qua uiri boni, seipsos sapienter cognoscentes, quod potißimum habetur, sunt profecti: Ethicēn appellarunt Greci, Moralem philosophiam Latini, quę altera fuit à superiore, quam Physicen diximus, è tribus Philosophiæ partibus, his quas persequimur rationibus atque occasionibus, introducta. Præcipuus usus est, ad ciuilium Legum intelligentiam & moderationem: quando, ut quidque maximè est Naturæ consentaneum, hoc æquius habetur. præterea ad rerum gestarum iudicium, ad oratorum locupletandam orationem, ad actiones priuatas, atque sermones in uita optimè componendos. Hanc eandem dissentientes in cōstitutione Summi boni, quò omnia Philosophi referebant, & subtiliores disputationes, in tanta obscuritate illius ætatis, diu multumq́; conturbarunt. Sunt hæ superiores disciplinæ, quas de Natura & moribus appellauimus, in rerum inquisitione & peruestigatione positæ: quibus omnibus explicandis, exornandis, & stabiliendis, perinde ac ministræ, comites, & interpretes, materiam, quam tractent, sermonem & orationem habentes, Dicendi facultas, atque Disserendi prudentia accessere. Quarum utilis est cognitio, ut non minus studiose in his sit uersandum, quàm in multiplici rerum tractatione, utranque uerborum ac rerum doctrinam aptißimè ad mentis nostræ conceptus apertè, copiosè, ornateq́; explicandos, coniungentes: quo ita communi beneuolentia atque uinculo, intelligendi simul & dicendi omnis perfectio consequatur. Quanquam in discēdis literis, uerborum studium pręcedat, oportuit tamen nobis Historiam Vniuersitatis scribentibus, primam rerum curam habere, ut progreßiones suis conuenientibus occasionibus melius ita cognoscerentur & tractarentur. Itaque ut primo loco rerum Natura, & morum institutione exposita, Dicendi facultatem reponamus, cúm natu-

Altera Philosophiæ pars.

Moralis Philosophiæ utilitas.

Sermonis disciplinæ.

Rhetorices primordia.

rali

rali iudicio simus ad nostra defendenda quodammodo instructi & discerti: qui minus illis temporibus id potuere, alijs sua disceptanda tutò commiserunt, & maximè in liberis ac popularibus Rebuspublicis, ad multitudinis animos in quāuis partem impellendos. Ac interueniente negociorum magnitudine, maiores uires communi & uulgari sermoni additæ, atque maiora sunt quæsita orationis conformandæ præsidia. Caussis nanque agendis homines adhibebantur minimè incallidi, qui studiosè, quæ meditati fuerant, ut perspicua magis, & auditu iucundiora redderentur, in medium proponebant. Consuetudo & exercitationis assiduitas facultatem effecit: diligens obseruatio & imitatio eorum qui aliquid erant assequuti, conatus ac diligentiam auxit: ut iam expeditè, copiosè, ornatè que, magnis de caussis, in cœtu hominū frequenti, dicere se posse confiderent. Collecta inde ab hominibus doctis & exercitatis præcepta, quæ in dicendo sequi expediret, & ars Rhetorice est conflata. Hæc à Poesi excultiore iam diuersorum studijs facta, multum accepit adiumenti & ornamenti. Ac primùm Oratores, qui ita dicuntur, *Oratores.* in tanta uerborum cuiusque linguæ, in qua uersantur, multitudine & uarietate, delectum faciunt, qui idem totius doctrinæ est origo. Inde ab Elocutione, parte huic arti maximè propria, *Elocutio.* atque ornatu, Eloquentia nomen habet: ut purus sit, integer, usitatus, & elegās sermo institutus. Ex Verbis propria exprimendis *Verba.* rebus alia sunt: alia ad sonum, ornatum, iucunditatem, inopiam etiam, & perspicuitatem accersita, atque similitudine quadam artificiosè translata. Horum splendor & magna copia ab optimis scriptoribus petitur, ad uitandum repetitionis fastidium, & ad introducendā gratam auribus uarietatem: qua eadem cumulatè instructi, nihil sit in omni genere, quod non plenè & abundanter possit efferri. Conflantur ex utrisque *Sententiæ.* uerbis, proprijs atque translatis, acutæ, illustres, & uberes Sententiæ: ex ijsdem Similia, in hominum uita, moribus, & rerum Natura aptantur: Exempla aut domestica, aut ab omni memoria antiquitatis repetita: Expolitiones, conformationes, aptæ descriptiones, comparationes, atque egressiones, Amplificationum locis conueniētibus ratione quęsita. His quasi luminibus oratio illustranda est, coloribus in omni uarietate distinguenda, & ornamentis decenter conuestienda. Iam Numerorū sua- *Structura.* uitas Poeticis liberior circunscriptione quadam uerbis aptè & decenter conclusis, ad intelligens aurium iudicium accommodatur. Ipsum orationis corpus & dictio, aut tenue & humile quiddam sequitur, aut grande & amplum, aut utrisque æqua-

biliter interiectum genus, quod medium & temperatum nominant: quæ ex uerbis, sententijs, atque omni compositione, cuique generi apta discernuntur. A' uerborum doctrina, ad rerum tractationem conuersi (nam in publica exercitatione prior rerum, *Excogitatio.* quàm uerborum, habetur ratio) quod Inuentionis est, ut quidque oblatum fuerit, num sit infinita uniuersi generis Quæstio, remotis tẽporibus, personis, ac locis, diligenter exquirunt: pòst, num his omnibus accedentibus, sit finita, de certa aliqua re, nominatim cõsiderant. Itaque à proprijs personis & temporibus, si possunt, auocant controuersiam: ut quod in uniuerso sit probatum, id in parte sit probari necesse. In caussis Iudicij quid æquum, in quo iniuria sit, ex tripartita statuum ratione longius persequuntur: in caussis Suasionis & dissuasionis, quid honestum, quidque utile, & his contraria: tertij generis sunt caussæ laudis atque uituperationis rerum, personarum, & factorum. Re *Orationis partes.* iam cõstante, quasique per omnes suos articulos cõperta, Orator Exordio illustres ad dicendũ facit aditus, uerecundè præparat, erigit: atque conciliata auditorum beneuolentia, docilitate, ut sint attentiores, efficit. Narratione tum dilucidè, perspicuè, paucis, ac probabiliter, factum & rem gestam exponit: ut quid agatur, intelligi possit. Dein Propositione ac partitione distinguit acutè, & diuidit ea, de quibus parat dicere. Ac medio quidem conflictu, in quo est posita omnis dicentis uictoria, firmissimis argumentis & rationibus, fidem faciẽtibus, sua probat: eam partem orationis Cõfirmationem uocant. Aliena uerò, & obiecta, quæ caussam impedire, aut eidem obesse possent, Confutatione minuit, euertit, refellit, & à se reijcit. Interea ornandi aut augendi caussa, aliquantum excurrere solet, atque digredi. Confecto ad hanc rem negocio, quæ firma & stabilia esse, quæque auditores efficere uult, & implere, breui accedente superioribus orationis partibus collectione & Cõclusione, quosdam aculeos in audientium inflammãdis aut restinguendis animis, conuenien- *Collocatio.* ti cohortatione relinquit. Sunt illa Inuentionis rerum. Cognoscitur autem præstantis Oratoris in suis omnibus moderandis, decenter & accommodatè disponendis, præsens consilium, acre iudicium, atque singularis Prudentia. Argumentationes faciendæ fidei, ordine suo collocantur, quæ ex Locis artis expertibus, aut arte constitutis petuntur. Itaque cum debitum sit in oratione, ut intelligantur omnia, commodè & apertè disserere atque docere, honorarium est, ad res seueriores condimẽto quodam leniendas, & ad tenendum auditorem, sales atque facetias, subtili uenustate ac urbanitate cõiuncta, orationi admiscere: necessa-

rium

rium uerò,affectiones,& animorum motus,quos generi hominum uarios Natura tribuit,consideratis suis conuenientibus locis,placidos & quietos excitare, atq; uehemētius impellere:turbatos ac perculsos reuocare & sedare posse:quod est artis quædam perfectio,uis Oratoris,atq; magnitudo:nihil ut sit usquam in rebus,tēporibus,personis, ac locis alienū,aut dissimile ab utilitate caussæ, & obtinenda uictoria. Quę ut aptè ad decorū seruandum perfecit Orator, fideli rerū omnium inuentarū & dispositarum, ac uerborū custodi, atq; thesauro Memoriæ, locis & imaginibus, ne quid excidere possit, commēdat, atq; comprehendit. Postremò suo tempore, suaui uocis conformatione, uultu, totiusq; corporis decenti ad Pronunciationem gestu atque motu, audienda in cœtu hominum cōgregatorum oratio proponitur: cui quidem actioni, propter singularem in persuadendo gratiam, primas, secundas, & tertias partes dedere. Eiusmodi exornandæ atque constituendæ orationis documentis, communi Prudentia, omnium rerum magnarum cognitione, imitatione, & exercitatione cumulatus Orator, de quauis re proposita copiosè, ornatè, compositè, aptè ad persuasionē se dicturum profitetur. Hac arte primùm homines à feritate & agresti uita, in quendam humanitatis cultum, elegantiæ & urbanitatis traductos crediderunt. Maximus illius usus in omni uita, & potissimum in Republica, ad tenendam multitudinem, ad caussas in foro agendas, ad funerum celebritates, ad militares conciones, ad religionis nostræ doctrinam populo tradendam, ad aliena scripta melius intelligenda, & ad explicatius, ornatius, atque accuratius conscribenda ingenij & literarum monimenta. Nihil enim tam est obscurum, reconditum, perplexum, ac perturbatum, quod nō elaboratæ & distinctę orationis luminibus splendescat atque illustretur: quando præter illa hoc efficit, ut ea quę ignoramus, discere: quęq; scimus, alios docere confidenter possimus. Eadem omnium laudatarum artium nixa præsidijs, tantam habet cum Sapientia cognationem & communitatem, ut Eloquentia, copiosè loquens Sapientia esse dicatur, ac diuelli ab ea uel separari non possit. Furiosi nanque habetur, nulla subiecta sententia, inani uerborum profluentia & uolubilitate quadam dicere uelle. Quibus de caussis adducti, ne aut imparata hæc facultas esset, aut rerum cognitione minus instructa, post Naturæ atque morum doctrinam, conuenientem, pro instituti huius ordinis ratione, hunc illi locū dedimus. Hanc facultatem qui sunt assequuti, Disertos & Eloquētes appellamus: quorum maximè honoraria semper in hominum societatę conseruanda, fuit

Memoria.

Actio.

Orator.

Rhetorices utilitas.

Eloquentia Sapientiæ coniuncta.

Eloquentes.

fuit occupatio et profeſsio. Qua eadem cum ætates caruerunt, omnes cæteræ diſciplinæ ſunt obſcuratæ, contemptæ, & neglectæ. Ac poſtremò cum hæc longo interuallo eſt repetita, non modò inclaruerunt doctrinæ ſtudia, uerùm & linguæ uulgares, ad noſtras cogitationes apertius explicādas, & ſcriptis conſignandas, excultiores ſunt factæ. Qui artis uarietati confiſi, ueteratoria quadam facultate nimium abutūtur, ſegrēgant à Prudentia & Sapientia Eloquentiam: quibus ijſdem illa, ut corpori animus, arctiſsimè colligatur. Eſt illud quippe uehementer pudendū, literatos homines, quos ad omnem modeſtiā exemplo cæteris eſſe, ac documēto oportet, artis oratoriæ præſidijs, immodicas affectiones priuatas, maximò literarię exiſtimationis ludibrio, inter ſe prodere. Hinc maleuolis obtrectationibus, acerbis contumelijs, atque grauibus calumnijs alij in alios aſperius inuehuntur: quę nihil aliud ſunt, quàm manifeſta corrupti, leuis, & inconſtantis animi teſtimonia. Ab eadem dicendi facultate inſtructior facta eſt rerum in armis geſtarum enu-

Dialogi. meratio, quam Hiſtoriam ſuprà appellauimus. Similiter incrementum accepit oratio Philoſophorū ſeria illa & grauis, quæ illuſtres perſonas magnis de rebus, ad ſimilitudinē ſermonum familiarium, qui inter literatos habentur, loquentes facit. Ita dictis omnibus plus ineſt dignitatis & autoritatis. Tametſi ea loqui inter ſe finguntur, quæ nunquam ſunt loquuti. Ex mutuis eiuſmodi colloquijs, Dialogi nomen hæc ſcriptio cōuenienter habuit. Quam ad rem modeſtię cuiuſdam eſſe cenſetur, non audere in ſua perſona confidēter de rebus pronunciare. Sed multum detraxit, leuia & parum neceſſaria eidem concluſiſſe. Ex Poetarum ſcriptis dimanaſſe Dialogos exiſtimant, qui in Comœdijs atque Tragœdijs perſonas loquētes, alijſq; in ſuis ſcri-

Poeſis. ptionibus introducunt. Poeſis etiam ornamentis oratorijs, multò uſu rerum locupletatis, plurimum accepit deinceps adiumenti: licet ab eadem, ſeminaria omnium doctrinarum continente, primùm eaſdem defluxiſſe, & ipſam Oratoriam artem communibus ſententijs tradant. Eſt quippe diſciplinarum omnium mutua conſenſio & communitas, quam eandem nullo inſtituto tractationis ordine, quiſquam ſatis repręſentare poſsit: ut facilius ſit, in uniuerſum nonnullis coniunctis, plura diſcere,

Dialectices introducendæ rationes. quàm ſeparatim pauca quędam, auulſa & diſiuncta. In tam multis doctrinis, quæ longis temporum ſpacijs, elaborantibus plurimis, ſunt deprehenſæ, conſtitutæ, & acquiſitæ, copioſi, ornati, atque eruditi ſermones in cœtu literatorū, magnis de rebus diſſerentium, habebantur; cum propius ad ſe conuerſi, etiam

errores

errores imbecillæ mentis ſummouendos eſſe duxerunt,& huic ſubtiliore quadã arte,opem, ne temerè quibuſuis aſſentiretur, ferendam. Itaque cum multi alijs cõtradicerent,ne ij protinus à ſententia dimouerentur,ſuis optimè confirmandis rationes ſtudioſè inquiſierunt. Ac proinde, quo nullus eſſet erroribus & falſis opinionibus locus, in tanta diſsidentiũ inter ſe perturbatione atque diſsimilitudine, certum aliquid tandem, in quo animi communiter acquieſcerent, ut demerſa & occultata rerum Veritas erueretur,cõſtituere ſunt conati. Quocirca mentis ipſius,non ſenſuum iudicium,quod naturale nobis ineſt,ſequuti,magno huic ſtudiorum incõmodo,dum confuſa & perturbata eſſent omnia, boni & acuti uiri plurima adiumenta, perinde ac neruos,orationi importarunt, atq; ueritatis in diſſerendo tenendæ inſtituta eſt diſciplina: qua oratio non copioſè, ut illa ſuperior popularis, & ad uulgi ſenſum accõmodata: ſed preſsius,contractius,& ſubtilius, ad eruditorum conſuetudinem,ratione concluderetur & cõfirmaretur. Eſt quippe hęc oratio quaſi è foro in ſcholas translata, omnibus ornamentis detractis, nuda & ſimplici ſermonis ratione contenta, ut contractam & aſtrictam Eloquentiam:ſuperiorem uerò perpetuę orationis explicatricem,huic altera ex parte reſpondentem,dilatatam eſſe dicant.Certæ igitur leges propoſitæ, quarum prę- *Artis conſtitutio.* ſcripto, ex his quæ quiſque uel affirmaret, uel negaret, uerum inde & falſum ingenio ſe eliceretur.In tanta Philoſophorũ per diuerſas ætates multitudine, ut ſunt diſsimiles uoluntates,ſtudiaq; diuerſa, ita diſsimiles ingeniorum exercendorum, & ueritatis indagandæ gratia, diſputandi rationes ſequuti fuiſſe uidentur. Siquidem à rebus incertis aſſenſionem cohibentes, in utranq; partem diſſerere,aut minutis interrogatiunculis,quaſi punctis,quod proponerent,efficere,aut cõtra alterius opinionem ſubtiliter ratiocinari conabantur. In quibus illud placuit, breuiter & argutè, certis & exploratis rationibus argumentationes contexere, ex quibus ars plenior & uberior eſt conſtituta, & firmatis temporum iudicijs utiliter retenta. Cui facultati *Oratio.* ex uocũ, quibus ſermo conſtat, uarietate, conceptis animo rebus, interpretis loco ſignificandis, alia eſſe Nomina,temporis expertia: Verba alia,tempus habentia,eſt deprehẽſum: alia horum,ad expreſſam animi ſententiam cõformandam,quaſi uincula quædam,(liceat enim ab his artem auſpicari.) Igitur ad u- *Nominũ ratio.* ſum meliorem, etiam rectam nominum rationem, Natura, caſu,arbitrio,conſenſuq;,uti tradunt, rebus impoſitam,huic doctrinæ quidam ſubiecere. In ipſis autem uocibus certa commu

Quinq; uoces. nitas & cognatio quæſita. Nam quæ latius patent Genera, efficientibus Differentijs, aut diſcernētibus, Species atque formas anguſtiores complectuntur. Formis ſubiacet non neceſſariæ inquiſitionis ſingulorum (Indiuidua dicuntur) multitudo: ijſdem formis diſcernendis, Propria etiā inquirunt. Inde omnis eorum quę incolumi rerum Natura inhęrent & Accedunt, uarietas co-*Decem ſumma genera.* mitatur. Horum magnis præſidijs eædem uoces, ex diſperſis, in unum ſunt collectæ, & in certas ſedes, ordines, atq; familias conuenienter repoſitæ. Principem locum ea quæ eſſe, in ipſa Natura ſignificāt, tenent: (Eſſentiam dicunt:) hæc autem ſenſibus aut intelligentia comprehendūtur. Ea iam, quæ his uarié accedunt, conſequuntur: cuius generis illa quæ Quantum, & Quale, unde nomen qualitatis, indicant, quęq; cum alio Conferuntur, aut Agere & Pati ſignificant: aut Vbi loci, & Quando temporis ra-*Definitio. Diuiſio.* tione, Situm eſſe & Habere demonſtrant. His enim tam multis & neceſſarijs adiumentis optimé inſtructus artifex, obſcura uerba explanare ac interpretari, & res latentes atque inuolutas circunſcripté breuiterq; Definire: ambiguas uerò uniuerſas, ac multiplices, in ſuas partes & formas, quaſi membra, Diſtribuere atq; Diuidere accommodaté poteſt: quod in pertractandis certa uia, ordine, ac ratione diſciplinis, ſingulare ac præcipuum *Methodi ratio.* munus, hoc efficientem Methodum cōuenienter appellarunt: cuius duas potiſsimum aſsignant rationes, unam diſſolutionis, alteram coagmentationis, quam ultimā hoc ſcripto ſequi in ple-*Enunciationes.* riſque conamur. Itaque uoces eiuſmodi omnes, poſtquam plenius conſtant, orationes, ſententiæ, partibus aliquid ſignificantibus apté iam cōiunctis, & multiplices Enunciationes efformantur: quæ aut uerę ſunt, aut falſæ: aut aientes, aut negantes. Om-*Loci.* nis autem uarietas & opulentia petitur ex Locis, in quibus ſunt rerum notæ, & argumentorum ſedes: qui artis expertes, remoti ſunt, & aſſumpti: aut rebus ipſis inhærētes, inſiti, & infixi dicuntur: nihil ut mente concipiatur, quod non in aliquem horum locorum, rebus ad fidem faciendam comprobādis & concluden-*Iudicium.* dis, magno ingenio poſsit repoſitum inueniri. Quocirca ex illis ſententijs & enunciatis præſtanti artis Iudicio, quæ altera eſt ab Inuentione totius huius doctrinæ uirtus, decenter collectis, ue-*Syllogiſmus.* rior atq; perfectior Ratiocinatio, Syllogiſmi nomine, ad quoduis dubium patefaciendum, ingenioſè componitur. Primum locum Propoſitio obtinet, tum Aſſumptio: ex his poſitis & conceſsis, Cōcluſio ſequitur & efficitur: alterutra ex prioribus prętermiſſa, fit Rhetorum propria ratiocinatio, quæ Enthymema dicitur. Sed dinumeratis aliquot, ex ſingularibus aliquid inferēs uniuer-

uniuersale,& ex rebus non dubijs captans assensionē,eius quo cum est instituta, Inductio appellatur. Cum uerò similitudine aliqua ex alio particulari aliud infertur,Exemplum nominant: quæq́ꝫ sunt eiusmodi. Verius autem ac certius cōsentientibus

Demonstratio.

& acquiescentibus iam animis omnium, iactis à Natura seminibus,atque ipsis rerum principijs,quæ sunt notiones,nullo doctore nobis ingenitæ, omni dubitatione sublata, Demonstrationes necessariò concludunt, quæ disciplinarum seminaria & initia esse traduntur. Cum autem multa in his quæ sunt proba-

Captiosorum solutio.

bilia,fallendi & deludendi studio,laqueis quibusdam perargutè implicentur, maximo adiumento est in illis dijudicādis atqꝫ explanandis,præter alia,captiosorum solutio, discrimen ambiguorum,& singularis distinguendi prudētia. Eiusmodi documentis,quid in oratione uerum,falsum,prauum'ue, quid cohęrens & consentiens,quid contrariū,dissidens,& pugnans,optimè dijudicatur.Eidem multiplici doctrinæ, à præstāti differendi uirtute,atque ratiocinandi subtilitate, conueniens Dialectices & Logices nomen datum. Fuit hæc è tribus Philosophiæ

Tertia Philosophiæ pars.

partibus,de Natura,de uita,& moribus,tertia de differēdi acumine pars nouissima, aut instrumentum, sicut plerisque uidetur,additum: quibus ijsdem tribus,quicquid est usquā doctrinarum,ueteres comprehēsum esse,communi hoc Philosophiæ nomine,uoluerunt.Est itaque Dialectica, cæterarum discipli-

Dialectices utilitas.

narum omnium ministra quædam, & in illis certo ordine tractandis interpres, custos, & sepimentum : una omnium mentis oculos ad uerum de rebus iudicium comparandū aperiens. id enim efficit,ut certa in colloquijs proponātur,& expeditius aliena intelligantur:deinde,ut omnia distincta sint,& locis idoneis posita : quodq́ꝫ maximum est, ne falsis quisquam temerè acquiescat.Itaqꝫ Sophistæ nimia quadā differendi argutia,con-

Sophistæ.

certatione, captationeq́ꝫ uerborum, optimæ artis necessarium usum obscurarunt,ut spinosiora multa pepererint. Hęc eadem facultas, præter ingenuas rerum inquirendarū oblectationes,

Disputationes.

assiduitate differendi in quoque genere plurimum stabilitur, cum rationes,in ijs quę asseruntur,comprobandis,studiosè inquirendæ sunt,& discutiendæ: ut nemo non, nisi peritissimus, ab eruditis,bene institutis,& ad totius artis comprobationem maximè necessarijs disputationibus redeat,atque paratissimus ad intrepidè suscipiendum de omni re proposita probabiliter differenda, ueritatis patrocinium. Sed cum ab eiusmodi pro-

Plenius tractandæ Grammatices causæ.

gressionibus,in quouis genere disciplinarum,nihil prætermissum à prioribus ingenijs existimaretur, graui consequentium

temporum iniuria, nouum accessit malum, quo res omnis literaria multum est distracta & exagitata: in quo uno laboriose superando, pars studiorum melior, prima, cōsequens etiam ætas tota propè consumitur. Profectum illud ex cōmutatione principatuum, excurrentibus atque commeantibus aliò & aliò diuersis populis, ut linguæ multo scribentium ac loquentium usu confirmatæ, quibus doctrinæ ingenij continentur, multis à communi populi usu recedētibus & importatis peregrinis uocibus, deprauatæ ad posteros uenerint. Quam ad rem cum uicini illis ætatibus minus purè loquerentur, minusq́; optimi scriptores intelligerentur, subsidio fuit bonorum uirorū labor & diligentia, qui ad usum loquendi, scribendi, & intelligendi potissimum, ex commendatis melioris ætatis scriptoribus, diuersi generis præcepta, ad omnem sermonis puritatē, bonitatem, atque integritatem retinendā, multiplicibus obseruationibus collegerunt: & ijs quæ iam ueteres de linguæ ratione, proprietateq́; subtilia multa & erudita disserere cœperant, eadem proximè ad complendam artem accommodarunt. Itaque consentientibus inter se doctis uiris, ars eruditior est conflata, quæ à simplici literarum appellatione Grammatica dicitur. Hic præcipua diligētia, qua ij excellunt, qui inde Grammatici appellantur, à nominibus Literarum, & sonis, cum aliæ quodammodo alijs sint magis uocales, quæ inuicē iunctę & positæ, Diphthongos aptè efformant: aliæ ijsdem uocalibus annexæ, Consonantes dicantur, è quibus sunt semisonæ, atque mutæ, ad omnem Syllabarum uarietatem fit progressio: quarum aliæ uel breues sunt, uel longæ, uel ancipites. Etiam tres uocum soni, quos acuto, graui, & inflexo distinguunt. Voces iam ex eiusmodi syllabis, expressam singularum rerum & actionum significationem habentes, coagmentantur. Harum notata sunt aliquot inter se discrimina. siquidem ex his quæ temporis expertes, rerum appellationem repræsentant, Nomina dicuntur: quæ horum uicem, ne molestè repetātur, aptè referunt, Pronomina: quæ temporis uarietatem in inflectendo commutant, Verba sunt, expressam agendi & patiendi uim habentia: simul & profecta ex utrisque, nomine & uerbo, Participia. Totidem sunt, quę, ut superiores, non inflectuntur, Aduerbia, Præpositiones, Coniunctiones, & Interiectiones. Particulæ eiusmodi, quoniā uocum significatum quodammodo confirmant, & orationem multiplici ratione, quasi certis uinculis, colligant atque connectunt, apta hęc nomina accepere: nullę ut sint uoces in omni sermonis Latinę linguę (aut ut cuiusque alterius est ratio) uarietate, quę alicui

Artis constitutio.

Literæ.

Syllabæ.

Vocum discrimina.

Structura sermonis. alicui harum octo partium, perinde ac suis capitibus, non conuenienter subijciantur. Itaque eiusmodi uocibus congruenter ad explicandam animi sententiam coniunctis, & emendata ad orationem conformandam structura compositis, nihil à concordi atque consentiente linguę totius ratione, casus, modi, genera, personę, tempora, & numeri discrepant: ne quid perturbatum in sermone, & à puritate, proprietate, pręceptisq; alienum dicatur. *Figuratus sermo.* Sed ab hoc naturali, simplici, proprio, & usitato coniunctorum uerborum ordine recessit is, qui multiplicibus Figuris ad necessitatem, uenustatem, & ornatum uariatur. *Versus.* Est alia numerosa oratio, præter Oratoriam, Poeseos, astrictior illa, & suauior. Singuli nanque uersus certis ac legitimis pedum spacijs decenter iunctis constant: ex quibus tot conscripti in omni rerum uarietate Poetarum libri, de quibus suprà meminimus, habentur. *Periodi.* Orationis cuiusque incisa & membra, aptè inter se collocata, iustæ sententiæ comprehensionem atque ambitum, Periodum appellatam, complent: qua eadem sæpius repetita, totam negocij unius, ut res exigunt, tractationem, comprehendi à scriptoribus uidemus: ut infinita diuersarū linguarum uolumina, rerum multiplicium cognitionem, certis libris distinctam continētia, in omnem posteritatē fidelissimè transmittantur. *Linguae integritas.* Et ad Latinam linguam, atque cæteras ab communi usu populi remotas, Sermonis totius ratio, puritas, & integritas, ad comprobatam eorum similitudinē, qui faciendæ linguæ ius habuerunt, est constituenda: nihil ut extra horum præscriptum possit quisquā tutò scribere ac pronunciare. Factum hac multiplici diligentia, ut ex artis documētis loqui atque scribere non minus accuratè nostri homines possint, quàm plerique ex his qui illis temporibus uixerunt, quibus ea lingua in uulgari hominum usu fuit posita. *Grammatices utilitas.* Est autem hęc ars Grammatices ita ad rerum cognitionem expeditè comparandam necessaria, ut nisi illius præsidijs instructi simus, & hac primùm uia ingressi fuerimus, non efferre, quæ sentimus, neque iudicare de nostris & alienis scriptis satis posse uideamur. Ea est cæterarū ductrix atque interpres: ut nisi iacto hoc firmo fundamento, quicquid suprà struxeris, breui corruat. Reprehensa est in nonnullis cura immodica, quos in persequendis non necessarijs, ocio atque literis abuti uidemus. Obscuris temporibus nulla puritatis habita ratione, & recedere à ueteribus, & ex linguis uulgaribus, in hanc multa deriuare, nimium licenter sibi permiserūt: ut instaurationi sermonis Latini, acerrimis studijs diligētissimi nostræ ætatis homines incubuerint. Grammaticis itaq; primùm intro-

Grammaticorum professio. introductis, ea concessa autoritas, atq; ea amplitudo studij proposita, ut omne scriptorum & doctrinarum genus excutere illi, atque interpretari possent. Itaque uerborum Origines, qua de caussa sint quæque ita nominata, ad maiorem intelligentiam studiose inquirere uoluerunt: similiter quæ ex Analogia, similitudine, & comparatione colliguntur, solerter adferre, atque sermonis formulas ad puritatē & proprium usum excerpere ac præscribere. His Interpretationes Naturam, uim, bonitatē, & significatum uerborum patefacientes, Differētias, similia & contraria nomina, atque multiplicis usus Translationes conuenienter adiunxerunt. Pōst, ne sermo contaminaretur, & peregrinitate quadam corrumperetur, Barbara omnia, & solœca, ut uocant, repudiarunt. Præter hæc etiam quę multiplicis sunt studij & diligentiæ, Prouerbia, Aenigmata, Symbola, Apologos, Fabulas, Sales, & Iocos: Sententias utique, Exempla, Strategemata, Problemata, & Apophthegmata, quæq; illustria in scriptoribus inueniuntur, explicarunt: ac subiectis generibus, quo lectionis minueretur labor, & in manibus haberi possent, laboriose coegerunt. *Grammaticorum scripta.* Scriptores cuiusque generis enarrare Scholijs, Annotationibus, Commentarijs, & similium locorum, aut diuersorum Collatione, sui muneris esse duxerunt: ut Poetarum pertractationem, & Historiarum cognitionem eidem Grammaticæ subiecerint. Iam quo in uniuersum uaria legentibus consuleretur, sermonis totius uarietatem Onomasticis diligentissimè conclu serunt: inde uarias Obseruationes lectionum, & castigationes, multis libris sunt persequuti: quæq; habentur maioris doctrinæ, scriptores, qui aut breuius, aut obscurius sua tradidere, Paraphrasi plenius & apertius complere: quiq; diffusius & copiosius scripsere, ut minore studio cognoscantur, Epitome aptè & breuiter contrahere. Exercitationis amplioris est, ex alia lingua in aliam scriptores accuratè, fideliter, atque feliciter conuertere posse: ut ijdem non minore fructu ab ignaris eius linguæ, *Autoritas.* quàm à suis legantur. Tanta Grammaticis licētia est data, ut suo iudicio, quod maximum illis tribuebatur, mendosa, deprauata, corrupta liberè emendare, cōfusos libros ordinare: aliena, subdititia, & adulterina, quasi è familia summouere possent: quod indicat Criticorum & Censorum nomen, illis impositū. Ac quoniam ad ea optimè præstāda, multis doctrinis & locis ueterum scriptorum, quos in numerato longa atq; accurata obseruatione habebant, excellēter essent instructi, *Philologi.* Philologi, & uaria usus atque tractationis rerum cognitione, exemplisq; ueteris memoriæ, ac præsentis abundarent, *Polyhistores.* Polyhistoris appellationem habuerunt:

buerunt: quorum maximè laudabilis fuit occupatio, ut in difficillimis totius literariæ tractationis rebus, ad illos, tanquam honorarios arbitros, tutiſsimè confugerent, quorum ſeueris eiuſmodi iudicijs acquieſcendũ putarent. Sed cum nihil auditione ad celeriter atque minore labore diſcendum, uideretur accommodatius, utilis profeſsio eiuſmodi eſt inſtituta, ut primi nominis in quoque doctrinarum genere ſcriptores, Poetarum, Oratorum, Hiſtoricorum, Philoſophorum, Medicorum etiam, Iureconſultorum, atque Theologorum, frequenti ſtudioſorum cuiuſq; ordinis concurſu in ſcholas, magna & clara uoce interpretari ſint ſoliti: quo ad hanc ipſam rationẽ ijdem ſtudioſi cæteros ſcriptores, ſuo & domeſtico ſtudio excutere acq; cognoſcere poſſent. Quoniam uerò in tanta ſcriptorum, qui diuerſis temporibus clari fuerunt, multitudine, animus adoleſcentum multum diſtrahebatur, quaſiq; in non neceſſarijs laborioſe cognoſcendis opprimebatur, difficiliſq; eſſet delectus, certam informandi ſtudij rationem, quique in ſuo profeſsionis genere, & Grammatici potiſsimum præſcripſere. Cuius generis illa in uniuerſum eſſe poterunt: Quomodo multiplicia ingenia ad literas diſcendas probentur, quid primò proponendum, quę audiendi profeſſores diligentia: quæ accurata eorum quæ audita ſunt, repetitio, quæq; fideli memoriæ commendare oporteat: qui ordo in perdiſcendis atque tradendis doctrinis tenendus: qui ſcriptores in omni genere, ut acui ingenium & ali poſsit, cum æqualibus, aut priuata lectione uolutãdi, quis itẽ ex quoque fructus percipiendus: quæ potiſsimum ex probatis à nobis, ad expeditum uſum excerpenda, & generibus rerum conſtitutis ſubijcienda: quæ ad puritatem ſermonis diſputandi, docendi, commentandi, imitandi, atque totius ſcriptionis aſsidua & conueniens ſuſcipienda exercitatio: quæ in conuertendis ex alia lingua in aliam ſcriptoribus, tenenda ratio, coniunctis neceſſarijs eloquentiæ atque doctrinæ comparandæ præſidijs. Quam ad rem commodum eſt noſſe, quid maximè proprium quæque ſcriptionum genera habeant, quidq; potiſsimum ex quoque ſcriptore diſcendum. Quibus omnibus illa accedunt, ut quæ ſint ſtudiorum idonea tempora, ea deligamus: quæ relaxationes literariæ ferijs ſtudijs interijciendæ, illæ non negligantur: quæq; totius commodæ ualetudinis confirmandæ ratio, quo id diutius facere poſsimus. Ac poſtremò quæ ſunt neceſſariæ cognitionis: quantum in quoq; immorandum, ne meliora tardius attingamus: & qui ſit totius curſus, quò ſingula referri poſsint, propoſitus ſtudioſis omnibus literarum finis.

Lectiones publicæ.

Informandi ſtudij rationes.

Eſt hæc

Historica disciplinarum progressio.

Discendi ratio diuersa.

Ἐγκυκλοπαιδεία.

Academiarum institutio.

Tres facultates.

Vniuersitatis doctrinam ad tres has facultates reduci posse.

Est hæc doctrinarum, ut ex historica occasione, & rerum necessitate sunt inuentæ, atque cõsumptis tam multarum ætatum ingenijs deprehensæ, uerissima, nisi quid secus diuersis rationibus uideatur, & breuissima, re ita postulante, progresio, quæ ad discendum alia est: ut puer à domestica disciplina ad Grammaticam ueniat: inde ad alias superiores, Dialecticã & Rhetoricam, conuerso ordine cõscendat: quem utiliter ij sequũtur, qui publicé & priuatim docent: quiq; in uniuersum ad hanc memoriam de disciplinis tradiderunt, non aliter quàm in Mathematicis ab Arithmetica, quam ijsdem prorsus de caussis ultimam fecimus, ad cæteras, Musicen, Geometriam, & Astrologiam, expeditius comprehendendas, fit transitus. Hæ sunt numero septem, quibus suis locis, quæ erãt de Natura, de Moribus, & alia quædam inseruimus: ut ita ingenuarum disciplinarũ, atque ex libera quodammodo mente, liberaliũ orbis quidam, Encyclopædiam nominant, compleretur: quæ maioribus cognoscendis utilissimè inseruiunt, quorum peculiaris est professio. Itaque supra maiorum memoriam, cum Principum auspicijs ad tradendas disciplinas, magnis prœmijs & honoribus propositis, studiosi homines inuitarẽtur, factum est, ut ex omni doctrinarum uarietate, quas ueteres multiplicibus studijs locupletatas reliquerũt, literis excultioribus, summo rerum incommodo oppresis & obscuratis, tres potissimum supremæ Facultates, & amplissimi ordinis disciplinæ à nostris habitæ, quarum expeditus esset, & necessarius in omni uita usus, deligerentur, atque ad publicam exercitationem accommodarentur: in quibus ijsdem cognoscendis, iustus labor, & iustum studiũ nominatim collocaretur, ita nobis non aduertentibus, res maius indies accipiunt incrementum. Eædem tres sunt quasi quædam coagmẽtatio eorum omnium, quæ à principio huius historiæ Vniuersitatis rerũ tractata sunt, quasi quædam è multis facta conclusio, atque (si dicere sine cuiusquam reprehensione liceat) superiorum perfectio. Nam ut Medicina totius Naturæ historiam, in qua latissimè uersetur, sibi ascripsit: eadem prorsus ratione Iurisprudẽtia, eam quam Naturæ subiunximus historiam, Prudentiæ omnem, non prætermissa ea quæ est Principatus, complectitur. Tertia & postrema est Theologia, ad quam unam nõ modò superiores, perinde ac ministræ referuntur: sed etiam quæ sunt de Sapientia, hoc quarto libro, quæq; de Literatura, consequenti tractata. Est enim uera in primis, & solida Sapientia. Itaq; si alium ab hoc nostro ordinem quis instituerit, ad Vniuersitatis rerum doctrinam comprehendendam, non malè poterit uti partitione hac triplici, &

omnia

omnia ad hasce tres facultates conuenienter reuocare: siquidem uix quisquam est eorum qui literas tractāt, quin aliquam ex his tribus non seligat, ad quam præcipuè sua studia, suosq́ conatus transferre uelit. Quibus iustißimis de caussis, seruata tēporum serie, quantum mediocri iudicio & cōiecturis, à nobis attentius hæc considerantibus, fieri potuit, ad hunc ultimum locum, licet primis etiam temporibus, in maximo usu fuerint, consultò reseruasse uidebimur. Hic nemo alicuius iudicij non uidet, patefaciendo huic ordini necesse me habuisse, ea paucis attingere, in quibus etsi non sim multo studio & exercitatione uersatus, tamen mihi fuerint consulendi scriptores, qui in quoque genere doctrinas monimentis literarum consignarunt. Quæ eadem ut poterit ex his, aut periculo facto, quiuis intelligere, scribentem sæpius ab eiusmodi instituto me reuocarunt. Sed bona spes me semper fouit ac tenuit, persuasum habens, è multis non defuturos aliquot candidi animi uiros, qui cum sciant uniuersam hanc rerum cognitionem à quoquam homine non esse requirendam & expectandam, in his legendis sint animo constanter retenturi, me hoc tenui scripto non aliud professum, quàm ordinis aliquando constituendi rationē: quæ explicari satis non potuisset, nisi laboriosè excutienti scripta diuersi generis, ut perpetuus rerum omniū cursus ita continuaretur. Quocirca non prius mihi ad hæc instituta breuitate tractāda ueniendum, quin ab harum trium disciplinarum nostræ memoriæ laudatißimis professoribus petendum sit, ut per eorum beneuolentiā liberè mihi liceat hunc rerum cursum, sicuti à me cœptus est, conficere. In quibus disciplinis si quid fuerit offensum, quod satis prouideri meis solius studijs non potuit, id amicè & benignè emēdent, neque me existiment uoluisse temerè in alienam professionem irrumpere: sed continuatæ orationis ductum fuisse sequutum, ut tolerabilius mihi uideretur, aliqua eiusmodi proponere, ne interrupta esset Vniuersitatis rerum ordinis peruestigatio, quàm immodico reprehensionis metu hæcce omnino prætermittere. Protinus igitur ut erectæ sunt tota Europa frequentes Academiæ, fuit illud admirabile, quanta breui & discentium & tradentium exorta sit multitudo: quantisq́ ingenij contentionibus, instauratis pòst literis, nostri homines in ijsdem amplificādis, locupletandis, quasiq́ ad summum perducendis, elaborarint: ut prꝩter cæteras doctrinas, tres hæ facultates, libris multiplicibus conscriptis, creuerint in immensum. Corpus itaque humanum, in tanta Naturæ nostræ imbecillitate, non aliter quàm ipsum mare, perpetuis & turbulētis quibusdam fluctibus est expositum: *Medicinæ usus necessarium.*

ita uarijs morbis, naturalem illam integritatem corrumpentibus, exagitatur: ut his incommodis uitandis, principiò homines salutis suæ studiosi, magna audacia adducti, & necessitate impulsi, omnia præsidia ac remedia quęsierint, ex his quæ totis terris intus & extrà gignuntur. Inde ut quæque amicis & propinquis benè successisse, aut casu aliquo, sicuti tradũt, profuisse deprehenderunt: ita sunt ad necessarios usus, quo similitudo, perinde ac Historia, deinceps salutaris esset, prudenter conseruata. *Experientia.* In his magnis conatibus cum uersarentur, Experientiam, quam uocant, acquisierunt: quando ita plurimum referebat, propter cõtinentes morborum difficultates, quo illa extarent, & uiri periti passim haberentur: unde factũ, ut per manus multa adiumenta periclitatione quadam adinuenerint. Grauia diuersis temporibus inciderunt, priusquã ars suis partibus constitueretur, alijs in cognitione & exercitatione artis aliter sentientibus. Erant qui solis experimentis niterentur, alij tantam uarietatem paucissimis prȩceptis in genere conclusam exerceri posse contendebant: hosce Methodicos appellarunt, illos uerò Empiricos. *Certior artis constitutio.* Sed cum utriusq; partis in sanandis corporibus (ita progrediente ætate, superiorũ errores à posteris corriguntur) exercitatio minus tuta & salutaris deprehenderetur, consequuta est diligens ipsius artis tractatio: quandoquidem tempore, loco, ætate, conditione, alijsq; rebus commutari multa uiderunt: in quibus ne deciperẽtur, & complures in manifestum uitæ discrimen, perniciosa quadam ignoratione uenirent, à uiris maximi iudicij prudentissimè intellectũ, rationibus illa ipsa quę diu multumq; experiundo cõsequuti fuerant, debere confirmari, & rationes easdem, quas prȩstantissimis doctrinis adiuti cognouerant, longo usu atque exercitatione, ad perfectam scientiam, esse cõprobandas. *Medicina quid.* Igitur ea disciplina de tribus, quæ sunt in uita necessarij usus, est introducta, corporis humani bonam, firmam, ac integram ualetudinem sustentans atque conseruans: & eandem diuersis de caussis affectam, uitiatam, corruptam, amissam, corrigens atque instaurans, Medicina, quandam Agriculturæ rationem proximè referens: quæ ut illa sanis corporibus alimenta, sic ægris sanitatem hæc promittit. Quocirca Medici è Physiologiæ spacijs progressi, notatas in omni uarietate Naturæ multiplices caussas, discrimina elemẽtorum, in debita rerum compositione, & dissimilium qualitatum certas rationes hauserunt: ut separatim suo muneri conuenientia tractantes, artem hanc, quam habemus, uitę mortalium salutarem, ab eiusmodi incrementis optimè cõstituerint. Huius cum sit hu-

ſit humanum corpus perinde ac theatrum, in quo ſuum negocium agat, & tota uerſetur, *[Corpus humanum.]* ſolers Medicus in perdiſcenda arte, delecto cadauere, totam illam corporis fabricã aperire, diſſoluere, *[Anatomia.]* patefacere, luſtrare, ſui muneris eſſe ducit: ut quæ ſint illæ partes, alimenta reliquo pręparantes corpori, & ſubminiſtrantes, uerius cognoſcat. Itaque omnium ſitum conſiderare ſolet, Naturam, nexum, colligationem, communitatem, conſenſionem, conformationem, generationem, motionem, numerum, figuram, magnitudinem, ſimilitudinem, uicinitatem, colorem, omniumq; expreſſam uarietatem: quem uſum prębeant, quod ſit officium, quibus offendantur, conſeruentur, atque retineantur: nihil tam minutum aut puſillum prætermittens, quod ad uniuerſam illam coagmentationem artificioſiſsimã facere poſſit. Eadem corporis humani cõpages ex Naturis quatuor, Humores *[Quatuor humores.]* dicuntur, ſanguine ac pituita, bile utraque, flaua & atra, conſtat. His concordibus inter ſe, & naturali beneuolẽtia conſentientibus, ſana ſunt corpora: ſed cum diſsident, quaſiq; bello inteſtino conflictantur, illis collectis, cõcretis, deficientibus, aut redundantibus, pręter alia, cõſuetis uitę actionibus obeundis impedimẽta adferunt. Morbi inde, ægrotationesq; naſcuntur. *[Morbi.]* Iam cõcoctio offenditur, languent membra, cæteraq; eiuſmodi, in omni uarietate, quam acerrimis ſtudijs cognoſcunt, atq; deſcribunt: ut cum multiplici totius corporis exagitatione, pars nulla ſit ab imis unguibus, uſq; ad uerticem ſummum, intrinſecus & extrinſecus, quæ ſuis de cauſsis peculiares morbos non habeat, quibus diuerſi corripiantur & affligãtur. Præterea ſi quæ functiones, quibus certa uis ineſt trahẽdi, coquendi, *[Facultates.]* retinendi, ac depellendi, læſæ fuerint, quomodo iiſdem ſalutariter ſubueniri poſsit, conſiderat Medicus: quæq; ſunt ad augeſcendum, & ad procreandum accommodata, præcipuo ſtudio perſequitur: ut uis illa naturalis, præter uitalem atque animalem, tota conſtet, atq; perſpiciatur. Horum nonnullam tractationẽ, pro inſtituti breuitate, ſuis locis omni Naturæ hiſtoria aſperſimus. Itaq; cum morbi uis diutius graſſatur, non mo- *[Morbi indicia.]* do continentibus ægri querelis, cuiuſmodi actiones uitiatę intus ſint, cognoſcitur, uerùm etiã uultus & facies quaſi loquuntur. Inde morbos, quadã ſucceſsione, Symptomata conſequuntur. Iam micantes arteriæ, morbi quidam indices, pulſu tardo, concitato, ſtabili, commutatam à ſolita & naturali ſede conſtitutionem produnt: multiplicia ſomnia quatuor humorum rationem diſcernunt: ſordes diuerſi generis, è quibus urina, colorum ac rei ipſius uarietate, multa præter difficultatem morbis

Prudentia Medici. similia repræsentant. Quibus perspiciendis cumulatè instructus Medicus, nihil relinquens eorum quæ instaurandæ ualetudini prodesse possunt: initiò communiter ex regionum situ ac Natura, temporumq; anni ratione, accedētia obseruat: pòst nominatim quæ in quoque sunt cognoscenda, solet sciscitari, consuetudinem ualentis, ætatem potissimum, & conditionem: uires inde, ác corporis præsentem constitutionem, exquisitè intuetur: quo ad horum uarietatem omnia moderari, & conuenientia adhibere posſit. Consequutura utiq; longè antequam eueniant, suis rationibus, scientia & exercitatione comparatis, *Caussæ.* peropportunè præuidet. Caussæ ex his morborum omnium, quæ summa est & singularis Medici Prudentia, atq; summum iudicium, certius colligūtur: quibus ijsdem fideliter deprehensis, & Natura morbi accuratè cōsiderata, cum magna artificis laude, & ægri salute, adhiberi medicina confidentius potest, ut humores illi quatuor, discordes ac peccantes, in suū quendam, & eum Naturę nostrę conuenientem concentum reducantur. *Simplicia.* Quocirca ex omni illa multiplici supellectile eorum, quæ Natura totis terris latè conclusit ac fudit, diuersi generis remedia, ad necessariam corporum sanationem, ingeniosè pręparantur: longa rerum lustratione, etiam periclitatione edocti, quæ ex omni uarietate uim habent refrigerandi & calfaciēdi: hæc quadripartita qualitatū ratione, perinde ac totidem gradibus, subtiliter discernunt. Inde uarium eorum usum assequuntur, quæ molliunt, indurant, trahunt, discutiunt, aperiunt, conseruant, augent, & nutriunt. Admirabiles, incredibilesq; corū effectus & euentus uita omnis experitur atque commemorat: ut hac tanta effectricis Naturæ ui deprehensa, etiā grauisſimè sæuientibus uenenis, salutaria protinus remedia opponantur. Itaque *Medicamenta.* uictus ratione præscripta simplicibus eiusmodi Naturis, scienter & uariè inter se cōpositis, quæ haurienda, sumenda, accommodanda, pro Natura morbi adhibito modo, proponit: ut ita illius caussas subtrahat, amissum calorem naturalem restituat, aut immodicum & grauem æstum restinguat. siquidem proui di, exercitati, & diligentis est Medici, redundantia, quæ imbecillis Natura nō potest, arte minuere & demere, quæq; eadem morbi difficultate oppressa appetit, conuenienter & opportunè subministrare. Et ad eam rem contraria medicamēta ijs quę corpus affligunt, prudenter obijciuntur, ut in eo cōflictu euincant. Leuia & simplicia primùm, quasi quædam blandimenta, atque dulciculas potiones, ne repentè corpus lacessatur, cum sint medicamenta plerunq; stomacho inimica. Inde ab uniuer-

salibus

ſalibus cuique morbo nominatim conuenientia exquirunt: detractione interim ſanguinis contumaces humores auertere ſoliti. Poſt ubi illa minus iuuant, grauioribus morbis ancipites, periculoſas, & uiolentas curationes adhibere coguntur. hac in morbi difficultate plures Medici cõueniunt, ut communibus ſententijs ſaluti ægrotantis multo certius conſulant. Diligens circa obſequentem ægrum cura, quid agat, quæ ſomnia appareant: quę uis morbi naſcentis, uenientis, atque ingraueſcentis: quæ inclinantis, abeuntis, & ſeneſcentis. Etiam ex quadam rerum cœleſtium cõſenſione (ut tradunt) cum his terrenis, prouidet, quo ita hoc ſuum negocium procedere intelligat. Sed in diuturnis morbis, ac inueteratis, qui nulla Medici ope profligari poſſunt, inquiruntur minuendi doloris & ſedandi præſidia, quæ maxima ex parte in moderata ac tenui uictus ratione ſeruanda conſiſtunt. Abeuntem morbum ſenſim depellit, idq; tam conſideratè, ut quantum humano ingenio cõſequi poteſt, nulla morbi ueſtigia, quæ maximè periculoſa ſunt, relinquantur. Nam grauius ægrotant ij, qui cum leuati morbo uidentur, in eum de integro inciderunt. Itaq; conualeſcentibus certa ui- *Victus ratio.* ctus ratio præſcribitur, pars Medicinæ longè utiliſsima, quæ magni eſt in omni uita ægris & ſanis momẽti: cum pro notitia ſui corporis, diligens eſt obſeruatio earum rerum, quæ res aut ad ſanitatem prodeſſe ſoleant, aut alimẽtum morbis quodammodo præbẽtes obeſſe. Nam aeris, cibi ac potionis, ad bonam ualetudinem ſuſtentandam, cuiuſque Naturæ, quatuor ex humorum generibus diſcretæ, cõueniens fit delectus. Eadem Natura neceſſarijs uires ac robur concipit, ſuperuacaneis langueſcit, debilitatur, & opprimitur. Itaque à concoctu grauioribus, ne qua conſequatur cruditas, prudenter abſtinetur: opportuna uentris ſoluendi facilitas quæritur: atq; nimium corpus diſſoluentes, & omnẽ animi uim frangentes deliciæ uoluptatesq; prętermittuntur. Inde ſaluberrimum eſt, immodicis affectibus *Affectus.* ac perturbationibus moderari, quibus ſolis corpus multum diſtrahitur & affligitur: ut alacritate & hilaritate, utriuſque partis uires, animi corporisq;, in debito ſtatu conſeruentur. Præter lauationes, frictiones, & unctiones, quæ in maiore uſu uete- *Exercitationes.* ribus fuerunt, idonea inambulationum, exercitationum, & laborum multiplicia genera commodè adhibentur. Sunt etenim ſalutaria ciborum condimenta, quibus caloris bonitas excitatur atque augeſcit, quo & excipiendis & conficiendis cibis paratum ſit corpus, uitioſa nimium exagitantia diſsipentur, ac totius corporis uires ad diuturnam incolumitatem omnino ſta-

biliantur & retineantur: nulla quippe est commodæ ualetudinis firmandæ accommodatior ratio, & conuenientior. Atque huic communiter necessariæ (ut sua unicuique chara est uita) *Medicinæ professio.* Medicorum arti confirmato omnium temporum iudicio, maxima semper fuerūt proposita præmia, & honores publicè exhibiti: quibus nobilissima ingenia, in conquirendis passim salutaribus hominum uitæ remedijs, diu multumq́ excitata sunt, & retenta. Hac eadem occasione quamplurima in omni rerum naturalium uarietate inuestigarunt & deprehenderunt: ut accuratius abditas inuolutasq́ Naturæ caussas, maxima hac exercitatione patefecerint, ac pleraque diligentius ab eruditis Medicis tractata legantur, quàm ab ijs qui nominatim doctrinam de Natura profitentur. Ex his satis cognosci potest, quod modò diximus, has extremo loco à nobis positas facultates, quandam esse coagmentationem superiorum trium à nobis constitutæ totius Vniuersitatis rerum partium. Qui enim cōsequuntur Iureconsulti, ordine non commutato, Prudentiam, in qua *Iurisprudētia.* suum munus exercerent, sibi delegerunt. Altera igitur è tribus disciplinis, quæ sunt ad uitam moderandam necessariæ cognitionis, est Iurisprudentia, qua in coercendis hominum cupiditatibus, ut æqualitatis sit ad priuatam & publicam incolumitatem tuendam conseruatio, usus est longè maximus. Eadem, ut *Ius naturale.* altius aliquātò eius primordia repetamus, ex primo illo nobis ingenito, & maximè cæteris etiā animantibus, ut scribunt, communi sensu, posito in sui atque suorum propagatione, conseruatione, & defensione, progressa: Ius Naturale dicitur, ad inchoatas diuinitus, bonitate Naturæ, in animis nostris constantes & sempiternas intelligentias, deducitur: è quibus, quoniam ad Iustitiam nati sumus, boni, ueri, recti, & æqui præcipuū studium emanat, praui atque iniqui declinatio: quod commune *Ius gentium.* omnibus gentibus sit, Ius Gentium, humanum, etiam naturale appellatur. Quorum omnium admonitu, & cōmuniter recta impellente ratione, cum longius praua consuetudine in faciendа iniuria homines deflecterent, cōsilijs prudentum ac sapientum, accedente etiam uoluntario multitudinis ad obtemperandum consensu, factum est, ut animi ad primæ Naturæ integritatem, uitæ in maxima rerum tranquillitate, iure æqualitatis con*Consuetudinis iura.* seruato, transigendæ gratia, reuocarentur. Atque ita omnium temporum memoria, cum ius aut moribus, aut legibus sit constitutum, magnis in populis alij exercitatione ciuili maiorum suorum instituta, ac ritus publicos, morum consensu, longisq́ temporum spacijs firmatos, constanter retinuere. Eadem per

manus

manus ſeruata,hoc Conſuetudinis iure apud eos,parem ijs quę ſcripta ſunt,uim atque autoritatem habuere. Alij Principatus, *Leges.* maioribus literarum uſi præſidijs, cum minus multos ſingulis ætatibus exoriri cernerent,quorũ Prudentia,multo rerum uſu comprobata,publicæ & priuatæ ciuium ſaluti conſuleretur,Leges,quas ſeruarent,ab iiſdẽ deſcriptas accepere:ut una eademq; uoce, Magiſtratus autoritate confirmata,ſemper loquerentur. Ex legibus aliæ permittunt,aliæ uetant,aliæ puniunt:ut improborum audacia,& uitioſæ affectiones coerceantur, ac uindicari ab iiſdem innocẽtia poſsit: ideoq; præmium bonis,pœnam malis propoſitam habent. Horum multiplex tractatio,Ius Ciuile *Ius ciuile.* & Legitimum nominatur. Itaque in Principatu bene morato, beneq; conſtituto,ad legum pręſcriptũ,iura conſenſu omnium ſancita retinentur: è quibus Publica alia ſunt,alia Priuata. Hæc eadem priuata iura, ad ſingulorum ciuium ſocietatem firmandam,conſeruandam,atque muniendam,introducuntur. *Priuatum.* Protinus igitur ut contractæ ſunt legitimæ Nuptiæ, quæ prima eſt *Perſonarum diſcrimina.* conſtituta diuinitus ciuium coniunctio, & naſcentis Reipublicæ ſeminarium,proles ſuſcipitur.Conſtabat olim,ut eſſet Perſonarum diſcrimen, è Seruis uel natis uel factis alia, alia è Liberis, cum ſubeſſe ſeruos,& pręeſſe Dominos,expedire uideretur.Liberos faciebat ex iuſta ſeruitute Manumiſsio, & Libertini dicebantur: ſed maximè ij liberi erant, qui iam ab ortu Ingenui nominabantur. Iam uerò liberi naturales Patribus familiarũ ſubſunt: & cum deſiderantur, iure Adoptionis & Arrogationis in familiam alieni recipi poſſunt. Defunctis uerò parentibus, Pupilli relicti, ad pubertatis tẽpus adminiſtrationi Tutorũ, quos ex propinquis deligunt,ſubijciuntur. Inde ſunt minores, & alij aut prodigi,aut corpore ægri,aut mente capti: quibus,cùm minus rebus ſuis utiles eſſe intelliguntur, ſubſidio Curatores dantur. At iuris ſui fiunt liberi, præter alia, Emancipatione à patria poteſtate liberati: aut iuſta iam ætate,corpore ualentes,& ſenſibus integris, à Tutela & Curatione prorſus explicati. Conſequentibus deinde temporibus,alia quædam,præter hæc,perſonis acceerſita iura: ut eorum qui publica munera obeunt, Immunitates,& diuerſis de cauſsis præmia legum conceſſa, quæ inde Priuilegia dicuntur. Item militaria beneficia Nobilitatis, quæ Feudorum (ſic enim nominant) ſcriptis continentur. Itaq; multiplicatis ad perpetuam illam generis hominũ conſeruationem matrimonijs,familiæ diuerſæ proſeminantur,& legitimè ab iiſdem perſonis res acquiruntur,ac poſsidentur. Nam cum initijs *Rerum communitas.* temporum,priuata nulla,ſed rerum quędam Naturâ uideretur

eſſe

esse communio: pòst gentium firmata consuetudine, cum alij, ueteri occupatione, quondam in uacua uenissent, aut bello, lege, pacto, conditione, sorte, cæterisq; modis, alicuius esse incœpissent: ne cui ulla fieret iniuria, & maximè ad uitandas improborum iniurias, prudentißimè institutũ, simul & à consequen-

Diuisio. tibus retentum, ut ex omni Rerum, quæ latißimè patent, multitudine, ad usus hominum accommodata, Communes aliæ haberentur, ut aer, aqua, mare, ac littus: aliæ Publicæ, ut flumina, ripæ, ac portus: aliæ Vniuersitatis, ut theatrum, ac forum: aliæ Nullius, ut res sacræ, sanctæ, & religiosæ: aliæ Singulorũ, quæ propria & priuata sunt. Res etiam considerarunt corpore constantes, quæ tangi possunt, ut fundus, ædes, aurum, uestis: aut quodammodo extra corpus sitas, cuius generis Seruitutes, V-

Acquisitio. susfructus, Vsus & Habitatio numerantur. Prȩter multiplices Iuris gentium acquirendi Dominij rationes, consultò inter ciues longo rerum usu & tractatione, suis de caussis firmatas, Iure ciuili etiam constitutum, ut ne incerti essent rerum domini, Vsucapione, & Præscriptione, aut Donatione, legitima acqui-

Testamenta. sitio fieret. Sub extremum uitæ tempus, communi impellente humanitatis affectu, nostram uoluntatẽ, post mortem uim ac ius habiturã, ne quid diuersum fiat, scriptis & Testamento consignamus: quod hominum consensu, priuatis in rebus, tam est firmum, quàm lex ipsa in publicis. Et in uniuersum liberos, aut qui nos iure aliquo attingunt, quorumq; commodis & conditioni prouisum uolumus, hæredes instituimus: nominatim uerò, Legato, ac Fideicommisso. Non expressa scriptis uoluntate, liberi, aut ut quisque propinquior hæreditatis adeundæ, & successionis ius habet, ære interim alieno, si quod est conflatum,

Obligationes, iuris uincula. deducto. Itaque in hac multiplici hominum uita, diuersis rationibus, necessaria rerum commercia interueniunt, in quibus (ut sunt cuiusque ciuitatis instituta) rei alicuius soluendæ necessariò astringimur: hoc iuris uinculũ, Obligationem appellãt. Harum aliȩ sunt ex Cõtractu, Rei, in mutuo, indebito, cõmodato, deposito, & pignore: Verborũ, ex interrogatione atq; responsione obligatio, quæ Stipulatio dicitur: Literarum: Consensus, in emptione, uenditione, locatione, conductione, societate, & mandato: quæq; his similia à iure disponuntur. Aliæ ex Malefi cio, ut furta, rapinæ, iniuriæ, damnum datum, & similia his à iu

Actiones. re descripta. Ex horum omnium maximè uaria ciuium inter ciues negociatione, litium atque controuersiarum origo est in ciuitate. Quocirca maximè uarias iuris sui persequẽdi & litigandi rationes, quas cõmuni Actionum nomine cõtineri tradunt,

inde

inde suscitari uidemus. Harũ aliæ in rem sunt, aliæ in personam, aliæ mixtæ dicũtur: quæq; sunt eiusmodi, multiplici in arte contenta. His componendis, ad salutarem rerum priuatarum con- *Iudicia.* cordiam inter ciues optimè seruandam, publicis Iudicijs, legitimam iuris dicendi potestatem atque autoritatem habentibus, prudẽter res omnis transigitur. Latæ hic sententiæ, unius æquitatis, ex legum & constitutionũ præscripto, habita ratione, omnibus est acquiescendum. Cuiusmodi uitæ in omni tranquillitate agendæ institutis, longo temporum usu, & multiplici tractatione firmatis, optanda ab omnibus ciuiũ æqualitas inter se retinetur. Sunt hæc quidem omnia iuris Priuati maximè, sed quæ Publico iure continentur, non prætermitti debere, cum sint ma- *Publicum ius.* ximi in Republica usus, à prudentissimis hominibus uidentur: siquidem rationes in uniuersum constant, quibus ciuium communitatem tueri, & statum rerum optimũ retinere possimus. Est enim Iurisprudentiæ pars prestantissima, quæ latissimè diffusa, non solum ex præclarissimis Iureconsultorum scriptis cognosci potest, aut Philosophorum, qui de morum disciplina, ac potissimum de Republica diligenter accuratéq; tradiderunt: præter ea quæ sunt à clarissimis Oratoribus in grauibus caussis tractata, quæq; ex Historicorum libris, à quibus status & conditio rerum humanarum, ac totius publicæ conseruationis salubria documenta, uiuis exemplis confirmata, plenissimè proponuntur. Habent enim illi maximis de rebus consultationes atq; deliberationes, quæ in uarijs temporũ difficultatibus adiumento esse possunt: tum ad omnes pacis artes retinendas, tum etiam ad bellicas res administrandas. Hæc eadem licet temporum momentis, ac locorũ uarietate commutari soleãt, iudiciũ tamen ad similia aut facienda, aut ad alia excogitãda, plurimũ informant. Atque ita ipsius Iurisprudẽtiæ in uniuersum maximus est usus, *Iurisprudentiæ professio.* quando nec tutum esset uersari inter homines: nec cuiquã, quid haberet, satis constare posse uideretur: nemo, nisi legitimis contractis nuptijs, suos liberos esset agniturus: neq; cuiquam esset compertum, quid à patre accipere, quidúe liberis relinquere deberet: pupillis ac uiduis, multorum iniuriæ ac fraudi expositis, malè cõsuleretur: ut necessaria sit, ad regnorum & ciuitatum in- *Vtilitas.* columitatem, ad domandas libidines, ad coercendas cupiditates: similiter ad uitam hominum, conseruato cuique æqualitatis iure, quietam & tranquillam retinendam: quæ ex laudandarum artiũ numero plurimum commendatur, ut cuius diuersis temporibus honoraria semper fuerit professio. Iureconsultorum nanque domus habita est oraculum ciuitatis, miserorum perfu-

gium,quorum res à potentioribus iniquè intercipiuntur, quorumq́; de uita & ſalute periculoſè agitur. Sunt enim Iureconſulti legum,morum,conſuetudinum,atq; conſtitutionum,quibus priuati in ciuitate utuntur, ad reſpondendum, ad agendum, & ad cauendum præclarè inſtructi,exercitatiq;: ut cum publicæ adminiſtrationi honorificè præſint, priuatorũ rebus omnibus legitimè cõſtitutis, publica ciuitatis ſalus optimè ſtabiliatur atque cõſeruetur.

Sobriè ſapere oportere.

Quoniam uerò ex tam multis,quæ iam à rerum primordijs, ad hæc perpetua oratione deducta, propoſuimus, uaria hominum ſtudia, & multiplices ingeniorũ contentiones, cognitionis rerum comparandæ gratia ſuſceptas, pro huius inſtituti ordinis ratione,ſumus breuiſsimè perſequuti: ad eũ tandem finem omnis animi uis conuertenda, quo ſanctè admonemur,rebus in omnibus modum eſſe tenendũ, altiora præter humani ingenij uires non temerè perſcrutanda, ſobriè modeſteq́; de rebus eſſe ſentiendum: ut cum maxima ſupremi Dei conſilia ſatis non poſsint ab hominibus comprehendi,nimia hæc diſcendi cupiditas atque curioſitas,quodam cõuenienti temperamento ſiſtatur & conquieſcat.

Theologia.

Ventum igitur, longis emenſis itineribus,ad eam doctrinam,quæ data initijs temporum diuinitus, prouecta longius, ab integris & ſynceris mentibus ſanctiſsimè eſt retenta atque conſeruata. Quandoquidem ab ortus noſtri principijs,communiter impreſſa animis omnium cõſenſio,quæ ut primùm cœpimus intelligentiam habere,fit manifeſta, æternam eſſe mentem ac maieſtatẽ, rerum omnium moderatricem: ut Deum autorem, hanc cœli terræq́; magnitudinem & pulchritudinem,certo conſilio fabricatam, ſingulari Prouidentia adminiſtrare,homines cognouerint: unde cuncta dimanare,ad eundem redire,in eo eſſe omnia,ſunt profeſsi.

Deus rerum omnium moderator.

Hac præcellenti omnium cognitione,orbis terrarum,quaſi quidam uiator, Homo, optimè confirmatus, rerum omnium præpotentẽ Dominum, ac unum Principem Deum, maxima reuerentia, omni officio, ſtudio,obſeruantia, & pietate prædicat: atque rebus omnibus conditis, quas ſui unius gratia generatas intelligit, ſumma cum gratulatione utitur: ſe ſuaq́; omnia illi eidem cõmittit, ut à quo omnis ſalus & incolumitas, magna in genus humanum beneuolentia,proficiſcitur: ſine cuius certiſsima ope aſſequi quicquam, aut efficere non poſsimus.

Hebræorũ munus peculiare.

Ac cum illud clariſsimis teſtimonijs comprobatum manſerit, tum primis temporibus peculiari munere,Hebræorum populo luculentiſsimè patefactum cognoſcimus: atque inde ab Hebræis, ad cæteras uariè per orbem diſperſas gentes,cõſimilia quædam, ſed temporum iniurijs corrupta,

dima-

dimanaſſe. Principio igitur rerum, graui communis parentis Adami lapſu, inobedientia, & à diuinis monitis atque mandatis declinatione, uniuerſum genus hominum deinceps eodem præcipiti caſu, peccato in mundum importato, & morte conſequuta, multum à priore ſtatu receſsit. Patres inde progeniti, ac diuinitus ſanctiſsimè informati, uitiatam atque collapſam Naturam, propagationi ſtirpis aliquãdo reſtitutam iri, ueriſsimè præſenſerunt, & futuræ ſoboli præſignificarũt. Auctiore itaq; populo Iſraelitico, grauiſsimis cupiditatibus coercendis, Moſi de cœlo data Lex, duabus in tabulis, decem uitæ in omni integritate agendę documenta pauciſsimis pleniſsimè comprehendens. Ac prima quidem de pio cultu Dei, altera de cõmuni ſocietatis hominũ conſeruatione atq; conuictu tradit: proſpera omnia ijs, qui ad harum præſcriptũ uitam ſanctè informarint, promittũt: ſed calamitoſa ijs, qui tranſuerſis acti cupiditatibus, contrà fecerint. Inde ea Reſpublica præclaris inſtitutis, ſacris, atq; ciuilibus, maxima rerum accepit incrementa. Difficillimis uerò tẽporibus, diuinitus ſuſcitati Vates & Prophetæ, qui uariè afflictum populum aſsiduè cõfirmarunt. Legem illi ſtudioſè ac purè ſunt interpretati, & ſalutaribus documentis præceptiſq; locupletarunt. Res autem longis poſt tẽporibus ſequutas, conſentientibus & cõcordibus inter ſe animis, teſtimonijs, atque ſententijs, euenturas multo antè ſenſerunt: & de gerendis, non aliter quàm res geſtæ deſcribuntur, clariſsimè pronunciarunt. Communibus igitur omniũ uotis atq; deſiderijs expectatus Ieſus Chriſtus, ſanctioris Spiritus ſatu ex uirgine Maria, diuinitus ſalutatione cõfirmata, naſcitur: populis omnibus conquieſcẽtibus, à ſupremo patre Deo, inſtaurationi collabentis generis hominum, in terras, ad patefaciendam ipſius uoluntatem, demiſſus: qui non Legem modò comprobauit, uerùm etiam præcellentis Euangelij, læta omnia futura promittentis, acceſsione, atque præſtantis & reconciliatricis Gratiæ ſupplemento, diſſoluta primi parentis offenſione, primæ integritati uitæ nos reſtituit. Hanc eandem ſalutarem doctrinã, immiſſo piorum animis rectarum actionum gubernatore optimo, ac ſanctiore Spiritu, firmatam, qua nos arctius filiorum loco, iure adoptionis coniungeret, orbi terrarum uniuerſo cognoſcendam, proferendam, & conſeruandam propoſuit. Itaq; cum eadem Lex diſciplinis Hebræorum confuſa eſſet, & perturbata, purius hanc eſt interpretatus. Non oculos ſolum, aut ſermonem, & manus abſtinẽtes: ſed quod maius fuit, perinde ac euulſa mali totius radice, mentem, cogitationes, atque uoluntates,

Adami lapſus. *Lex Moſi data.* *Prophetæ.* *Chriſtus.* *Euangelium.* *Gratia.* *Sanctior Spiritus.* *Legis interpretatio.*

integras & incorruptas ab ijs terrenis omnibus esse uoluit: ut ijs admoniti, & frugalitatẽ amplexi, prauos affectus, uitiosasq; cupiditates seuerissimè coercendas intelligeremus: quo in illustri exemplo esse, & uitæ innocentia, nulla communis societatis hominum offensione, alios inuitare, atque omnibus officiose prodesse possemus. Intelligentes, magnis in delictis facilem esse, & paratum, ad gratiam Dei obtinendam, reditum: ac improbos, malo spiritu assiduo impulsore, grauia subituros: probis uerò, hortatori bono Spiritui, ad rectè uiuendũ acquiescentibus, singulari benignitate, miseratione, & clementia delictis condonatis, uitæ perpetuitatem esse propositam. Itaque Christus, maximis rerum documentis proditis, illustres & salutares futuras significationes, quas animis uerè in illum conuersis, retinere & perpetuare oporteret, reliquit. *Baptismus.* Ex his primo ingressu, sanctiore tincti aqua, ueteris illius hominis statum, uitiatam & corruptam ab origine Naturam habentis, eluentes, renasci inde, renouari, atq; sanctissimæ huic Christi religioni omnes initiari uoluit. A' salutaribus eiusmodi primordijs, ætate intelligentia comparata, animi pueriles sanctis atque præclaris uitæ degendæ institutis, & precibus conuenienter informãtur, quarum perbreuem formulam cunctis proposuit ediscendã. Sed ut eorum quæ in nostra omnium redemptione acerbè grauiterq; passus est, recordemur, *Resipiscentia.* puritatis atque integritatis mentis antè habita ratione, de commissis à nobis delictis pœnitentes, *Eucharistia.* maxima reuerentia sanctiorem illam Eucharistiam communibus animis celebrandã præcepit. Iam uerò legitimæ coniunctionis maris & fœminæ, *Coniugium.* diuinitus introductæ & firmatæ, datam semel fidem, constantissimè esse seruandam tradidit. *Magistratus.* Magistratuum autoritati honorem ac reuerentiam habendam, ut totius communitatis (quod est maximum uitæ huius in terris bonum) æqualitas retineatur. Ac omnis disciplina est paucissimis capitibus arctissimè conclusa: ut in optimam, eandemq; firmissimam *Spes.* Spem, excellentum promissionum, quas salubrium documentorum studiosis maximas fecit, omnium animi erigentur. *Fides.* Tum certissima Fide, assensione, & fiducia, de ijs omnibus quæ ad salutẽ nostram, prodita à Christo cognitione, pertinent, ijdem animi optimè confirmentur. Fidei articuli ex uniuersa doctrina, ut constare & cõseruari possint, breuissimè excerpti, ad cognoscendum & ediscendum proponuntur. Inde *Charitas.* maxima & præstantissima uirtutũ Charitas, qua unum Deum grata animi beneuolẽtia, ardenti amore, & summa pietate prosequimur; atque illius eiusdem gratia, omnes homines, fratris

ac sui

ac sui ipsius loco, inimicos etiam nullo modo auersantes, amantissimè esse diligendos, admonemur. Hac mutua Charitate uniuersitatis legum, & uaticinationum omnium, superiores communi quodam beneuolentiæ uinculo in sese comprehendente, totius contracta est doctrina. Atque ita rebus ad Christianæ religionis præscriptum salutariter compositis, & uita omni conuenienter accommodata, dissipatio atque interitus rerum conditarum expectandus, & Iudicij extremus dies, ad quem omnes populi, actorum omnium in hac uita rationem reddituri, corporibus iterum diuinitus assumptis, euocabuntur: ut improbi ad perpetuos & graues inferorum cruciatus relegentur: boni uerò & pij, in promissione, locupletissimis testimonijs à Christo facta, perpetuitate animorum perfruentes, felicissimè conquiescant. Huius doctrinæ tradendæ, proferendæ, atque conseruandæ, Theologorum sanctissima est professio: qui perceptis fideliter documentis omnibus, eloquendi facultate comparata, & sanctiore Spiritu firmata, quo disiunctos locis & temporibus docere possint, scripta relinquunt, sacra administrant: & populum frequentem, uitia seuerissimè persequentes, sacris concionibus publicè informant, ad pietatem inflammant, atque delictorum uarietate afflictas acerbius cōscientias prudenter & opportunè confirmant. Eruditas disputationes instituunt, quarum sit difficillimis temporibus usus: ut cum graues dissensiones et controuersiæ inciderint, facto communi piorum concursu, eædem ad maximam rerum tranquillitatem retinendam, summoueantur. Cœlestis est hæc doctrina, salutaris, sempiterna, atque immutabilis: qua solidior, purior, & perfectior Sapientia omnis de cognoscendo, deque colendo Deo, continetur: ad quam unam uitæ huius terrenæ omnes actiones, & cæteras ingenij artes, rectæ uiuendi rationi pertinentes, proposito huic fini deductas, homini uerè Christiano accommodare expedit: ut hac meliore sententia communibus animis firmata, explosis ab eadem alienis Philosophorum placitis, nihil ex his in omni genere laudabile, sanum, aut uerum ducamus, quod non eidem cōueniens sit, & in primis consentaneū iudicetur. Quocirca perbreuem hanc disciplinarum omnium progressionē confecimus: quas easdem plenius aut accuratius tractare, eorum est munus, qui nominatim hæc maximis studijs, in omni doctrinæ uarietate, laudabiliter profitentur. Consilium meum hoc fuit, mediocri hac diligentia, in uniuersum ordinem quendam naturalem, historica ratione expressum, inquirere: atque eum doctrinis omnibus, supremis illis capitibus, Naturæ, Prudentię, atque Sapientiæ reponendis

Supremus iudicij dies.

Theologorum sanctissima professio.

Salutaris doctrina.

accommodatum: quod si minus sim consequutus, beneuolè, amicè, benignéq; hæcce mea scripta legentes, conatum, uoluntatem, atque studium non defuisse cognoscent. Itaq; cum acerrimis studijs literati homines doctrinas in uniuersum delibauerint, quod semel faciendum præcipiunt, idoneum, liberale, & intelligens de rebus iudicium comparaturo, illa tum excitatur ingenua sanè & laudabilis cogitatio, ut eius beneuolentiæ memores, qua priores adducti, omnis generis disciplinas in maximū posteritatis usum adinuenerunt & tractarunt, ea perpetuis literis mandare conentur, quæ quique in suo genere nominatim elaborarunt. Naturali quippe instituto, cum docere amplius uiui non possint, fructuosum illud est, ne laboriose, & longo studio deprehensa, atque multis lucubrationibus obseruata pereant, eadem in communi totius Literaturæ thesauro, ad omnem diuturnitatem reponere: ut mortui cōsequuturos quosque, etiam longissimis locorum spacijs disiunctos, informent & adiuuent. Factum inde multis in omni scriptionum genere studiosè contendentibus, ut rerum maximarum uaria atque latè dispersa cognitio, infinitis uoluminibus contenta, & à primordijs temporum, ad hanc memoriam (ut deinceps consequenti historia Literaturæ explicare uolumus) magno generis hominum commodo translata, fideliter conseruetur.

Rerum & doctrinarum scriptores.

QVARTI LIBRI HISTORIAE Vniuersitatis rerum, qui est de Sapientia,

FINIS.

EXCVR-

EXCVRSIO AC TRANSITVS EX HISTORIA SAPIENTIAE, IN EAM QVAE HVIC EIDEM PROXIMÈ EST CONIVNCTA, QVAÉQVE DE LITERATVRA INSCRIBITVR.



OTERANT AD PLENAM SVIS partibus scribendę Vniuersitatis rerum historię sententiam patefaciendam, hæc quæ hactenus diximus, satis multa uideri, ut plura à quoquam requirere non oporteret: nisi pars alia restaret, maximè in studijs doctrinæ usus, huic eidem Sapientiæ proximè coniungenda: quam consultò ab ipsa literarum tractatione, quibus omnes nostras cogitationes fidelissimè commēdamus, Literaturam duximus appellandam. Cui eidem quintus hic locus cōuenienter est datus, ut post Naturæ descriptionem, & hominū studia, per multas ætates confirmata, postremò illud inquiratur, quorum laudabili opera tantis incrementis eadem sunt progressa, ut singulari ueterum diligentiæ atq; beneuolentiæ magnitudini, in ijsdem laboriosè & excogitandis & tractandis, acceptū quodammodo sit referendum. Quam ad rem hoc nostri conatus documento, non ita commodè potuimus continenti orationis historicæ decursui, rerum ex alijs originem præcipuè, atque uarietatis colligationē inquirentes & explicantes, multiplicia scriptorum testimonia, quibus illa eadem comprobarentur, inserere, ac uarijs è locis huc reuocare: quod si factū fuisset, præter summam totius perturbationem & confusionem, opus creuisset in immensum. Contenti igitur hoc tempore fuimus, consequentem hanc Literatorum hominum à primordijs repetitam memoriam subijcere: ut maioris cuiusdam, & in uniuersum potiora quæcq; cōtinentis Indicis loco, nouissima hęc historia aptissimè ad finem reposita uideatur. E' qua eadem, quoniam cuiusq; professionis principes in literis uiros persequimur, ad ea comprobanda, quæ sunt libris superioribus tractata, peti possunt: & si hæc instituta ratio apud studiosos locum aliquem habeat, expeditum sit, inde ad maius hoc opus faciendum, quæ accommodata uidebūtur, mutuari. Quanquam ijs annotationibus, quas parare mihi uisum est, quædam eiusmodi, pro mediocri hoc meo studio adferrentur: ut quam quis huius Vniuersitatis rerum partē nominatim copiosius tractarit, & eadem dixerit, aut

Literaturæ historia.

Annotationes.

ritaut diuerſa ſit ſequutus, atque in dubium uocarit, cognoſcatur. Sunt enim quamplurima in omni doctrinarum genere, à maximis noſtræ ætatis ingenijs, rationib. diuerſis, atq; ijs probabilibus, ſapienter excogitata, & literis prodita. Hac autem literatorum hominum enumeratione, non prorſus ab uſitata & commendata eorum ratione, qui ingenuè candideq; in primis ſuorum ſcriptorum paginis profitentur, quorum uſi ſint opera, & à quibus profecerint, recedimus: atque noſtrum ſuſcepti huius operis negocium, quæſita hac non prorſus contemnenda, niſi ipſi fallimur, diſponendi induſtria conficimus, magnitudinem rerum immodicam cõſultò refugientes.

Huius partis utilitas.

Quare diligentius mihi in hanc partem intuenti, multũ ad literas felicius tractandas referre uidebatur, cognitum habere, & perſpectum, à quibus per tam multas ætates ſtudia doctrinarũ omnium excitata ſunt, & per quos ad hanc noſtram uſque memoriam progreſſa. Itaq; cum multi ſuperioribus ſeculis res principatuum magnis uoluminibus à primordijs repetierint, graue illud exiſtimaui, neminem, qui in uniuerſum de claris & eruditis temporibus ſcriberet, auditum mihi, & cognitũ, unde diuerſarum gentium in literis amplificandis progreſsiones uno ex loco nominatim peterentur. Nam quę in hoc genere diligenter, copioſè, accurateq; à plurimis ſunt ſcripta, enumerationem cõtinent eorum qui ex Grammaticis, Hiſtoricis, Poetis, Oratoribus, & Philoſophis, Medicis etiam, Iurecõſultis, atque Theologis excelluerint: idq; nonnunquam unius gentis, aut profeſsionis, ſeparata tractatione ſcriptores aliquot deligẽtes, faciunt. Sed ex his æſtimari ſatis non poteſt iudicium illud ſeculorũ omnium, niſi eadem ex diſperſis uariè membris, in unũ quaſi corpus, ſeruato rerum atque temporum ordine, ita colligentur. Difficultatis huius magnitudo conantem eiuſmodi aliquid in medium adferre, à perſequendo ſæpius reuocauit: nec facilè adduci potuiſſem, niſi oblata occaſione eorum quæ ſuprà commemorantur. Quocirca ad illa primùm exquirenda, quæ libris quatuor ſuperioribus comprehenduntur, poſteaquam hæc eadem Literaturę hiſtoria, hortatoris & monitoris inſtar, omne ſcribendi conſilium dediſſet, ab utraque parte uiciſsim adiutus & impulſus, experiundi ſolum inſtituto, hæc tenuia admodum propoſui, beneuolis lectoribus dijudicanda: cupiens cognoſcere, utrum aliqua ex parte uiderentur facere poſſe, ad hanc doctrinam excitandam, plenius accuratiuſq; tractandam. Neq; enim tam confidenter meum hoc ſcriptum ullo tempore propoſiturus eram, niſi præter ea quæ ab alijs tractata ſunt, licet non eo

quem in

quem in plerisque sequuti sumus, ordine, etiam accessisset postrema hæc pars, quam nemo adhuc totam aut adumbratione, aut scripto est complexus. Siquidem minimè probanda uidentur eius generis scripta, quæ nihil præter solitum adferunt, nihilq; suo ingenio meditatum. Atque hic, ut multa alia, desiderari poterit à nonnullis subtilior temporum descriptio: sed cum mihi eadem non satis constaret, quod etiam in ea parte, quę est Principatus, suprà me dixisse recordor, consultum putaui, ad primam quamque occasionē differre, ut disquisitione dignum aliquid proferatur: ne hic nimium negligentem me fuisse, plus quàm par erat, meritò quis dicere possit. Quoniam uerò hæc eadem pars de Literatura non potest nisi longa diuersorū scriptorum lectione, & multo studio cōparari, imbecillitatis conscius, ex Commentarijs, quos mihi ad hunc usum confeci, ea solum, quę in uniuersum accōmodari possent, duxi ad eam quam subijciam, rationem deligenda. Angustos nanque limites mihi hoc tempore circunscripsi, extra quos progredi non facilè possim: ut plurima prætermittantur, & ieiunius, perinde ut prima huius scripti elementa, tractentur: quæ ex nimia breuitate uitium non effugiunt, quod agnosco, ut in multis implicatus uidear, & obscurus. Satisfactū mihi erit, quod & antè dixi, illud unum si sim consequutus, ut quæ hoc suscepto consilio, pro ingenij mediocritate efficere uoluerim, ex his quę proposita sunt, cognoscatur: aut si qui fortè hoc meo conatu inuitati & adducti, ueriora atq; certiora inquirenda sibi proponant. Quod ubi fiet (neq; enim planè diffido) facilè patiar, irritos hos meos labores abijci, in quibus me lusisse operā, persæpe animus præsagiuit, cum modò edenda, modò supprimenda eiusmodi scripta putarem. Etenim cuiuis hoc meum scribendi, & ordinis inquirendi consilium attentius consideranti, poterit uideri satis uitiosum & reprehendendū, breuiter de omni doctrinarum genere pronunciare uoluisse: cum ad singula cognoscenda nemo unus, etiam multa ætate, longiore lectione, usu rerum maiore præditus & instructus, par esse queat. Hęc cum non possent satis idoneis rationibus defendi, & errore quodam mentis nimium ad diuersa inuestiganda occupatæ, factum propè uideatur: difficultatē rei perspicientes, illud saltem concessuros mihi persuasi, quod plurimi scriptores suo quodam iure sibi uendicarunt. Nam Poetæ nihil non in omni genere doctrinarum attingere, liberum esse, suis eruditissimis scriptis comprobant. Et ueteres Sophistæ, quacunq; de re quis audire uellet, confidentissimè sese dicturos profitebantur. Dialectici de omni re pro-

Quæ huius consilij ratio.

Historiæ Vniuersitatis difficultas.

Scriptores de rebus in uniuersum scribentes.

posita facultatem probabiliter disserendi sibi ascribunt, & uniuersam quandam scientiarum omnium constitutionẽ promittunt. Oratores magnis undique præsidijs muniti, delibatis doctrinis omnibus, & communi quodam rerum iudicio comparato, de omni negocio copiosè, ornateq; dicere se posse confirmant. Geographi orbis totius descriptionẽ, licet minimam ipsi partem lustrarint, acceptam ex diuersorũ peregrinationibus, plenißimè cõplectuntur. Grammatici magna confidentia omne scriptorum genus excutiendum, enarrandum, atque dijudicandum sibi proponunt. Iidem studiorum rationem in quouis professionũ ordine præscribunt, atque uoces doctrinę cuiusq; interpretantur, & in grandia uolumina referũt. Quid inde scriptorum diuersi interpretes, qui præter necessariã obscurorum locorum explicationem, ea cõmentandi occasione quęsita, multiplicem doctrinã ex omni lectionis uarietate haustam & obseruatam, unum in locum laboriosè comportant? Quid maximis studijs ij nostra memoria faciunt, qui delecto in speciem simplici, quasiq; sterili & infœcũdo negocij alicuius argumẽto, quicquid de eo dici ex omni lectionis multitudine poßit, hoc multiplici conatu persequũtur? Quid ij moliũtur, qui artes cuiusq; generis pertractant, cum nihil usquam sit in scriptoribus diuersæ professionis, quod suum non esse contendant: ita undiq; sua complent, & ad omnem securitatem cõprobant? Sed ne minores artes prætermittam, Pictores, non rerum totius Naturæ faciem solum, uerùm & ipsas quodammodo actiones & affectus uarios hominum atque animantum exprimere consueuerunt. Quid item Histrionũ ars? à quibus totius Antiquitatis mores quosdam ex historia repetitos, principum gestus, & cuiuscũq; status hominũ decenter effinguntur, licet illis temporibus non uixerint, aut nullum eiusmodi munus unquã obierint. Præter id quod in familiaribus sermonibus & colloquijs, non de uno solum rerum genere inter humillimos quosque agitur: uerùm etiam de ijs omnibus, quorum sese occasio aliqua offerre solet: ut alienũ ab homine esse non poßit, de rebus humanis in uniuersum aliquid exquirere & pronunciare. Itaq; iustioribus aliquanto de caussis Historico hoc dabitur, ut cui est institutum, perinde ac temporum contemplatori, omnium rerum humanarum memoriam (quæ quidẽ posteris maximo ad uitam esse documento poßit, & exemplo) in multas consequentes ætates transferre: quamuis illis omnibus ætatibus, de quibus scribit, non contigerit uixisse, quamuis in tam multis orbis terrarum locis non fuerit, quamuis uitæ munera omnia non tractarit: ut

Historiæ munus.

certis

certis illa conſignatã teſtimonijs, diſtinctè ordineq́ referre ac repetere, ſui officij eſſe exiſtimet. Id eò dico, ne quis fortè uitio uertat, quod tamen in his ſcribendis non effugiſſe, cõfirmatum apud me habeo, eiuſmodi excuſationibus locũ apud pleroſque non habentibus: & factum audacius putet, ſi in uniuerſum de doctrinis hæc ſit perbreuis ratio inſtituta. Quod cum multis maiorum, ut dixi, ac noſtra memoria non fuerit negatum, nihil eſt, cur tantopere mihi hiſtoriam contexenti, conſilium etiam proponenti atq; petenti, haſce primas cogitationes adferre, ſit reformidandum. Sed ut inſtitutam orationem deinceps perſequar, eadem Literaturæ hiſtoria, niſi cognitione digniſsima iudicetur, haud uideo, cur tam ſtudioſè & diligẽter doctrinarum ſcriptores protinus ab ipſis initijs earũ incrementa, & autores, qui eaſdem uel inuenerunt, uel tractarunt, repetant: ut ſi in ſingulis meritò illa commendentur, unum in locum comportata, propter uarietatẽ gratiora & fructuoſiorã, propter ſingulare ætatum iudicium, ſint futura. Itaq; ad ſtructuram hanc uniuerſam complendam, etiam hiſtoriæ de Literatura collocationem conſequi proximè debere uidebatur, ut faſtigium huic operi, quod ſupereſt, imponeretur: futurũ ita exiſtimans meliore occaſione, iuſta impetrata, & toties multis è uitæ difficultatibus à me optata ſtudijs quiete, hanc partem potiſsimũ me aggreſſurum: quando exornandæ huius, quæ obtigit, Spartæ, uoluntatem minimè in hac uita deſerendã eſſe perſuaſi. Cuius nõ alium ordinem hoc tempore ſum ſequutus, quàm eum, qui rebus geſtis deſcribendis, ratione aliqua ætatum ſeruata, eſt uſitatus: ut eundem in exponendis ingeniorum progreſsionibus curſum tenuerim, perinde ac ſi res diuerſorum populorum à me continenti oratione narrarentur. Quanquam ex uſu Rei literariæ uidebatur, ut eſt omnis profeſsionum in doctrinę ſtudijs magna diſsimilitudo, ita nominatim ab ipſis initijs, & ordine ſingula commemorare: ſed ijs de cauſis, quas modò diximus, hæc ipſa retenta temporum ratio, à nobis aptior multo uiſa eſt, & conuenientior. Ac nec in eiuſmodi hiſtoriæ parte expectanda omnium ſcriptorum, qui à primordijs uixerunt, longa & integra enumeratio: quandoquidem hoc maioris operis futuri documento, ſola genera paucis attingere, pro totius huius inſtituti, ſeruata cęteris in partibus ratione uoluimus: ut ex his reliquos omnes, qui prætermiſsi ſunt, facilè æſtimare per ſe quiſq; poſſet. Hiſtoriæ igitur de Literatura hæc ſit in uniuerſum quàm breuiſsimè repetita & adumbrata quædam deſcriptio.

Vtilis huius historiæ cognitio.

Ordo.

CHRISTOPHORI Mylæi, de ſcribenda Vniuerſitatis rerum hiſtoria, è quinque libris Nouiſsimus, qui eſt de Literatura.

PROOEMIVM.



Aemulatio.

AVDABILE IN HAC COMmuni ſtudiorũ tractatione illud eſt, quo magna ingenia uehemẽtius excitari uidemus, ingenita animis noſtris Aemulatio: cum in rectiſsima aliorum ſtudia intuentes, conſenſu omnium firmata, eadẽ proximè conſequi, pulchrum & fructuoſum omnes exiſtimant. Neque enim probari à quoquam ſatis poteſt, confidentem nimium eſſe, atq; ſecurum, ut non ad ſimilia facienda, optimis aliorum ducti ſtudijs, quaſi quibuſdam admotis ſtimulis, impellamur. Confirmatur ex his præſtans illud diſcendi, & cognitionis rerum comparandæ ſtudium: ut priorum conatibus & ſucceſſu adducti poſteri, communibus animis perfecerint, ne qua diſciplinæ pars, niſi cumulatè tractata, relinqueretur. Quorum cum tanta multitudo & magnitudo tot per illuſtres ætates creuerit, ut ſingulis comprehendendis, memoriæ hominum imbecillitas non ſufficeret, circa initia temporum, magno conſequentium rerum uſu, quæſita ſunt Literarũ prçſidia, quibus quaſi certioribus notis, præclara ingenij & doctrinæ ſtudia, in omnem perpetuitatem concluſa & deſcripta, tutiſsimè commendarentur. Hac quippe memorabili Literarum cuſtodia, quæ non eſſent habitura diuturnitatem, tanta ratione diuinitus ſeruari, cognoſcimus: ut quæ antiquiſsimis temporibus contigerunt, quæq; locis diſiunctiſsimis geſta ſunt, præſentia omnia,

Literarum præſidia.

tia omnia,& ante oculos posita uideantur: ita priores,perinde ac si perpetuò loqui possent, nobis & posteris coniunguntur: ut homines uidemus sermonẽ inter se conferre solere. Ac proinde scripta nisi extarent, præter Religionis sanctissimam doctrinam, quibus illa non potest carere, humanum genus nihil haberet eorum, quibus hæc uita multis partibus excultior redditur,munitior, atque optimis artibus instructior. Postquam igitur communibus animis illa ipsa approbamus,debitam meritamq́ue gratiam ijs habituri, qui hæc tam multa nobis cognoscenda, singulari erga homines beneuolentia & benignitate transmiserunt:haud fuerit iniucundũ, nec inutile,excellentum ingeniorum in deprehendendis,locupletandis,atque instaurandis disciplinis omnibus,dissimiles per ætates laudãdos animorum conatus in memoriam reuocare,& ab ipsis rerum primordijs longè repetita,ad nostram usque ætatem cõuenienter perpetuo orationis cursu deducere. Cum autem cæterarum partium,Naturæ,Prudentiæ,& Sapientiæ finem,ad quem omnia eiusdem generis referrentur,accommodatum,pro ingenij mediocritate inuestigauerimus,hæc Literaturę simul & Principatus historia, quas separatas nõ malis de caussis uoluimus, progresionis habita ratione, nullum finem propositum scriptoribus habent.Quàm diu enim summi Dei consilio genus humanum consistet & permanebit,rerum administratores,& qui literis usui uitæ necessarijs operam dent,inuenietur.Qui ijdem, qua in parte finis erit nobis faciendus,à consequentibus adijci, & cum ijs quæ sunt à nobis commemorata,colligari poterunt: ut sit ab ultimis principijs,ad sua cuiusque tempora,perpetua,nec interrupta rerum gestarum atque studiorum continuatio.

Ingeniorum historia.

NARRATIO.



DAMVS igitur mortalium primus Sapiẽs, à summo Deo informatus,cum sua rebus omnibus nomina aptissimè, ex cõsiderata cuiusque rei Natura,imposuisset,primæ, & eidem postea communi factæ sermonis atque rerum cognitioni, maximo consequentium temporum usu hoc initiũ dedit.Iam & filius Sethus acceptam de mundi primordijs,ac cœlestium corporum motu,constantiq́ue ordine sententiam,in columnis duabus, quarum una latericia erat, altera lapidea,inscripsit:ne quo ignis aut aquę interuẽtu,quod futurũ pater prędixerat,obliuione posteritatis extingueretur.

Adamus Sapientum primus.

Sethus.

Primus scriptionis usus.

Quibus deprehendendis, probandis, & firmandis, cum nascente mundo primi illi homines diutissimè uiuerēt, plurima in his præsertim, quæ de præstanti astrorum ratione habentur, sunt assequuti. Ita enim referebat: siquidem posteris nulla tanta ingenij celeritate, nullisq; tantis studiorum contentionibus, in mentem uenire similiter potuissent. Relicta igitur hæc doctrinarum seminaria, atq; fideliter conseruata, deinceps propagatione continenti, per manus ad diuersos transferuntur. Alter

Noa. nanque generis hominū parens Noa, eadem optimè percepta,
Semus. filio Semo longius perferenda reliquit. Hęc cum multorum co
Hebrus. natibus atq; obseruationibus ita locupletarētur, per Hebrum, ad diuinitus suscitatū è Chaldæis (qua in gente primùm uixit)
Abrahamus. Abrahamum, Sapientem perlata, longius proferuntur. Quandoquidem hac lectissimæ gentis disciplina præclarè imbutus, cœlestem fabricā suspiciens, rerum omnium administratorem supremum Deum sanctè prædicauit: & retentā de mundi origine memoriam, consequuturę soboli cognoscendam tradidit. Profectus inde ad Aegyptiorū sacerdotes, de astris, numeris, alijsq; doctrinis multa in omni admiratione grauiter, copioseq; disseruit: ut eosdem primùm informasse, & ab eodem accepisse
Aegyptij. cognoscatur. Nam confirmatum habetur, à Chaldęis Aegyptios hæc studia habuisse, & deinceps multa exercitatione comprobasse, ut ab ijsdem profecta plerique crediderint. Itaq;
Chaldæi. Chaldęi & Assyrij, propter planiciem magnitudinemq; regio-
Assyrij. num, diuturna siderū obseruatione futuris prædicendis scien-
Zoroastres. tiam effecisse putantur. Per hæc tempora Zoroastres Bactrianorum rex, Diuinationis, quam Magicen dicunt, etiam astrorum doctrinam exercuit: à quo pleriq; initium artis repetunt,
Aethiopes. quæ & ad Phœnices, Tyrios, atq; Aethiopas est translata: qui ijdē Aethiopes, ex Solis propinquitate, primos se mortalium dixerunt. In Aegyptum uerò coloniam inde esse deductam, cui
ἱερόγλυφα γράμματα. repertas apud se literas & leges dederint. Ac literæ Aegyptiorum eiusmodi fuere, ut animantum aliarumq; rerum figuris ea solerent exprimere, quę ad memoriam seruandā occultè essent significaturi. Ita cunctæ orbis gentes, literarum inuentum pro maximè diuino & honorario habuerunt: cum unaquæque de principatu decertarit, eos solita pro inuentoribus celebrare, à quibus acceperat. Pręter ea quæ fabulosè dicuntur (neq; enim plerique externi scriptores satis inter se conueniunt) hasce graues controuersias posteri, originis Hebræorum ignari, cum animaduerterent, non unius gentis, quin totius generis humani literarium inuentum commune fuisse existimarunt. Sed est locuples

cuples

cuples teſtimonium, cum ijs quæ de antiquitate doctrinę confirmata retinētur, linguas aliarum gentium, iam à diſsipatione Babylonis, uariè per orbem diſperſas, cōmunem quandam originem, literarum utique eadem nomina, per tot conſequentes ætates habuiſſe: quod etiamnum ex maximè confuſis atq; perturbatis linguis apertiſsimè demonſtratur. Nam ab Hebræo fonte ſanctiſsimis ſcriptis, integrè diuinitus conſeruatis, reliquas tanquā riuulos fluxiſſe apparet: quam ad rem linguarum diſsipatio, literarum quoque diſsimiles figuras ſequentibus ſeculis peperit. Itaque cum omnis doctrina à maioribus accepta, in Iſraelis ſtirpe conſtanter diſtinctis nominatim temporibus ſeruaretur, ex filijs XII Ioſephus excellenti ſomniorum interpretatione clarus extitit. Moſes dein Aegyptiaca & auita diſciplina præclarè informatus, commiſſum ſibi populum optimis uitæ inſtitutis, & acceptis de cœlo primùm legibus tenuit. A' tranſitu maris Rubri, gratulationis ergò, Heroicum carmen cecinit, unde Poeſeos originem repetunt. Sacris faciundis Aaronem fratrem imbuit atque præfecit. Idem priſcam ſuperiorum temporum memoriam, ne rerum ueritas cōmutatione aliqua ſtatus, per diuerſorum manus falſis narrationibus obſcuraretur, à primo totius mundi ortu, ad perfectam ſcribendæ Hiſtoriæ rationem, ſeruato conuenienti ordine, accuratiſsimè repetijt. Huic memorabilem populi Iſraelitici ex Aegypto emigrationem adiecit, ſparſis ubique præter ſacra inſtituta, multarum doctrinarum, Iuris etiam atque Medicinæ documētis: quæ eadem ſequuti poſteri, diſciplinas, cuiuſmodi habemus, conſtituerunt. Atq; ita cum literæ eſſent priuatæ, publicas fecit, unus mortalium in hoc præſtāti ſcriptionis munere, lingua Hebræa ad hoc efficiendum expolita, laudabiliter uerſatus: ut præter ueritatem ac fidem eorum quæ tradit, copia rerum, collocatione, ornatu, iudicio, & exquiſita Prudentia, nulli ſcriptorū ſit poſtponendus. Cuius antiquiſsimis libris omnem doctrinæ ſanctitatem in ſe continentibus, communi poſteritatis conſenſu plurimum & autoritatis & dignitatis delatum: ut ad omnem diuturnitatem, per tot conſequentes ætates, integri diuinitus manſerint, & ex ijſdem rerum omnium ductis primordijs ſanctiſsima Religio fuerit conſtituta atque ſtabilita. In Aegypto rebus inueniendis & notandis, publica præmia Sacerdotibus conſtituebantur: è quorū numero Sapiens & Rex Mercurius, quem Triſmegiſtum dixere, per ea tempora uixit: eundem multa doctrinarum genera ſtudio atque diligentia percepiſſe, & ea quæ habentur, ſcripſiſſe traditur. Græcia adhuc in ſumma erat obſcuritate,

Hebræorum antiquitas.

Ioſephus.

Moſes.

Poetices origo.

Aaron.

Hiſtoriæ primus uſus.

Aegyptij Sacerdotes.

Mercurius Triſmegiſtus.

Cadmus. ſcuritate,in quam ex Phœnicia Cadmus progreſſus, literarum notas, linguam, rerum nomina, & ſacrorum ſolennitatem im- *Græci.* portaſſe creditur. Interea Græci etiam in Aegyptum nauigationis opportunitatem ſequuti, tanquam ad mercaturam bonarum artium proficiſcuntur, ut ſerò tandem literarum uſum & ſtudia ad ſuos reportarint, in quibus iiſdem cõſequentibus annis multa callidè commutarunt,quo ſe illarum autores profiteri poſſent: tanta ingenij celeritate & acumine contendentes, eadem locupletarunt atq; expolierunt, ut cum ab Hebræis primordia duxiſſe cognoſcatur, ipſos alijs tradidiſſe exiſtiment. *Poetæ.* Poetarum primum è doctis genus apud Græcos auditũ,è quibus Linus,Orpheus,et huius diſcipulus Muſæus in Aegypto, quod ex relictis ueſtigijs poſtea cõprobatum eſt,præclarè fuerunt inſtituti. Hos Sapientes dixere,qui inſtrumentis Muſicis uerſus eoſdem,numerorum ſuauitate compoſitos,in cœtu hominum,ad iuuenum animos excitandos,& conuiuas exhilarandos,decantabant. Iidem Aegyptiorum ſuperſtitiones reportarunt, quibus non ſeipſos modò, uerùm etiã diuerſos populos maximis erroribus diutiſsimè implicarunt: cum ab Hebræis, qui mediterranea incolebant, certius erudiri, & informari ue- *Sibyllæ.* rius non poſſent. Exortæ diuerſis temporibus Sibyllæ,quas diuinæ mentis ex doctrina Hebraica factas cõſcias, generi hominum uniuerſo, de mundi ortu, quem nullam gentem ignorare oportebat,de aduentu inſtauratoris totius generis hominum, deq; Principatuum commutationibus, oracula cõmuniter dediſſe, numeris concluſa, etiamnum ex relictis ueſtigijs cognoſcimus. His maxima eſt habita fides atque autoritas, ut in difficillimis rerum cõſilijs capiendis,ad illarũ uaticinationes quoſ- *Nicoſtrata.* dam populos recurriſſe legamus. Iam uerò & Nicoſtrata fatiloqua (Carmentam cognomento dixerunt) Euandrum filium ſequuta, in Italiã uenit, atq; Italis hominibus uſum literarum, haud ita pridem ab Arcadibus receptum,tradidit. Alij in tanta temporum obſcuritate, ipſi Euandro, qui autoritate rudes artium homines per Italiam in ſumma admiratione regebat: alij Herculi acceptum referunt,cui in Italiam per ea tempora pro- *Troica tempora.* fecto,idem Euander aram dicauit. Troicis uerò temporibus, maximo Græciæ totius concurſu, præter militaria ciuiliaq; inſtituta,literarum etiam ſtudia multum inclaruerunt. Cadmeas nanque literas XVI,Palamedes IIII,& Simonides totidem adiectis compleuerunt. Profecti ab Aeſculapio patre medici,Machaon & Podalirius. Chaldæis utique præceptoribus uſus Cal- *Dicẽdi genera.* chas, diuinationis peritus fuit. Triplicia dicendi genera ſunt animad-

animaduersa: in Menelao breue quiddam, & pressum, in Nestore fluens & suaue: in Vlysse prudens, graue, & copia uerborum commendatum. Res autem eo bello gestas, Dictys Cretensis, & Dares Phrygius, qui actis creduntur interfuisse, cõscripserunt. Hebręis inde regium statum Helio Sacerdote, in sanctiore disciplina informatus Samuelus proposuit. Saulem primum regem sequutus Dauid uates Lyricus, aduersa & secũda usus fortuna, uersus in omni uarietate, sacram continentes doctrinam, & uentura præsignificantes, piè sanctèq; cecinit. Solomon filius, accepta diuinitus Sapientia cumulatior factus, & summum ocium à bellicis occupationibus, quæ magnæ ante illum fuerant, consequutus, res in omni Natura abditas atque inuolutas, acerrimis studijs peruestigauit: ut stirpium uim, & animantum uitam, ingeniumq; perceptum & cognitum habuerit: præterea partem de Moribus, scriptis plenius quàm superiores tractauit: ut etiamnum ex breuibus comprehensis uitæ informandæ documentis cognoscimus. Iisdem maximis de rebus copiosè & grauiter, acutè & subtiliter disseruit: ad quem audiendum, disiunctissimis è terris factus est concursus. Et Regina quidem Sabęorum, magnitudinis doctrinæ famam præsentia comprobauit. Atque ita Philosophiæ partes, quas Græci magnis studijs amplificarunt, laudabili Solomonis diligentia primùm sunt constitutæ & confirmatæ. Eadem doctrinæ uarietas in Aegyptũ propter uicinitatẽ deducta, ut ex cæteris populis hoc nomine clara haberetur. Sacerdotes nanque rebus & excogitandis & tractandis occupati, non modò Arithmeticam, Geometriam, & Astrologiam, uerùm etiam rerum gestarum memoriam, ab antiquissimis temporibus repetitam, Eloquentiam, Leges, uitæ instituta, Naturæ consideratione, magnis studijs persequuti sunt: ut iam Græci eódem proficiscẽtes, plenius cognitis eorum disciplinis, instructiores ad suos redierint. E' quorũ numero, institutis Aegyptiacis præclarè informatus Homerus, fons ingeniorum totius Græciæ, magna Naturæ ui & ubertate omnẽ doctrinarum cognitionem assequutus, cum Achillem singularis fortitudinis exemplar Iliade exprimit, cumq; longis peregrinationum erroribus collectam rerum Prudentiam atque Sapientiam altero Odysseæ uolumine complectitur: quibus scribendis, ingenij uarietate ad omnes exornandæ orationis uirtutes optimè comparatus, Heroicum genus carminis accommodatum delegit: uitæ officia, pacis artes, & bellicas deliberationes, consilia, dicta, factáq; copiosè enumerat: ut lustrasse omnia, percepisse totius gentis Græcorum antiquitatem, cum omnibus colloquutus ui-

Dictys. Dares. Samuelus. Dauid. Solomonis multiplex doctrina. Aegyptiorum studia. Homerus.

deatur. Quem eundem Græci consentientibus animis tanti fecerunt, ut singulos propè uersus, alicuius oraculi instar habuerint, & Rhetores suæ artis illustria exempla atque documenta inde petierint. Tantus in uniuersum scriptor, ut Philosophi sua placita, in quibus postea magnis studijs elaborarunt, se ex impressis ab Homero uestigijs deduxisse, & ex eodem uerissimè comprobare potuisse profiteretur. *Hesiodus.* Hesiodus huic ætati cõiunctus putatur (quanquam Homeri ut incerta est patria, ita & ætas) qui de Dijs, moribus, Agricultura, & Astris, doctrinã atq; præcepta eruditis uersibus conclusit: quorum duorum scriptis incitata deinceps, & latius aucta posterorum Græciæ omnis doctrina. Sed à Solomonis decessu, regno gentis in partes diuiso, grauia multa sunt consequuta, quæ non nisi rebus debilitatis & collapsis, postea conquieuerunt. His turbulentissimis tempori- *Prophetæ.* bus diuinitus exorti Vates & Prophetę, legis à Mose relictę interpretes, & corruptorum morum reprehensores, impendentia mala, atque instaurationem futuram, longè antequam eueniret, præmonuerunt. Itaque acceptam à Mose, Dauide, & Solomone doctrinã fidissimè cum explicarent, nihil dissimile à prioribus attulerunt: ut ad rerum ueritatem firmandã, maximè consentiens hęc sanctior doctrina semper fuerit. Iidem publicam rerum gestarum memoriam multa diligentia & magna fide in scripta referebant: ne aut cuiusquã sermonibus corrumpi, aut mutatione aliqua status excidere posset. Nam post Eliam atque Eliseum, qui plurima diuinitatis documenta suis temporibus ediderunt, *Esaias.* nobili genere ortus Esaias, altioris cuiusdam sanctæ & reconditæ scientiæ, populi ac principum mentes cum in uiam reuocaret, manifesta Hebræorum mala præsensit, & uentura *Ieremias.* omnia uerissimè ac disertissimè pronunciauit: ut actis omnibus, quæ consequuta sunt, interfuisse uideatur. Vrbis uastitatem, quam præsenserat, calamitatem, atque excidium flebiliter Ieremias deplorauit. Ex his qui Babylonem sunt abducti, quo testata & comprobata esset sanctitas nostræ Religionis, manifestas futuras Principatuum commutationes, ut sunt cõsequutæ, *Daniel.* atque instaurationis tempus, Daniel diuinitus informatus, uerissimè præsensit atque descripsit. Excitatis semel Gręcorum ingenijs, continenter studiosi homines in Aegyptum proficiscebantur: ut eruditiores inde reuersi, maximarũ rerum doctrina *Lycurgus.* suos multũ instruxerint. Itaque Lycurgus Aegyptiaca & Asiana peregrinatione factus cumulatior, Lacedæmoniorum disciplinam optimis & institutis & legibus, iureiurando ad eas seruandas cõfirmatis, astrinxit: ut quàm diu Sparta ijsdem est usa,

magnos

magnos & proſperos militaribus & ciuilibus in negocijs progreſſus habuerit. Romanos ab ipſis etiam primordijs quædam ex Hebræorũ diſciplina attigiſſe traditur. Numam etenim Pompilium regem, Moſis ſcriptis fuiſſe imbutum commemorant: ut interiorem quandam rerum ſcientiam poſteritas admirata, cum Pythagoricæ, quæ annis permultis poſt floruit, ſimilis uideretur, eadem illum inſtitutum crederent. Naſcẽtibus igitur apud Græcos, & ingenij celeritate, qua multum illa gens præſtitit, inclareſcentibus doctrinis, Sapientes, ſeptem numero, in maxima admiratione ſunt habiti: è quibus Thales Mileſius, à publicis negocijs alienus, totum ſe cõtemplationi rerum dedidit: qui cum in Aegypto à Sacerdotib. fuiſſet inſtitutus, de Natura, & aſtrorum obſeruatione, in quibus multa illum utiliter deprehendiſſe traditur, ſeparata iam à Poeſi cognitione, accõmodata diſſeruit: cuius doctrinę placita ſtudioſi cõſtanter ſeruarunt: ut de rerum principijs, unde quæque orirentur, frequentes ſermones contulerint. Atq; inde primum Philoſophandi genus, Ionicum apud Græcos inſtituitur. Cæteri Sapientes numerãtur, Solon, qui in eadem Aegypto uerſatus, Athenienſibus mitiores leges Draconicis, quas ſanguine tinctas dicebant, tulit, præclara ciuilis uitæ inſtituta reliquit, & Areopagitarum conſilium inſtituit. Chilon inde Lacedæmonijs, Pittacus Mitylenæis, Bias Prienæis, Cleobulus Lindijs, Periander Corinthijs, cum magna dignitate pręfuerunt: atque præter leges publicas, etiam de morum informatione breues & argutas ſententias reliquerunt. Similiter ex Sapientibus Anacharſis Scytha habitus, cui ab Athenienſibus honores ſunt delati: qua in principe urbe primùm ſe Orator extulit, & cœpta eſt hic oratio excoli, atq; literis commendari: ut populo aures habente eruditiores, præmijs propoſitis, nulla uehementius, quàm Eloquentiæ ſtudia uiguerint. Hac eadem adiutus Piſiſtratus, animos ſuorum ita conciliatos reddidit, ut uiribus dicendi ſibi ſtabilierit principatum. Græcis Bibliothecam primus inſtituit, atq; confuſos antè Homeri libros, quo legi ab omnibus expeditè poſſent, in ordinẽ diſtinxit. Ingenia comprobatione firmata, magnis ſtudijs ad omnem excellentiam contenderunt, ut diſciplinarum omnium inuentrices Athenas poſteri crediderint. Cognitus è Phrygia Aeſopus, qui licet conditionẽ ſeruus, ingenij tamen acumine cum præſtaret, humanas uitæ actiones ac ſermones, noua quadã ratione (ab Heſiodo alij repetunt) nec inuenuſta, brutis animantibus tribuens, ad earum ingenium atq; Naturam, etiam res inanimas introducens, præclara morum documenta, quaſi quædam uitæ popularis infor-

Numa Pompilius.

Thales Mileſius.

Sapientes Græciæ reliqui.

Anacharſis.

Eloquentiæ primordia.

Piſiſtratus.

Aeſopus.

mandæ exempla, festiuiter & iucundè fabulis tradidit: ut quæ deinceps sunt à diuersis fabulæ inuentę, Aesopi nomen obtinuerint. *Pherecydes.* Pherecyde Syro, quē oratione soluta res gestas apud Græcos primùm mandasse traditur, *Pythagoras.* Pythagoras institutus, Aegypti etiam Diuinatores, Babylonios, Magos, atque Indos audiuit: à quibus præcedentium temporum memoriam, ac de mundi origine sententiam accepit: ut seriò, & maioribus incrementis doctrinas complures tractarit. Nam rerum Naturam, numeros, mensuras, Musicen, atque Astrologiam, diuersarum gentium lustratione, stirpium uim, morum & uirtutum præcepta, Græciæ simul & parti Italiæ primùm intulisse legimus. Tantæ fuit apud suos autoritatis & dignitatis, ut sola illius præiudicata opinio, rationis uim habuerit. *Philosophiæ prima appellatio.* Primus ex sermone, cum principe Phliasiorum habito, nomen Sapientiæ, quod arrogantius uidebatur, magna modestia usus, commutauit. Inde optimarum artium cognitio atque pertractatio, Philosophiæ appellationem seruauit: ut qui in ea uersarentur, pro Sapientibus dicerētur Philosophi. Alterum ab eo philosophandi genus profectum, quod Italicum est dictum. Multis pòst seculis Pythagoreorū nomen sic uiguit, ut nulli alij docti uiderētur. Eadem Pythagorica disciplina cum longè lateque flueret, manasse Romā creditur: & apertis iam Alpibus, *Druidæ.* cōditaque Masilia, etiam in Gallias, Druidibus illam cognoscentibus, deducta: ij nanque sacra & ciuilia instituta Græcis uersibus comprehenderunt, ut inde Græci sermonis manifesta uestigia longissimis pòst temporibus Gallica lingua retinuerit: tametsi traditū est, eandem Druidarum doctrinam in Britannijs primùm repertam, & Gallos eòdem discendi gratia proficisci solitos. *Germaniæ annales.* Germani conditores gentis, Tuistonem & Mannum filium antiquis carminibus (his publicam rerum memoriam pro Annalibus comprehendebant) celebrarunt. Multis itaque populis peregrinationum laboribus ad tractandas literas institutis, *Leges regiæ.* Romæ post exactos reges, Pontificum & Augurum delectu, Papyrius in unum opus, præter sacra instituta, regias leges coegit: ex eo ius Papyrianum dictum. *Augurandi doctrina.* Augurandi uerò doctrina magno in loco habebatur, ut nihil domi neque militiæ nisi auspicatò gereretur, & ex Aruspicum collegio in Senatum esset transitus. Hanc discebāt nobiles adolescētes, quo plus esset honoris: & in Ethruriam, ad eandem cognoscendam, Senatusconsulto mittebātur. Sermo inde Latinus, præter ea quæ uetustissimis Saliorum uersibus cōtinebantur, ad usum accommodatior factus. Magi in Perside relictam de Medicina, astris, diuinatione, & religione disciplinam, Regibus etiam eandem cognoscen-

gnoscentibus, secretò tradebant. Athenis autem libertati redditis, quasi stabili sede posita, frequenti sapientum concursu (hos iam Philosophos nominabant) effectum est, ut exculta lingua, doctrinæ omnes diligētius fuerint tractatæ. Quocirca studiosis placita suorum retinentibus, utrunq; philosophandi genus longius deducitur. Ac Ionicum quidem Anaximander, & huius discipulus Anaximenes: Italicum uerò Pythagorę filius Telauges asseruit. Inde Xenophanes dubitāter de rebus pronunciare solitus, Parmenidem prudentiæ disserendi autorem erudiuit. Pythagorei utique in magna Græcia relicti, quam idem Pythagoras honore, autoritate, & disciplina tenuerat, doctrinis multum excelluere, ut Græci etiam discendi gratia eòdem proficiscerentur. Itaque ingenijs Græciæ magnis contentionibus diuersa Poeseos genera introduxere. Lyrici ex his numerantur Simonides: atq; principem locum, uictorum laudibus concelebrandis tenens Pindarus. Tragœdiam Thespis inducto histrione, Aeschylus Pythagorica disciplina imbutus, altera addita persona, & accedente his tertia, Sophocles, compleuerunt. In rebus gestis oblectationem, atque ingenij quandam commendationem, non fidem & rerum ueritatē Poetæ sequebantur, cum segregata est iam manifestius à Poesi Historia, & propria Historicorum instituta apud Græcos professio. Hellanicus eandem primùm ornatiorem reddidit, ut inde posterorum ad scribendam historiam sit excitata industria. Romani diuersa ex parte, in tanto principatu, domesticis cōtrouersijs non minus quàm finitimorum bellis exagitati, confusa ciuili disciplina, consuetudine sola difficulter regi poterant. Itaque Decemuiratus tempore, missi in Græciam, qui leges Atheniensium, & cæterarum ciuitatum mores diuersos, atq; ciuilia instituta cognoscerent. Inde cum essent X, ab Hermodoro Ephesio exulante duabus additis, eburneæ tabulæ XII sunt cōpositæ. Harum maxima fuit autoritas atque reuerentia, sermone adhuc non satis exculto, quod ex uestigijs etiamnū apparet. Erat in his summa æquitas, profecta ex Hebræorum institutis, quorum Græci Lycurgus atque Solon peregrinationibus fuerant imbuti. Pontifices deinde iudiciorum formulas pręscripsere, ut laudabile Iuris ciuilis studiū à Romanis institueretur: in quo eodem locupletando, non aliter quàm Græci in excolendis ingenij doctrinis, multum conatus & operę posuerūt. Iam uerò post multas difficultates restitutis Hebræis, Esdras præstantissimus Legis interpres, ueterum Hebræorum monimenta, temporum iniquitate uariè distracta, cōuenientius distinxit & ordinauit,

Athenæ, sedes literatorum.

Ionica & Italica Philosophia.

Magna Græcia.

Lyrici.

Tragœdi.

Hellanicus.

Leges XII Tabul.

Iuris ciuilis studium.

Esdras.

ne deinceps, populo ſedes frequentius commutante, deprauarentur: quibus ijſdem ſcriptis confirmata fides, apud poſteros remanſit. Profligatis è Græcia Perſis, doctrinis omnibus Athenæ magis quàm antea inclaruere. *Herodotus.* Herodotus nanque ad ſcribendam hiſtoriam conuerſus, ornata, candida, & ſuaui oratione illam pręclarè tractauit, ut publicis honoribus Athenienſes eum ſint proſequuti: ſed iucũditatis rerum, quàm ueritatis ſtudioſior habitus, effecit, ut Fabularũ parens diceretur. Rerum *Empedocles.* autem Naturam, Pythagorica doctrina imbutus, Empedocles Agrigentinus, quatuor ex elementis conſtare omnia pronuncians, egregio Poemate eſt cõplexus, & de arte dicendi primus præcepta dedit. Nam cum gens Siciliæ acuta eſſet Naturâ, & controuerſa, in iudicijs aſsidua exercitatione dicendi pręcepta *Eloquentia.* notauit, quæ à Corace & Tiſia ſunt poſtea diuulgata: quibus per ſe iam multum impulſæ Athenæ, deinceps confirmantur. ſiquidem in ea urbe principes uiri, & honorati, præſtantẽ Eloquentiam cum bellica uirtute coniunxerant. Floruerat ex his *Themiſtocles.* Themiſtocles, uir prudens, quem ocioſum argumenta orationum meditari ſolitũ tradunt. Philoſophia maioribus ingeniorum contentionibus progreſſa, dum ſtudioſius Naturæ principia, unde quęque orirentur, quo'ue reciderent, dubia multa & *Dialectices inuentum.* inutilia relinquentes, inquiſierunt. Italicæ philoſophiæ ſucceſſor Zeno Eleates, qui Parmenidem ſequutus, acceptam ab eo diſſerendi prudentiam in medium proferens, ad uſum atq; exercitationem utiliter accõmodauit. Inde atomorum autores, *Democritus.* Leucippus atq; Democritus: hic idem Aegypti & aliarum gentium longiſsimis peregrinationibus multiplicem doctrinam comparauit, & Magicen quidem in Dardani ſepulcro repertam cognouit. Agriculturæ artem, & regionũ luſtratione comparatam Medicinam tenuit. Cuius diſcipulus, magni uir ingenij, *Hippocrates Medicus.* Hippocrates Cous, eandem Medicinam à Philoſophia ſeparatã, in qua nominatim uerſaretur, præcipuè eſt amplexus. Hic uarijs rerum cauſsis Naturæ, cuius maximus fuit admirator, inſtructus, & diuturna exercitatione, cum ex templis multiplices curationes excripſiſſet, confirmatus, omnem Medicinam ſubtiliter quidem, diſtinctè, preſsè, atque breuiter, ſed magna ſcientiæ & rerum copia diligenter pertractauit, atque fideliter exercuit. Ea breuitas eiuſmodi, ut propè ſingulæ uoces illuſtrem contineant ſententiã, & artis, quam primus apud Græcos conſtituit, decretum. Doctrinæ amplitudinem admirata Græcia, ſummos illi honores, quos Herculi, exhibuit. Conſequentes Philoſophi, ſcriptione introducta, illum imitati uia &

ratione

ratione, in omni genere conscripserunt. Erat hic Italicæ Philosophiæ progressus, cum Ionicam multis peregrinationibus, & à superioribus institutus Anaxagoras, longius protulit. Hic [*Anaxagoras.*] Athenas profectus, cùm multos alios, tum Archelaum docuit. [*Archelaus.*] Græcorum religio hausta è superstitionibus Aegypti, in falsis [*Græcorum religio.*] oraculorum responsis, Delphico ac Dodonæo, ambiguis quibusdam rebus callidè propositis, fuit occupatior, nullũ ut bellum, nisi ijsdem cõsultis, susciperetur. Philosophi sanctiore Hebræorum disciplina, longis itineribus cõfectis degustata, ut ex multis testimonijs comprobatur, cum illa minimè probarent, corruptam consuetudinem emendare conabãtur. In maximis licet totius Græciæ perturbationibus, cum difficillimis bellis omnia distraherentur, ingenia tamen non elanguerunt. Itaque Socrates Archelao usus præceptore, etiam peregrinationibus, [*Socrates.*] maiorum suorum uestigia persequẽs, eruditior factus, multam in omni communium rerum genere Prudẽtiam, à philosophis spretam & neglectam, habuit, sapientissimus iudicatus: qui doctrinæ de Natura, ac cœlestibus rebus, necessariam morum ac [*Moralis Philosophia.*] uitæ emendationem, informationem, animi constantiam, & æquabilitatem adiunxit: ac proinde uisus est Philosophiã è cœlo deuocasse, & in urbes introduxisse. Multa itaq; inflammandis ad uirtutem animis, & à uitijs reuocandis, disserendi ac dicendi facultate adiutus proposuit: illa quidem fidem faciebat, & suos confirmabat: hac uerò separata à foro, primus ex Græ- [*Dicendi ubertas.*] cis copiosius, uberius, atque eruditius quotidianis sermonibus sua explicuit, tanto orationis acumine, ut in percunctãdo, quæ uellet, efficeret, & cõtra alterius opinionem dissereret. Ita quid uerissimum esset, cõsequebatur, percallidè inscitiam professus, Simulator ut diceretur. Eiusmodi rationibus, sui temporis omnia profiteri, & sibi arrogare ausos Sophistas (repudiatũ fuit à Philosophis nomen) subtilitate disputandi multum exagitauit. ad quem audiendum, magnus Græciæ factus concursus: ut cum multi Philosophi ab eo, tanquam fonte & capite, dimanarint, communis Philosophiæ parens sit habitus. Ipse per inuidiam, epota cicuta, est sublatus. Huius opera Græci duas iam Philosophiæ partes numerarunt. prima fuit de Natura, altera de uita & moribus: quæ deinceps maximis studiorum contentionibus creuerunt. ac nec cæterorum conatus, bellis licet sæuientibus, repressi. Nam Thucydides scriptis et celebritate He- [*Thucydides.*] rodoti uehementer commotus, magno dicendi apparatu, fide & ueritate eorum quibus ipse interfuit, optimus rerum explicator, scribendæ accuratius historiæ, consultationibus, collo-

quijs,

quijs, atque concionibus inſertis, munus hoc expleuit. Athenienſes ciuis eloquentiam admirati, cum Imperatorem, quod optimo cuique fieri ſolebat, in exilium miſiſſent, factum rerum *Pericles.* geſtarum ſcriptorem, reuocarunt. Interea Pericles Anaxagora præceptore uſus, dicendi facultate multum inclaruit, ut ex ſuauitate & orationis delectatione lepôrem in labris ſeſsitaſſe dicerent. Huic ætati ſuppares Alcibiades, Critias, Theramenes habentur. Sed ut intellectum eſt, quantam uim haberet accurata oratio, & arte quadam compoſita, protinus multi dicendi magiſtri extiterunt, doctrinarum omnium ſcientiam profeſsi. Ex *Gorgias.* his Gorgias Leontinus, arti & memoriæ confiſus, in conuentu Græciæ cum popoſciſſet, qua de re quiſque uellet audire, *Thraſymachus* aurea ſtatua eſt illi in Delphis erecta. Inde Thraſymachus Chalcedonius, qui primus, cum inculta et rudis eſſet oratio, arte qua *Protagoras.* dam uerba iunxit. Protagoras Abderites philoſophus, Democriti ſucceſſor: hic cum Rhetoricen Philoſophiæ coniunxiſſet, *Prodicus.* propter inopiam primus à diſcipulis mercedem exegit. Prodi *Hippias.* cus Chius, Hippias Helæus, qui ad Olympiam, cuncta penè audiente Gręcia, eſt gloriatus, nihil eſſe ulla in arte rerũ omnium, quod ipſe neſciret: opificiorum etiam pręſidijs inſtructus, nihil *Euripides.* geſtabat, quod ipſe non ſua manu paraſſet. Tragœdiam autem à ſuperioribus cõmotam, aſperſis è media Philoſophia crebris & illuſtribus ſententijs, unam miſerationem ex affectibus deligens, magnus uir ingenio Euripides, optimè locupletauit et ornauit: ut quæſita Prudentiæ atque doctrinæ commendatione, ſingulis propè uerſibus ſingula teſtimonia ac ſententias comprehenderit, Sapiens Poeta, & Tragicus Philoſophus nomi *Ariſtophanes.* natus. Priſcam Comœdiam & ueterem amplexus Ariſtophanes, argutijs, facetijs, & ſalibus gratus, ſed in carpendo nimius: ut dum optimum quemq;, & eruditum nominatim calumnijs peteret, hoc ſcriptionis genus, lege ab Alcibiade lata, prohibe *Sectæ.* ri effecerit. Sed ex uberrimis ſermonibus Socraticis, cum quiſque quod maximè probaſſet, apprehenderet, breui diſſentientes ſectæ ſunt exortæ, & diu multumq; uarijs ſententijs de ſummi Boni conſtitutione certatũ: quod non contigiſſet (uti nonnulli credunt) ſi ipſe Socrates, more conſequentium, ſuam ſen *Antiſthenes.* tentiam nominatim ſcriptis uoluiſſet teſtari. Itaque Antiſthenes à Socrate doctus, patiẽtię & duriciei defenſor, intermiſſum ab Archelai ſucceſsione Ionicum Philoſophiæ genus repetijt, *Eudoxus.* & longius protulit. Magna autem Græcia Pythagoreis, Eudoxo totius doctrinæ aſtrorum perito, Archita & Timæo nobilitatur: in quo res ſucceſsiſſent, niſi eadem continentibus do-

meſticis

meſticis & finitimorum bellis tandem concidiſſet. Apud Græcos Xenophon in his quæ ſunt communis Prudentię, excellenter uerſatus, quaſi ea comprobaturus, quæ eſſent de communi uita diſputata, Hiſtoriam eruditè, iucundè, & ſuauiter primus ex Philoſophis conſcripſit, Apis & Muſa Attica dictus. Idem, cum Socrates nullam literam reliquiſſet, dicta illius, atque facta præclara, monimentis cōſignauit: principatus documenta, Cyrum abſolutū exemplar ſtatuens, adumbrauit. Sic relicta alijs rerum, quę in contemplationem ueniunt, tractatione, Rei familiaris tuendæ præcepta, rei equeſtris, & uenatus dedit. Xenophontium hoc philoſophandi genus, quod minimè pugnax & contentioſum, ſed totum in actione, & cōmuni Prudentia, atq; ciuilibus conſilijs moderandis poſitum, ad rationem indocilis uſus diſciplinæ, qui illud aſſererent, perinde ac cæterorum placita, non habuit. Alterum Socraticæ familię lumen, magnus & ſentiendi & dicendi magiſter Plato, relictis Athenis, in Italiam profectus, Architam & Timæum Pythagoricos audiuit, quo ita Pythagoræ ſublimitatem cum Socratis humilitate coniungeret. Aegypti etiā peregrinationibus, quas Græciæ docti homines diſcendi gratia ſuſcipere erant ſoliti, plurimum confirmatur: Indos, niſi Aſiana bella impediuiſſent, aditurus. His tam multis inſtructior, perfectum genus orationis, ſplendidum & grande comparauit: quo eodem graues ſuorum temporū perſonas, Socratis maximè placita literis commendans, inſertis ijs ſine controuerſia, quæ ipſe ſentiret, fecit inter ſe loquentes: ut ita autoritatis atque dignitatis, quando illorum cōfirmata iam eſſet doctrina, plus haberent. Dialogorum uſu ita introducto, omnem interioris doctrinæ uarietatem, quæſitis ſuis occaſionibus, ſcriptis eruditiſſimis aſperſit: quę in unum collecta, eiuſmodi eſt, ut perpauca in quoque genere poſſint deſiderari. E multis libris plurimum celebrantur, quos de uniuerſi Natura, & Reipublicæ informatione accuratiſſimè conſcripſit. Cuius doctrinæ integritas, quando ab externis eruditū ſe profitetur, Moſis, Sibyllarū, & Mercurij Triſmegiſti libros excuſſiſſe, & in ſua ſcripta, ne facilè deprehēdi poſſent, certa adumbratione ſtudioſè retuliſſe, multa Hebræorum ſcriptis conſentanea apertiſſimè cōprobant: ut Moſes lingua Attica loquens ſit dictus, & Diuinum in primis ſui habuerint. Itaq; omnē doctrinæ amplitudinem animo cōprehendens, æſtimatione quadā eorum qui præceſſerant, latè diſſipatam apud Græcos Philoſophiam, tres in partes diſtribui debere intellexit. Nam à Thalete & Pythagora profecti, rerum Naturā: à Lycurgo, Solone, cæteriſq;

Xenophon.

Plato.

Dialogorum uſus.

Doctrinæ Platonicæ integritas.

Philoſophiæ coagmentatio.

Sapientibus, & Socrate, morum doctrinam, ac rerum administrationem: à Pythagoreo Zenone, differendi Prudentiã, Dialectices nomine, magnis studijs tractarãt: ut aptissimè in unum corpus omnem philosophandi rationem comportarit. Huius *Academici.* placita qui sunt sequuti, ex Academia, in qua docebat, Academici dicti: è quibus duo præstantes studio atque doctrina successere, Speusippus atque Xenocrates, qui Platonis instituta constanter seruarunt, & posteris tradidere. Forensis oratio his Philosophorũ doctrinis est multo uberior & eruditior facta: ut cum Oratorũ dignitas & autoritas, populo eruditas aures habente, creuisset, decem simul excellentes una ætas numeraue rit. Itaque præsensione Socratis, ob claram uirtutis indolẽ com *Isocrates.* mendatus Isocrates, philosophicis studijs imbutus, & communis Prudentiæ intelligenti comparato iudicio, licet forensi luce caruerit, eruditam orationẽ, suauem, comptam, puram, & quodam numerorum concentu à se deprehenso, elaboratam reliquit. Cuius domus cum uniuersæ Græciæ pateret, officina Eloquentiæ est habita: è qua eadem, præter innumeros alios in dicendo principes, Historici duo post Philistum, Theopompus & Ephorus, studijs atque animis dissimiles exierunt. Socrate *Aeschines.* doctus Aeschines, sublimi & grandi orationis genere pręstitit: qui propter iudicij ignominiam, Rhodum postea se cõtulit: in qua insula cum iuuentutem Attica Eloquentia imbueret, Rhodium dicendi genus introduxit. Principem uerò locum tenuit *Demosthenes.* Demosthenes, qui maximè celebri Callistratis Oratoris fama incensus, ad omnem dicendi exercitationem se totum conuertit, & maximis laborum contentionibus impedimenta Naturæ ac uitia emendauit, ut planius quàm suorum quisquam sit eloquutus. Thucydidię orationis uehementer studiosus, historiam illius, ad comparandam dictionis integritatem, sępius exscripsit. Tanto caussæ apparatu, ea orationis uehementia, consilij magnitudine, & rerum Prudentia, magno Græcię concursu ad dicendum uenit, ut quam in partem uellet, suorum animos conuertere potuisse cognoscatur: uis in agendo eiusmodi, ut in scriptis orationibus potiorem Demosthenis partem abesse tradant. Ita cum omnes orationis uirtutes expressisset, Lex dicen- *Lysias.* di est habitus. Politus, subtilis, elegans, & uenustus Lysias, Epaminondam erudiuit, ac cæteris orationes conscripsit. Reliqui oratores in suo genere ueritatem & integritatem retinuerunt: ut amissa libertate, solis Atheniensiũ muris conclusa fuisse Eloquentia uideretur. Nam aliæ, etsi liberæ essent, ciuitates, sola rerum agendarum laude contentæ, seuerioris cuiusdam ingenij,

minus

minus his studijs delectabantur. Et Sparta quidem bene morata & constituta ciuitas, Musicam bellicis in rebus est amplexa: quam historiæ loco, præclarorum uirorum laudes, iuuenum animis inflammandis, comprehendentem, adhibebat. Eadem sermone breui & arguto, sententijs quasi quibusdam aculeis usa, ut Eloquentię commendationem nullo modo affectasse uideatur. Orientis peregrinationibus, quas Alexander Magnus suscepit, ut multa in omni genere inclaruere, ita Gymnosophistarum studia tum cognita, quibuscum ambiguas quæstiones proponentibus disseruit. Ex his erant alij Brachmanes, alij Samonæi, rerum cœlestium cognitione, uitæ continentia, & seueritate disciplinæ commendati: quo eodem Alexandro spectante, Calanus ex Gymnosophistis in medios ignes uiuus se coniecit. Sed in Græcijs, domestica Hippocratis doctrina primis annis informatus Aristoteles, Platonē diutissimè audiuerat, mentis celeritate, & lectionis magnitudine, excussis accuratè diligenterq́; superiorū de multiplici doctrina scriptis, totius Philosophię uarietatem animo cōprehendens, ingenium omnium doctrinarum capax assequutus, uia & ratione multis partibus locupletauit, distinxit, atque diffusa perturbataq́; ingeniosè artibus conclusit. Quam ad rem Syllogismo, laudabili obseruatione, argumentationes certius stabiliuit, ut ita priorum errores melius confutarit, & sua scripta fortius firmarit. Itaque maximis studiorum contentionibus omnem doctrinæ pertractationem aggressus, de Natura plenissimè, de Moribus, Republica, atque re familiari copiosè, & de facultate disserendi perfectius quàm suorum quisquam, egit, ac scripta reliquit. Dictionis genus adamauit breue, acutum, seuerū, graue, & ad docendum accōmodatum. Primam inde Philosophiam uariè disquisiuit. Animantum omnium ortus, uictus, & figuras, multis literis commendauit: quorum librorum ingentes susceptos labores magna liberalitate Alexander cōpensauit. Præterea his adiunxit Poesin: & Isocratis celebritate incensus, Rhetoricen docuit, ac multis conquisitis præceptis auxit: tantumq́; præstitit, ut consequentia tempora, magno iudiciorum consensu, ijs artibus, quas plenè tractauit, cum parum addere, aut eadem emendare, aut in ijsdē aliqua desiderare posse uiderētur, principem Philosophiæ habuerint: & Peripatetica philosophandi ratio, ab inambulatione, qua animum simul & corpus exercebāt, sic dicta, principatum obtinuerit. Verùm multa in dubium reuocans, cum sententiam suam non satis apertè explicaret, Naturæ peruestigationi quodammodo occupatior, magnis erroribus

Spartæ doctrina.

Gymnosophistæ.

Aristoteles.

Syllogismus.

Philosophiæ tractatio.

Peripatetici.

uisus est suos implicasse. Moriens uino Lesbio, quod erat suauius, gustato, ex suis discipulis, Peripateticæ scholæ, & doctrinæ *Theophrastus.* Theophrastum successorem tacitus delegit: qui idem multis literis, & ijs elegantibus, omne genus argumenti, ab Aristotele præceptore tractati, studiose repetijt, atque locupletauit. Rerumpublicarum inclinationes, & momenta temporum, quibus esset moderandum, utcunque res postularet: stirpium Naturas, & omnium ferè rerum, quæ ex terra gignuntur, caussas atque rationes tradidit: modestus in asserendo fuit, dulcis oratio habita, & Atticę cuiusdam integritatis: ut ex nitore locutionis, nomen diuinitatis acceperit. *Philosophia absolutio.* Sic in his tribus summis uiris, Philosophia à Platone ubertate orationis congesta, ut conspici posset, ab Aristotele neruosa quodammodo oratione, ut certius cognosceretur, distincta: à Theophrasto, ut dulci oratione plurimum delectaret, est exornata: quibus nihil aut eruditius, aut perfectius habuit Grecia. *Euclides.* Per ea tēpora Euclides, cum ingenij acumine cæteris præstaret, dimensionum collectam doctrinam subtilius & perfectius quàm superiores, tradidit, ac uerissimis artis demonstrationibus cōprobauit. *Sermo Græcus.* Sermo autem Græcus his magnorum uirorum studijs excultus, ut tractandis literarum & doctrinæ studijs, elegantia, suauitate, copia, atque ubertate accommodatior esset. Longis deinde peregrinationibus atque militia in Orientem idem sermo fusus, ut non uitę instituta modò, uerùm etiam literæ fuerint ad diuersos populos translatæ: quos eadem Græcię lingua solitos loqui, consequentium temporum uestigia maximè comprobant. Sic cum antea ab externis gentibus Gręci doctrinarum cognitionem habuissent, nunc rerum commutatione ipsi latè dispersi, cæteros docebant. *Inclinatio literarum.* Dissipato igitur ab Alexandri interitu regno (ut principatuum rationem conditio literarum etiam consequitur) ingenia quadam indignitate remissiora fuere: siquidem prosеminatæ Philosophorum sententiæ, quasi familiæ, longius progrediuntur, ac multo tempore inutilibus disputationibus se conficiunt & exagitant: unde non minima pars incommodorum est profecta, dum nōnulli malitiose pleraque inuerterent, ne nihil ad priorum inuenta, quæ de manibus excutere uolebant, attulisse uiderentur. Ita fit, rebus ad summum progressis, & inde inclinantibus, cum superiores nostris studijs exæquari posse diffidimus, ut eosdem insolentius contemnamus. Antistheni in uitæ seueritate successerat *Diogenes.* Diogenes Cynicus, cuiusdam libertatis animi affectator. Hinc Crates Thebanus, & Stoicæ familiæ *Zeno Stoicus.* autor Zeno, quæ à Stoa porticu, in qua philosophabatur, no-

men

men eiusmodi accepit. Eadem partē Dialecticos, quæ iudicandi uias tradit, studio & diligentia tractauit: in uerborum subtilius inquirēda ratione fuit occupata, & ad morum seueritatem cuncta retulit. Inops Cleanthes, haurienda noctu aqua, uictus difficultatem sustentare solitus, ut maximi in disserendo acuminis uirum Chrysippum interdiu audire posset. Idem Chrysippus Ionico philosophandi generi, à Thalete profecto, finem imposuit. Maximis de rebus discordes erant Peripatetici, subtiliter & artificiosè differentes, atque Academici disertè & copiosè: licet plerique eosdem conciliare uoluerunt, ut una, ac propè consentiens duobus uocabulis Philosophiæ forma haberetur. Itaque Xenocratem audierāt Polemo & Crantor, ueteris Academiæ studiosi. Inde Arcesilas ex uarijs Platonis libris hoc arripuit maximè, rationes nihil firmi habere, nihilq; esse certi, quod aut sensibus, aut animo percipi possit: quo facto mediam induxit Academiam, sed nouam ac recentiorem Lacydes: ex qua ingenij subtilitate ad differendum, memoriæ felicitate, atque dicendi copia progressus Carneades, nullius Philosophiæ partis ignarus: quem est sequutus Clitomachus, in quo Academica Philosophia apud Græcos finem accepit. Cum igitur Peripatetici uerè de rebus pronunciarent, Academici dubitanter, extrema quasi tenebant, seuerius cum ad mores omnia reuocarent, rerum acumine magis, quàm uerborū splendore laudati Stoici, quiq; nimias uiuendi habenas laxarūt, ab Epicuro profecti. Hic Nausiphanē Democriti discipulū audierat: sed cum aliò, quàm superiores, Philosophiam detorsisset, Italici generis philosophandi postremus uindex fuit. Itaq; immodico dissentiendi studio, occupata omnia à prioribus circunspiciens (habent enim & literæ suam ambitionem) nihil cum præstare se posse confideret, studia omnium contempsit. Prouidentiam est insectatus: Dialecticam & Eloquentiam, breuibus dictis contentus, repudiauit: de Grammatica subtilius illum quædam inquisiisse refertur. Sed malignè de rerum Natura, sensuum arbitrio cuncta subijciens, ut suscepto uoluptatis patrocinio, nimia securitate introducta, multis erroribus sui studiosos implicarit. Grauia inde sunt sequuta, cum successores exortam ab eiusmodi principijs rem, & semel impulsam, in diuersa, ut fit, pertraherent. Interiecta hisce temporibus & alia Philosophorum genera, qui se communiter omnes Socraticos dicebant. Ex his Eretriaci nominantur, Megarici, Pyrrhonij, & ab Herillo alijsq; permultis appellati: sed quia imbecilles erant, & multa absurda pronunciabant, grauissimis aliorum disputationibus oppressi,

Cleanthes. *Chrysippus.* *Sectæ.* *Polemo.* *Arcesilas.* *Lacydes.* *Carneades.* *Sectæ.* *Epicurus.* *Voluptatis patrocinium.* *Philosophi imbecilliores.*

presi, explosis eiusmodi sententijs, locum non habuerunt. In tantis studiorum difficultatibus consequuta partitio, & doctrinarum omnium quoddam diuortium, cum antea cõmuni uinculo inter se disciplinæ omnes colligarentur, inde artium diuersarum instituta multitudo, ut minimè in uniuerso genere singuli deinceps elaborauerint. Graui igitur commutatione status Græciæ, una omnium Eloquentia maximè hanc cladem sensit: quæ protinus ut euecta est è Piræo, totas Asias, & omnes insulas peragrauit, amissa dictionis Atticæ natiua salubritate, integritate, & puritate, genus dicendi Asianum, plenum illud, atq; exuberans, ut erant gẽtis mores lauti & delicati, aptum suis auribus introduxerunt. Tertium ab Attico & Asiano genus fuit Rhodium, utriq;, ut est situs insulæ, cõuenienter interiectum. Itaque Rhodij saniores, & Atticis similiores, quòd populus apud eos multum posset, Eloquentiam diutius exercuerunt, & conseruarunt. Senibus iam oratoribus decem ex Theophrasti umbraculis successerat adolescens Demetrius Phalereus, eruditus ac prudens magis, quàm ad uim & ad arma comparatus: hic inflexit primùm orationem, & inclinauit, mollem, suauem, teneramq; reddens. Eandem orationem, temporum conditionem sequutus Demochares, remissum & molle dicendi genus adamauit: quo tempore primus usus Declamationum, iuuenibus ad similitudinem fori ac iudicij exercendis, putatur esse introductus. Demetrius uerò iniuria suorũ patria pulsus, ad Ptolemæum Philadelphũ regem Aegypti confugit, à quo instruendæ libris omnibus Alexandrinæ Bibliothecæ est adhibitus. Pòst Rex eiusdem Demetrij suasu, consilio, & opera, ueterum etiam Hebræorum Originum libri, missis ab Elcazaro Pontifice ex quaque tribu senioribus sex, linguæ utriusque peritis, in linguam Græcam ex Hebræa sunt conuersi: ita enim referebat, ut appropinquante instaurationis humani generis tempore, antiquissimi libri, primordiorũ totius orbis terrarum memoriam continentes, passim legerẽtur. Seniores, conuersione absoluta, Ptolemæus cum maximis præmijs remisit. Libri, uti par erat, in summa reuerẽtia habiti sunt, & adseruati. Quorum doctrinæ sanctitatem, ueterum Græciæ scriptorum illustria testimonia iam confirmarant, qui huius Hebræi populi ortum & incrementa in obscuro esse non passi sunt. Perpetuum enim illud fuit, ut clarissimis quibusq; temporibus, etiam Alexandro Magno supra hæc tempora res gerente, antiquissima hæc scripta cognoscerentur: quo eadem à suis primordijs progressa, in omnem æternitatis memoriam possent transferri. Circa hæc

tempora

Studiorum partitio.

Dicendi genera.

Demetrius Phalereus.

Demochares.

Alexandriæ Bibliotheca.

LXXII interpretes.

Poetarum celebritas.

tempora Poetæ aliquot celebres fuerunt: pastoralis Musæ scriptor uenustus Theocritus: & qui Comœdiam nouam, ueteri lege prohibita, Philemon, & præstantis ingenij Menander, introduxerunt, atque tractarunt. Inde Aratus, licet Astrologiæ ignarus habitus, optimis tamen & ornatissimis uersibus ea quæ in cœlo apparent, descripsit. Callimachus etiam Elegorum & Hymnorum scriptor, cuius discipulus Apollonius Argonautica reliquit. Ex his nonnulli, quanquam alij in tanta uarietate alios recensent, Pleiadum è numero fuere, quorum esset præcipua illis Ptolemæi Philadelphi temporibus celebritas.

Iesus Sirach.

Inde Ptolemæo Euergete regnum tenente, Iesus filius Sirach, multiplicis doctrinæ ac Sapientiæ librũ, Panareton appellant, utiliter ex Hebræa lingua in Græcam conuertit. Medicina autem, cum esset à Philosophicis studijs separata professio, in exercitatione uitæ communis tota necessariò fuit occupata.

Erasistratus.

Eandem ab Hippocrate profectã multis præceptis auxit Erasistratus Chrysippi discipulus, Aristotelis filia progenitus. Idem in exercenda arte maximis præmijs locupletatur. Sequutæ diuersis temporibus dissentientes sententiæ, cum alij artem retinendam, alij experientia niti oportere cõtenderent: ut hæc una doctrinarum omnium sæpius fuerit commutata atque perturbata.

Aristarchus.

Aristophane Grammatico institutus Aristarchus, & idem Grammaticus, Homeri libros emendauit, ac distinxit, cuius inde nomen pro censore & emendatore habitum est: ipse libros circiter DCCC numero conscripsit. Distractis ad hanc rationem, & propè collapsis Græcijs, aucto & firmato Italiæ principatu, Romanorum ingenia admiratione quadã excitata, Græcos etiam æmulari suis rerum incrementis cœperunt.

Pont. Max.

Summa erat iam à Numæ temporibus Pontificum autoritas: ij nanq; & humanarum & diuinarum rerum cognitionem profitebantur: atque publicam gentis memoriam singulorum annorum, in Annales, quos dixere Maximos, referebãt: nuda & simplex erat scriptio, breuem hominum, temporum, ac locorũ designationem continens. Itaque cum ijdem Pontifices gratia retinendæ dignitatis, suas de iure interpretationes occultas esse uellent,

Cn. Flauius.

Cn. Flauius Scriba Fastos & actiones in certam formam, ab Appio Claudio Cæco, iuris disciplina præclarè imbuto, coactas, diuulgauit: quo facto, honores illi sunt à populo delati, & Ius inde Flauianum dictum.

Religio.

Religio Romanis propè eadem quæ & Græcis, cum pro Dijs eos colerent, quorum usi fuerant opera: uitijs etiam, & ijs quæ propter detrimenta metuebant, sacra facere soliti.

Disciplina militaris.

Disciplinam militarem iam à condita urbe

exercue-

exercuerunt,& cōſtanter ſeruarunt:ut populus Romanus bellicis artibus exercitatus, orbis totius terrarum imperium tandem compararit. In foro cum graues cauſſę,& frequentes proponerentur, præmijs & honoribus iuuenum ſtudia deinceps *App.Claudius.* ſunt confirmata. Quo tempore idem App.Claudius legationi Pyrrhi, cum Senatus ſententia ad pacem & fœdus faciendum inclinaret, habita luculenta oratione, fortiter ſe oppoſuit: atq; inde ſolutæ orationis apud Romanos antiquiorem uſum repetunt. Seuera gens primò grauatim, quaſiq; contemptim & occultè, cætera doctrinarū ſtudia admiſit. Medijs primi belli Pu- *Liuius Andronicus.* nici temporibus fabulam primùm docuit Liuius Andronicus. *Crates Mallotes.* Crates interea Mallotes, Romam legatus ab Attalo rege miſſus, cum propter ualetudinē ociaretur, præcepta de literis tradidit, quibus & ad cognoſcendas diſciplinas, & ad orationem exornandam, illius ætatis ingenia optimè præpararentur, ſtudijs literarum ac doctrinæ breui in hac gente claritatem aſſecuturis: exorti inde aliquot excultioris ſermonis dicēdi magiſtri, *Archagathus Vulnerarius.* & complures diuerſis è locis Romam uenerunt. Itaque Archagatho data eſt Medicinæ exercēdæ taberna, primùm quidem gratus: poſt ex ſæuitia urendi ſecandiq; odioſus factus, ut car- *Numæ P. libri.* nifex appellaretur. Per hæc tempora, ex repertis Numæ Pompilij libris, in agro L. Petilij Scribæ, ſub Ianiculo, Latini ſunt diligenter adſeruati: Græci, quòd ad diſſoluendam religionem facerent, S.C. exuſti. Difficulter & ſimulatè literarum ſtudia Romani principes admiſerunt, quòd minus grauitati atque conſtantiæ militari cōuenire uideretur, ut ab ijs diſcerent, quos armis ſubiecerāt. Inde poſt multa decreta, ad pellēdos urbe Rhetoras & Philoſophos lata, doctrinarum uſu tandem percepto, ſtudioſè illas ſemel amplexi, unà cum imperij maximo ſucceſſu ſunt perſequuti. Retinebat eos neceſſarius ad ciuilem Prudentiam firmandam uſus, & ad comparandam Eloquentiam ma- *Iuris ciuilis tractatio.* gna ex literis opportunitas. Siquidem in Iure ciuili clari habiti ſunt P. Sempronius, Sophus à Romanis iudicatus, & T. Coruncanus: hic, cum reliqui ſuas cōſultationes ſecretò traderent, diſcere uolentibus facilem ſe præbuit, & reſponſa reliquit. Inde *Ius Aelianum.* & Sex. Aelius relatas in librū actiones populo dedit, ex eo Ius Aelianum appellatum, ac quædam ciuilis doctrinæ elementa conſcripſit. Huius frater P. Aelius, eadē doctrina fuit imbutus. Accilius etiam primus à populo Sapiens, & Scipio Naſica à Senatu Optimus iudicatus: huic ut facilius conſuleretur, domus ſacra uia eſt data. Sed maximum illius ætatis ornamentum M. *M.Cato.* Cato, ingenium, quod nemini Romanorum adhuc contigiſſe

uidebatur,

uidebatur, omnium doctrinarum capax aſſequutus, ſi perinde prima, ut affecta iam ætate, Græcorum literas delibaſſet: qui tamen cum ad excellentis Naturæ bonitatem, multiplicem communis uſus Prudentiam atque Sapientiam adieciſſet, Ius ciuile cognouit. Reipublicæ negocijs frequens, Cenſura, Imperatoria dignitate, triumpho nobilitatus, ſummam Eloquentiam graui & ſeuera oratione comparauit. Rerum geſtarum memoriam in ſcripta diligenter ſtudioſeq́ retulit: Originum libri, totius antiquitatis notitiam explicantes, nominãtur. Agriculturam, & uſu exercitationeq́ deprehenſam Medicinam, nihil in omni genere prætermiſſurus, filio cognoſcendam dedit, in ſe uno omnia inquirens præſidia, Græcorum artes & doctrinam contemnens: ut cum miſsi fuiſſent ab Athenienſibus legati tribus è ſectis, metu ne Eloquentię magnitudine, & diſſerẽdi perſuaſione, ciuium animos pro arbitratu inflecterent, publicè audiendos non cenſuit.

Trium Sapientiæ procerum legatio.

Diogenes erat Stoicus, Carneades Academicus, & Critolaus Peripateticus: tametſi priuatim unà cum cæteris ſtudioſis hominibus, illorum ſtudia & literas cognouit. Sicilia interim cùm alios præſtantiſsimis doctrinis commendatos, tum in Mathematicis, ingenij magnitudine, & dimenſionũ ſubtilitate, Archimedem in fabricandis artificioſiſsimis machinis nobilitatum habuit: uerùm continẽtibus finitimorum excurſionibus fracta ea inſula tandem concidit.

Archimedes.

Magnus pòſt è Græcia literatorum hominum Romam concurſus, qui à ſuperioribus præclarè inſtituti, ſummo in loco habebãtur. Nam progreſſus è Philoſophiæ ſpacijs bonus & grauis in primis autor, doctrina multo rerum uſu confirmata, Polybius, qui res Romanorum geſtas ſcienter, plenè, & eruditè, aſperſis illuſtribus locis, cognitu digniſsimis, conſcripſit. Eundem admiratus Scipio Aemilianus, ſuarum expeditionum comitem habuit: atque luſtrandi orbis Africi gratia, claſſem illi dedit.

Polybius.

Philoſophiam Stoicam profeſſus eſt Panætius, magnus & eruditus autor. Huius fuit ſucceſſor & diſcipulus Poſidonius, hiſtoriæ conditor: quorum doctrinis & artibus nobiles adoleſcẽtes, ac principes uiri, ad dicendum multum inſtruebantur: cum intelligerent, niſi eiuſmodi præſidijs excellentem, quam expetebant, Eloquentiam cõparari non poſſe.

Panætius.

Poſidonius.

Itaq́ iam ab M. Cornelio Cethego, quem à dulci oratione florem delibati populi, & ſuauiloquentis oris fuiſſe commemorant, Eloquentia maximis incrementis eſt prouecta, ut breui maiorem Oratorum numerũ, quàm ullus alius populus habuerit. Interiecti Poetæ complures, qui cum ſe ad Græcorum imitationem præclarè compoſuiſſent, in omni genere nihil reliquerunt inten

Cethegus.

L tatum,

tatum. Fieri enim uidemus, ut inclareſcentem ætatem illi ijdem antecedere ſoleãt. E' quibus *Ennius.* Q. Ennius, tribus linguis peritior, Oſca, Græca, & Latina, ut totidem corda habere diceretur: ſuſcitatam Poeſin longius protulit, & res geſtas Pop. Rom. numeris fideliter concluſit, alter ſuorum temporum Homerus dictus. Idem Scipionis beneuolentia, qui liberalibus ſtudijs plurimum delectabatur, uſus eſt. Poſteri uetuſtatis habita ratione, licet rudi adhuc & inculto ſermone ſcribentem, in magno loco atq; re- *Comœdia.* uerentia conſeruarunt. Nouam Comœdiam, Græcorum imitatione, Cn. Næuius, atque Statius Cęcilius Gallus, amplexi ſunt. *Plautus.* Maiore ſucceſſu Græcis literis cumulatus M. Actius Plautus, qui gratia, ſalibus, lepôre, & populari ingenio, cuius plauſum captauit, plurimum commendatur. Illius nanque ſcriptis Latina lingua primùm locupletari cœpit, tanta approbatione, ut etiam Muſas, Latinè ſi loqui uoluiſſent, Plautino ſermone loquuturas *Satyra.* fuiſſe dixerint. Satyram autem, quam ſoli habuerunt Latini, ueterem Comœdiam in maledicẽdo referentẽ, C. Lucilius, quem *Tragœdia.* primùm acuiſſe ſtyli naſum dicunt, tractauit. Tragœdiã M. Pacuuius, & L. Actius delegerunt. Sermone iam excultiore facto, arte & diligentia maiore, puritate atque elegantia, Græcorum *Terentius.* imitatione confirmatus, P. Terentius Carthaginienſis, Comœdiam ad ſummum perduxit: ut à poſteris, tanquam abſolutum *Hiſtoria.* exemplar, ad imitandum fuerit propoſita. Sed Hiſtoria ab Annalium confectionis humilitate, quam Fabius Pictor, Iuris ciuilis peritus, & Piſo Frugi cauſſarum patronus, nullis ornamẽtis conueſtitam reliquerant, deinceps paulum erecta eſt, Antipatro & L. Siſenna, atque alijs pòſt nonnullis tractantibus, ut rerum geſtarum uarietas ad poſteros transferretur. In hac princi- *Oratio forenſis.* patus magnitudine oratio forenſis, Græcorum artibus coniunctis, plenior multo facta eſt, & accuratior, dicẽdi uſu aſsiduo in grauioribus agendis cauſsis adhibito. Sermonis puritatem atq; integritatem ex domeſtica diſciplina reportabant: ut inde progreſsi in forum, principes in dicendo uiros ſibi proponerent æ- *Oratores.* mulandos. Cornelia mater duos Gracchos diligentiſsimè educauit, ut multum in dicendo commendati fuerint. Conſequuntur innumeri ex his, in ſuo genere quiq; præſtantes, elegantiam & lenitatem eruditus ac ſapiens C. Lælius, grauitatem Africanus, aſperitatem & uim Galba: profluens, uolubile quiddam & canorum Carbo, ſequuti ſunt. horum ingenijs magnas uires accepit Eloquentia, ut principatum breui in hoc populo habue- *Philoſophia.* rit. At Philoſophiam (tantę fuerunt grauitatis & ſeueritatis Romani) ſerò tandem attigerunt. Aemylius Paulus præda Macedonica,

donica, etiam literarum scripta Romam auexerat, et tres Grę cię legati iam cœperant aliquid de rebus disserere, unde eorum animi inuitarentur. Sed plurimum Sylla profuit, Romam translatis Theophrasti libris, & Aristotelis: quos Tyrannioni Grammatico, ut ordinarentur atque distinguerentur, tradidit. Iuris ci- *Ius ciuile.* uilis semper honoraria professio, multis deinceps relictis ingenij monimentis, plurimum est cōfirmata. Catonem sunt sequuti M. Manilius Torquatus, M. Brutus, & P. Mutius Scæuola. Itaque Romani eo rerum cursu, non armorū solum gloria Græcis erant superiores, uerùm etiam doctrinarum studijs pares fieri studebant, ut optimis artibus perceptis, & pręceptoribus adhibitis, omnem Eloquentiæ commendationem sint assequuti. Quam ad rem L. Plotius Gallus, Rhetorices ludum aperuerat *Rhetores.* primus, frequenti nobiliū adolescentum cōcursu celebris, suos magnis ad dicendum exercitationibus solitus firmare. Eidem facultati M. Antonius Gnipho, Græcis literis doctus, etiā Grammaticen adiunxerat. Quocirca splendor rerum, & magnitudo caussarū, perpetua Senatus cum plebe certamina, de rebus maximis consultationes, ingenia ad dicendum inflammabant, ut Eloquentia manifestum pateret iter, & apertus esset cursus, ad *Eloquentia.* gratiam, laudem, honores, autoritatem, dignitatem, & potentiam. Clari sunt habiti, orationis grauitate & ornatu præstans M. Crassus, sed acumine & elegantia mediam quandam uiam tenens M. Antonius, ut in his primùm cum Græcorum laude, copiam Latinè dicendi æquatā dicant. Socij autem & æmuli duo, Q. Hortensius & M. Tullius, maximis incrementis progredien- *Hortensius.* ti Eloquentiæ fastigium quodammodo imposuerunt: quorum ille in Cottæ & Sulpitij ætatem adolescens inciderat, uir inauditæ memorię, ut quę domi esset meditatus & commentatus, uerbis ijsdem sine scripto in foro pronūciarit: ac partitionibus, collectionibus, totoq; actionis genere potissimum commendaretur. Sed maioribus doctrinarum usus præsidijs M. Tullius, ex *Ciceronis Eloquentia.* Academicorum spacijs progressus, omni antiquitatis memoria percepta, rerum eius ætatis magnitudine, confirmato orbis imperio, & principum Græciæ in dicendo felici imitatione locupletior, inuictas tandem Græcias exæquauit: nihil ut perfectius in omni uirtutum orationis genere aures Romanæ audierint. Magnas & graues caussas suorum temporum frequēti Senatu egit: apud eum Verres, Catilina, Antonius, admirabili eloquentiæ ubertate & copia accusantur. Milo, atq; alij plurimi, magno dicendi artificio defenduntur. Aspersæ in his orationibus illustres sententiæ, ex omni doctrinæ uarietate profectæ, ut nullius

partis ignarus fuerit. Tantus in uniuersum uir, ut pauci à Romanis probati sint Eloquentes, quos uidere ille non potuerit, aut quibus illum non contigerit uidisse. Quocirca cum primus in Eloquentia Demostheni locus daretur, studij magnitudine, ne solus idem esset, perfecit. Inde Romani penè principē & inuentorem, bene de nomine ac dignitate Pop. Rom. meritū esse prædicarunt: & Græci Eloquentiam Romam deportari questi sunt. Feraci igitur illa ingeniorū ætate, principes uiri Eloquen- *Pompeius.* tiæ præsidijs suam dignitatem tutabantur. Gn. Pompeius satis amplus, rem prudenter uidebat: idem nimium quodammodo exultanti Eloquentiæ quasdam compedes iniecit, datis accusatori ad dicendum horis duabus, patrono tribus, ut esset eo ipso *Cæsar.* die perorandum. C. Cæsar prima ætate summam ingenij pura & eleganti, quam adamauit, oratione, commendationem in foro habuit, ut præter uoluntatem nihil illi defuisse uideatur: qui etiam de ratione Latinè loquendi ad M. Tullium eruditè & ac- *Latina lingua.* curatè scripsit. Quorū magnis conatibus Latina lingua ad omnem scribēdi materiam facta est accommodatior, ut uiribus, rerum Prudentia, grauitate, amplitudine, & cōstantia, sicuti erant militares Rom. animi, longè esset Gręca, licet uberiore, magisq́; ad tractandas omnis generis artes perpolita, superior: in qua retinenda tantum incubuere, & ea dignitas delata, ut legatos non *Poetæ.* nisi per interpretem audirent. Nonnulli Poetæ eruditi fuere. Nam uariam de rerum Natura doctrinam, ex Epicuri placitis haustam, Lucretius numeris cōclusit. P. Varro Attacinus Narbonensis Galliæ, literarum Græcarum peritus, Pythagorica instituta uersibus expresit. Varia sequutus est Catullus, ex Poetis illius ætatis doctissimus habitus. Remissius tamen huius partis studium, ut pauciores se huic totos dediderint: tantam celebritatem obtinuerat in rebus forēsibus tractandis Eloquentia. *Historia.* Sensit maximè hanc temporum claritatem Historia, quę rerum magnitudine, & exemplorum uarietate, plurimum accepit incrementi atque ornamenti: in quibus commemorandis, maior fuit scriptorum grauitas, & communium rerum Prudētia, cum Græci plusculum iucunditati incumbentes, exigua facta dicen- *Hortensius.* di splendore nimium extulissent. Q. Hortensium rerum Anna- *Cicero.* les quosdam notasse traditur. Postulabatur à M. Tullio, & efflagitabatur Historia: sic enim putabant, illo tractante effici posse, ut in hoc etiā Græciæ nihil cederent Romani. Potuisse (est enim unum hoc opus in primis oratorium) cùm uariæ & artificiosæ narrationes factorum, atque eruditè repetita ex omni antiquitate exempla, tum Epistolæ tam multæ ad summos Imperij prin-

cipes,

cipes, & ad Atticum scriptę, omnem bellorum ciuilium memoriam continentes, declarant. Voluit idem à Luceio, belli Italici & ciuilis præstanti scriptore, aliquãto ambitiosius, ut erat temporum conditio, res suas literis commendari. Pomponius Atticus, Græca & Romana doctrina excellenter institutus, & antiquitatis rerum studiosus, conseruatis notatisq; temporibus, nihil cum illustre prętermitteret, annorum septingentorũ memoriam uno libro, tanquã in conspectu proponens, quàm breuissimè colligauit. Remouens se à Reipublicæ negocijs & partibus Sallustius, ad præscriptum Thucydidiæ orationis, quem huic Romani opponunt, uerbis etiam ex libris Originum Catonis decerptis, accuratè, breuiter, & lustratione locorum fideliter scripsit: ut perfectius Historiæ genus, quàm superiores, protulerit. C. Cæsar, relatis in Commentarios rebus à se gestis, Prudentiæ, consiliorum explicandorum, elegantis, proprij, & puri sermonis maximam cõmendationem est assequutus: idq; humili quodam orationis genere, quod ad modestiã in rebus suis enumerandis seruandam laudatur: cuius libri, propter sermonis Latini bonitatem & integritatem, sine controuersia, posterorum iudicijs, secundum à M. Tullio locum obtinuerunt. Cornelius Nepos omnem ueterem memoriã paucissimis chartis repetijt. Illustrium principum res gestas non indisertè Aemylius Probus: sed Romanorum ultimas & reconditas Origines, instituta, ac leges, Dionysius Halicarnasseus, Varronis usus consilio, perdiligenter & copiosè Græcis literis conscripsit. E Sicilia progressus Diodorus, maximis studiorum susceptis laboribus, & excussis omnium populorum commentarijs, rerum à primordijs per diuersas ætates gestarum magnitudine animo comprehensa, annis XXX Asiam & Europam peragrauit, ut ex locorum situ atque uestigijs pleraq; superiorum scripta certius cõprobarit. Itaq; grãde hoc opus, distinctis temporibus, nihil cognitu necessariũ prætermittens, res ad Gallicum Iulij Cæsaris bellum magno iudicio, sermonisq; facilitate, accuratè & breuiter XL libris complectitur: uniuerso operi Bibliothecæ nomen datum. Consequentes eundem, propter exquisitam rerum ueritatem ex historicis omnibus receperunt, ut meritò apud Græcos nugari desijsse commemoretur. Romani igitur Gręcorum literis imbuti, etiam dissentientes priscorum de Philosophia sententias amplexi sunt. Brutum quædam uerè & grauiter scripsisse traditur. Plancus rerum cognitione probatus, & Cato Vticensis, Stoica, quæ illorum Naturæ conueniebant, constanter asseruere; idem Græcas literas censuit retinendas, à

Atticus. — Sallustius. — Cæsar. — Corn. Nepos. — Aemylius Probus. — Dionysius. — Diodorus. — Sectæ Philosophorum.

das, à quibus proauus abhorruerat. Academica plures, quod ad uberem & copiosam orationem conformandam facerent: minus multi propter deprehensam in Aristotele ex breuitatis ratione obscuritatem, Peripatetica attigerunt: nonnulli etiam ad Epicuri placita grauius delapsi. His studijs à foro ad rusticandum profecti, Græcos adhibentes Anagnostas, qui literarium aliquid & eruditum semper distincta & clara uoce legerent, oblectabantur: atque Grecorum more scholas habebant, in quibus de proposito argumento eruditè copioséq; disserent. *Lucullus.* Lucullus magni uir ingenij, optimis artibus & literis tinctus, atque Pontica prȩda factus locupletior, instructam libris omnibus Bibliothecam parauit, ut esset quoddam literarum et Musarum domicilium. Philosophos hic disputantes audiuit: consilio, re, & opera liberaliter iuuit. *Pompeius.* Pompeius Theophanem Mitylenȩum, rerum suarum scriptorem, pro concione ciuitate donauit: ac Pompeio Lenȩo liberto commentarios de Natura stirpium, è præda etiam Pontica auectos, tradidit conuertendos. *Ius ciuile.* Acerrimis horum temporum studijs auctum Ius ciuile, ad eam rationem, qua Græci disciplinas, & Hebræi sanctiora Religionis instituta, longè antè pertractarant. Huius doctoribus summa dignitas, & in responsis fides: ut qui integritatis, bonitatis, & æquitatis commendatione, Iuris prudentes, periti, & consulti nominarentur. *Scæuolarum familia.* Plurimū autem præstitit, hæreditaria quadam ratione, Scæuolarum familia, ex qua prȩter alios progressus Q. Mutius Pont. Max. ingenio, industria, Prudētia, & scriptis præstans. Nam Ius ciuile generatim libris XVIII primus constituit: cuius deinde hortatu, ad hanc doctrinā cognoscendam, *Sulpitius.* inuitatus Ser. Sulpitius: qui cum in foro caussis agendis secundum à M. Tullio locum obtineret, Mutium de re amici consuluit. sed minus ea quȩ responderat, intelligēs, cum iterum redijsset, indignatus hoc dixit: Turpe esse patricio & nobili uiro, caussas oranti, ius, in quo uersaretur, ignorare. Itaque Sulpitius ad Iuris ciuilis pertractationem conuersus, studij magnitudine, Eloquentiȩ atque disserendi præsidijs, cum uia & ratione res latè dispersas cōuenienter distingueret, multa huic arti adiumenta libris eruditissimis conscriptis importauit. Nam Oratores ad hunc tranquillitatis portū, caussis forensibus uergente ætate defuncti, sese honestissimè recipiebant. *Cicero Iuris peritus.* Ac M. quidem Tullius omnia conquirens perficiundæ Eloquentiæ ornamenta, hanc eruditionis partē non prætermisit. Iuris ciuilis etenim studio multum operæ Q. Scæuolæ se dedisse profitetur, & in persona Crassi de eodem se scripturum cōmemorat, quo dissipatam

patam

patam & confusam hanc doctrinam ad certa genera reuocaret. Hoc præstare potuisse, cùm multa suis scriptis aspersa comprobant, tum maximè libri de Legibus, & tam multarũ caussarum habitæ orationes confirmant: quæ, nisi eiusdem ciuilis obseruationis præceptis, non satis à quoquã intelligi possunt. Ingenium nactus ut doctrinarũ omniũ capax, ita, quod perpaucis scriptoribus contigit, ad ea quæ explicanda susceperat, optimè comparatus. Prima ætate omnia exercitationis genera, etiam Poeseos, adhibuit. Grandior maximis in caussis cum uersaretur, requiescens, ad ea studia sese referebat, quæ ab adolescentia, Græcis doctoribus usus, admirabili studio coluerat: ut plura breui tempore sit consequutus, & scripserit, quàm ij quibus iustum ad ea tradenda propè omni ætate est concessum tempus. Igitur utrunque studium coniuncturus, non solam forensem orationẽ excoluit, uerùm etiam de dicendi arte copiosè, eruditè, accurateque scripta reliquit: & quod uehementer laudatur, auxit linguam Romanam, atque temperato et æquabili dictionis genere optimarum artium uias suis ciuibus exposuit, & graues interioris ac reconditæ Philosophiæ locos, impressis uariæ eruditionis uestigijs, ornatè scienterque tractauit. Platonis æmulus, graues et literatas sui temporis personas fecit loquentes, quo illa quę traderet, iam confirmato horum iudicio, plus autoritatis apud omnes haberent. In his dissentientes Philosophorum familias, quarum instituta & placita studiosè cognorat, uarijs implicatas erroribus, copiosè, doctè, & firmis argumentis refutare, etiam conciliare potuit. Bene sensit de rebus, uerè & syncerè sententiam suam pronunciauit: licet multis de caussis modò hos, modò illos sequi se profiteretur, liberum tamen semper habuit de rebus omnibus iudicium. Consul cum gubernacula Reipub. teneret, de eadem pluribus literis quàm diligentissimè scripsisse, ex uestigijs, atque consequentium scriptorũ illustribus testimonijs cognoscitur, nihil ut eruditius Romanum habuerit imperium. Huius doctrinæ uarietati, & sermonis Latini opulentiæ, hanc totius operis conscriptionem par est non minima ex parte acceptam referre.

Multiplex Ciceronis doctrina.

Conuertendis autem Græcorum literis iustum ocium delegit, similitudine studiorum cum M. Tullio coniunctus M. Varro, à quo nullum in omni uarietate doctrinæ prætermissum est argumentum: de ratione sermonis erudita multa scripsit, diligens totius antiquitatis rerum Græcarum & Romanarum peruestigator: instituta, ritus, ac mores diuersarum gentium, Agriculturam, Poemata, & multiplicem rerum Diuinarum atque Humanarum cognitionem, multis literis cõprehendit, ut Polygraphi

Varro.

nomen

nomen inde habuerit: uisus eiusmodi scriptis perficere uelle, ne Romani Græca requirere necesse haberent. In eam ætatem in- *Nigid. Figulus.* cidit uir exquisitæ doctrinæ, P. Nigidius Figulus, acer inuestigator, & diligens earum rerum quæ à Natura inuolutæ uidentur, extinctam in Italia & Sicilia Pythagoreorum disciplinam renouauit: uerùm scripta illius, sicut & Varronis, propter obscuritatem minus in precio fuere, nec ad posteros uenerũt. *Tyro.* Tyro M. Tullij libertus, breuiores ad scribendum notas primus commentus dicitur. Scripsit ipse de usu & ratione Latinæ linguæ, atque præclaram in emendandis ordinandisq́ꝫ patroni libris operam nauauit. *Laurea Tullius.* Laurea etiam Tullius, numeris astricta oratione est oblectatus. Erat is doctrinæ cursus apud Romanos, Athenæ iam diu ab ea celebritate recesserant: multi capti urbis solum nomine & autoritate, easdẽ uisebant. *Antiochus.* Antiochum ueteris Academię nobilem & prudentẽ Philosophum M. Tullius audiuit. *Cratippus.* Idem Cratippo, graui & Peripateticorũ facilè principi, filium erudiendum tradidit. *Molo.* Rhodus Molonem celebrat, qui principes Eloquentiæ uiros, M. Tullium & Cæsarem, Romam etiam profectus, præclarè & diligenter instituit. *Archias.* Archias Poeta, ex Antiochiæ studijs, quæ tum florebant, progressus. *Philosophi Galliarum.* Corduba Hispaniæ Poetarum nomine est celebrata. In Gallijs tres Philosophorum familiæ numerabantur: è quibus Poetæ, quos Bardos dixerunt, Heroicos uersus, fortia clarorum uirorum facta continentes, dulcibus Lyrę modis, ad suscitandos in conuiuijs iuuenum animos, decantabant. His grauiores erant Eubages, qui sacra, ceremonias, auguria, diuinationem, Naturæ etiam caussas profitebantur. Genus tertiũ fuit Druidarum, quos Romani certius cognouerunt. Præcipua his autoritas, Eloquentiæ uim simulacro Herculis Celtici conuenienter expresserunt: de Medicina, rerum principijs, immortalitate animorum, & Deo multa sunt ad Pythagoreorum rationem philosophati. Præterea de morum informatione, deq́ꝫ Republica administranda, doctrinam habuerunt, ut iudicijs illorum atq́ꝫ consilijs publicæ & priuatæ controuersiæ sedarentur. Græcis uersibus scripta erant, quos adolescentibus XX annis in disciplina retentis ediscendos proponebant, in syluis potissimum degere soliti: præmia & immunitates illis dabantur, quo inuitari ad capessendas doctrinas ingenia possent. Cognitus ex ea di- *Diuitiacus.* sciplina Diuitiacus princeps, qui præter diuinandi artes, Physiologiæ doctrinam sibi notam profitebatur: eundem C. Cæsar & M. Tullius suis scriptis plurimum commendarunt. Sermo inde Gallicus, Græcæ linguæ uestigia, quæ etiamnum deprehenduntur,

henduntur, multa conseruauit. Constituto Romanorum imperio, & pace toto orbe terrarum, quod antea nullius memoria contigerat, firmata, literæ ad principis Augusti rationem, cum *Imperium Augusti.* & ipse excellẽter doctus esset, ac in medijs negocijs literarium aliquid tractaret, maximè ex omni genere ea deligens scripta, quæ de rerum administratione præciperent, longius sunt progressæ atque retentæ: ut non minus doctrinis omnibus, quàm pacis artibus imperium nobilitarit. Idem Verrio Flacco nepotes tradidit literis imbuendos. Scripta doctorum hominum, cum recitarentur, audiuit, & magna erga eosdem liberalitatis documenta ostendit. Ita principis auspicijs uberior fuit Poetarum fœtus, ut Poesis iam æquasse Græcias diceretur. Ingenia ex temporum conditione longa rerum quiete usa, breui multa & egregia opera reliquerunt. Quorum omniũ facilè princeps P. Virgilius Maro, alterũ à M. Tullio ingenij Romani lumen: *Virgilius.* qui Græcos proximè sequutus, nec suis omnibus, qui antè floruerant, prætermissis, optima quæque delibans, pastoricium carmen, ad Theocriti rationem, humile protulit. Agriculturæ scientiam medio quodam genere, ad imitationem Hesiodi, numeris conclusit. Sed grande ac sublime Vlyssis & Achillis Homerici res gestas in uno Aenea exprimens, Heroici carminis genus, omni ornamentorum copia, & doctrinarum omnium adumbratione, atque impressis uestigijs perfectum, Latinis hominibus dedit: quo ubertatem, & singularem Naturæ uim, accurata diligentiaq; structura, atque reconditæ eruditionis præstantia, æqualitate quadam compensauit: siquidem tam multis scriptoribus utriusque gentis succedenti, auribus iam eruditioribus erat inseruiendum. Tanti habitus, ut Senatus populusq; Romanus, auditis in theatro uersibus, surrexerit uniuersus, & fortè præsentem spectantemq; Virgilium sit ueneratus, quasi Augustum. Eundem locum apud Latinos, quem Homerus apud Græcos, meritò obtinuit, & ad perfectum scribendi exemplar similiter est propositus. Feracior ætas, rebus ita conquiescentibus, permultos alios in suo genere excellentes Poetas extulit. Et Q. Horatius Flaccus, Pindari studiosus æmulator, Ly- *Horatius.* ricum carmen, præter alia accuratum, eruditum, & feliciter expressum, Latinis reddidit: sunt in eo frequentes & illustres sententiæ, atque de rebus acutum iudicium, cultus in uniuersum, & elaboratus. Sed ingenij bonitate factus, & ad Poesim natus, facilitate ac celeritate, cuius fuit amator, plurimũ ualuit P. Oui- *Ouidius.* dius Naso: hic dissimilium fabularũ ingeniosam perpetuamq; narrationem à primordijs ad sua tempora deduxit atque colli-

gauit, & Faſtorum ſeriem eruditam obſeruauit. Tanta in eo orationis ubertas atque uarietas, ut ijſdem de rebus dicturus, uerbis alijs, cum indulgere, quàm temperare ingenio maluerit, frequenter utatur. Implicatam uerò ſiderũ materiam, ex Chal- *Manilius.* dæorum placitis, M. Manilius, Latinis literis uariè expreſsit. Eiuſmodi ingenia ampliſsimis præmijs atq; honoribus à principe retinebantur. Optimi quique huius exemplum ſunt imita- *Mecœnas.* ti, è quibus fuit Mecœnas, qui eoſdem Poetas gratia apud Auguſtum, magnis beneficijs & opera iuuare ac ſubleuare eſt ſolitus: cuius nomen deinceps pro ſtudioſorum patrono eſt uſurpatum. Sed ut cõquieuerant omnia principatu Auguſti, ſic & ipſa Eloquentia facta eſt ſedatior. Magnis nanq; de rebus non Reſpublica, ſed princeps ſtatuebat. M. Tullium audiuerant *Meſſ. Coruinus.* Meſſala Coruinus, qui plus cultu & uenuſtate, quàm uiribus *Aſin. Pollio.* præſtitit: & Aſinius Pollio, eruditus atque diligens, autoritate apud Auguſtum plurimum ualuit, ſeuerus ſuperiorũ ſcriptorum reprehenſor. Pictis literatorum hominum imaginibus, Bibliothecam ordinauit: atque ij duo uicinæ ætati, quæ in dicendo omnem cõmendationem fuerat aſſequuta, ſimile quiddam adhuc retinebant. Declamationibus magni uir & aſsidui in li- *Porc. Latro.* teris ſtudij Porcius Latro, diligenter ſe exercuit. At T. Liuius, *T. Liuius.* ſtudijs philoſophicis (ea prima ætate tractarat) prætermiſsis, Hiſtoriam, quæ poſtulabatur, delegit: atque maximis laboribus, multiplici cõmunium rerum uſu et cognitione inſtructus, res P.R. ab ipſis temporũ primordijs, ſingulari orationis ubertate, amplitudine, Prudentia, & cõſilio, excuſsis diligenter cùm annalium chartis, tum etiam cæteris ſcriptoribus, qui in utraq; lingua ſcripſerant, C & XL libris, ad hæc Auguſti tempora plenißimè repetijt, ut ſcribẽdæ hiſtoriȩ lex fuerit appellatus. Atq; ita in quibus Romani cum Græcis pares iam eſſent, Eloquen- *Q. Curtius.* tia & Poeſi, tertium additum Hiſtoria. Q. Curtium, rerum Alexandri Magni ſcriptorem, Prudentia in exponendo, candore, integritate ſermonis, deſcriptionibus, ſententijs, atque concionibus probatum, etſi non ſatis conſtat, extremæ tamen paginæ coniectura, in hæc Auguſti tempora reponunt. Nec cæteræ artes, libero homine dignȩ, illuſtri hoc ſeculo, explicata *Higinus.* omni Græciæ opulentia, ſunt neglectæ. C. Iulius Higinus, Auguſti libertus, rem cœleſtẽ uariè deſcripſit, & Palatinæ Bibliothecæ præfuit: quem eundẽ, propter doctrinæ amplitudinem, *Vitruuius.* Polyhiſtorem atque Hiſtoriam uocarunt. Architecturam Vitruuius, ex Græcorum ſcriptis, diſtinctè, & multis aſperſis, eru- *Ant. Muſa.* ditè pertractauit. Medicinam Ant. Muſa pręclarè exercuit: qui poſtea-

poſteaquam ex ancipiti morbo Auguſtum liberaſſet, ſtatua eſt donatus. Cum uerò imperij totius ſtabilimentum in una Iuriſ- *Ius ciuile.* prudentiæ doctrina eſſet poſitum, honoribus atque præmijs uehementer impulſa ſunt ingenia, ut plurimi ſe totos huic ſtudio tradiderint: quo facto, ex doctrinis omnibus potiſsimum hæc à Romanis, maximis ſtudiorum contentionibus eſt tractata & exculta. Itaque cum ad hanc ætatem Iureconſulti fidenter ſua reſponſa dediſſent, quo maior illis fides haberetur, conſtituit Auguſtus, ut ex autoritate ſua reſponderent: inde peti hoc pro beneficio cœpit, & doctrinæ dignitas plurimum cõfirmata. Ex præcedentium temporum commutationibus remanſerat Trebatius, qui apud Auguſtum ſummo in loco fuit. Præ- *Trebatius.* terea ex duobus doctoribus, Atteio Capitone, qui Cõſulatum *Sectæ Iureconſultorum.* geſsit: & Antiſtio Labeone, qui in ſcribendo atque docendo ætatem egit, diſſentientes de Iure ciuili ſententiæ ſunt exortæ. Nam Capito ſemel percepta & cognita ſeruare: Labeo eruditus, ac Prudentia diſſerẽdi inſtructus, multa cõmutari debere demonſtrabat. Hæc ita ab ijs ſemel impulſa, & ſuis, ut fit, nixa defenſoribus, magnis utrinque diſputationibus longius progrediuntur. Qua ætate cõquieſcentibus populis, celebritatem atque perfectionem cuncta aſſequuta uidebantur: ſed ſanctior doctrina nuſquam extabat, Græcorum & Romanorum falſis religionis inſtitutis locum toto orbe terrarum habẽtibus: collapſa etiam præcedentium temporum acerbiſsimis calamitatibus, & perturbata ueteri ac ſanctiore Hebræorum diſciplina. Itaque ſupra hæc tempora, iam à principatu Ionathæ, qui Iudæ *Sectæ Iudæorum.* Machabæo fratri ſucceſſerat, grauiſsimè de Fato inter ſe diſſentientes ſectæ, quod & Philoſophiæ antea contigerat, ſunt excitatæ, & per multos annos retentę. Sadducæi erant, qui in maxi- *Sadducæi.* ma uitæ ſecuritate degẽtes, animorum interitum atque legem, ciuili cuidam tranquillitati introductam, ſolis naturalibus hominum rationibus confiſi, malicioſè pronunciabant. Alterum genus fuit Eſſæorum: hi paruo contenti, & æqualitate quæſita, *Eſſæi.* à ciuilibus negocijs ſeſe ſubducentes, ruri degere, ad communitatem uitæ, facultates in medium proferre, ſeueram ac laborioſam uitam deligere, & à matrimonijs abſtinere ſolebant. Tertium genus, Phariſæorum, qui animos nunquam interituros, *Phariſæi.* commeare autem bonorum, at improborum ſupplicijs affici, defendebant: atq; ij rerum adminiſtrationem ſoliti erant ſuſcipere. In tantis rerum difficultatibus, aliquot erant familiæ, quę ſanctioris diſciplinę reliquias cõſtanter ſeruabant. Nam Vzielis filius Ionathas, Hillellum audiuerat, ut legis peritiſsimus, *Ionathas.*

orientis populos (quoniam Iudæi in diuersas partes tum erant dispersi) uolens instituere, sacros Originum libros, cum ijs qui sunt adiuncti, in Chaldaicã linguam fideliter & explicatè conuerterit. Eundem Ionatham, æqualem atque condiscipulum Si-

Christi aduentus. meonem, Iustum cognominatum, habuisse referunt. Itaque Augusto Romanorum imperium tenente, rebus ad maius incrementum progredietibus, nuncij Gabrielis, à summo Deo missi, ad oppidum Galilææ, cui Nazareth fuit nomen, lectissima uirgo Maria, desponsa Iosepho, salutatione confirmatur. Qui cum certis successionibus genus suum à Dauide Rege deducerent, edicto Augusti obsequuturi, quo describebatur orbis uniuersus, Cyrenio tum Iudeæ prefecto, Bethleem oppidum ue

Natalis. nerunt, ut tribui Iudæ nomen profiterētur. Hic Maria sanctioris Spiritus satu, IESVM CHRISTVM edidit, tot excellentum Vatum gentis Hebręæ, atque Sibyllarum, ut cõmuniter populis omnibus notũ esset, decãtatis testimonijs promissum, & continentibus optimorum uotis cõcordissimè expectatum. Annus is fuit Augusti XLII. Calend. Ian. VIII. A cuius ortu, eius diei memoriam continuantes, seriem temporum dinumerare cœpimus. Magi ex orientè ducem stellam sequuti, oblatis preciosis muneribus, infantẽ uenerati sunt. Simeonis iusti ac pij præclaro testimonio, salutarem diem orbi uniuerso terrarum illuxisse cognitum. Infans ab Herodis atrocissimis insidijs conseruatus, XII annum attingens, à suis de more ad templum Hierosolymæ deducitur: hic cum eruditioribus gentis de lege Mosis sapienter atque diuinitus multa pronunciauit. Aetatis anno

Doctrina. XXX, Tiberij principatu, instaurationis humani generis tempore aduenietẽ, à Zachariæ filio Ioanne Baptista, qui tanquam præcursor, expectatã salutem adesse monebat, Iordanis fluminis aqua tingitur. Inde Christus Hebræorum disciplinam, temporum diuturnitate confusam, certius explicare uolens, stabilire, & propagare, pręcellens utique Euangelium, uniuerso hominum generi excipiendum & cognoscendum proposuit: ad quem audiendũ, finitimis è populis maximus concursus est factus: quorum omnium mentes deiectæ, pręter corporum sanationem, & à mortuis excitatos, plurimis immensæ diuinitatis documentis, optimam Spem tantarum promissionum habuere. Ita enim salutariter informabantur, quando non alius de singulari Dei uoluntate, quàm Deus ipse conciliator missus, testi-

Discipuli XII. monium certius ac uerius dare potuit. Quocirca è media plebe uiros morum probitate commẽdatos XII, in discipulorum ordinem delegit, cõscios ac testes tantorum operum, & huius

sanctioris

ſanctioris Reipublicæ, orbis totius terrarum dominatum habituræ, atque multis diuinitatis documentis confirmandæ, ſeminarium: quo ita illo in terris agente, ad docendos populos paſſim diſsitos, fidelius inſtituerentur. At principes Iudæorũ, corruptæ diſciplinæ uindices, cum maxima flagrarẽt inuidia, hunc cœleſtis doctrinæ ſplendorem orbi terrarum illuxiſſe, moleſtè ferebant, ut acerbiſsimam mortem innocenti præpararint. Hęc longè antea Vates præſignificarant, mortales monuerãt, & ſcriptis illa uentura clariſsimè teſtificati erant, ne quid non antè ab omni æternitate cognitum uideretur. Chriſtus igitur, præſide Pontio Pilato, nullius criminis reus peractus, condemnatur, & grauiſsimis contumelijs exagitatur. Ac nocte qua prodebatur, ad memoriam communiter repetendam ſuos hortatus, ſalutem omnium noſtrûm, in crucem ſublatus, ſua ipſius morte innocens recuperauit. Natura cum diuinitatis pręſentiam teſtificaretur, obſcura Solis ac Lunæ caligo, & horribilis terræ motus eſt conſequutus. Tertio pôſt die, XVIII anno principatus Tiberij, ut ſuis prædixerat, ab inferis excitatur: atque ita expiatis, iam à commiſſa graui per Adamum offenſione, delictis, & proſtratis, latiſsimè uictor, hoſtis Criminatoris uiribus, diſcipulis uiſendum ſe præbuit: iubens firmiſsima Spe ſanctiorem Spiritum, ut certiſsimum rerum omnium confirmatorem atq; conſolatorẽ, expectare. Poſtremò relictis eiuſmodi manifeſtiſsimæ diuinitatis documẽtis, & tantis gentium omnium Doctoribus, cum tres & triginta annos in terris fuiſſet commoratus, multis ſpectantibus, cœlum conſcendit, dextræ ſummi patris Dei aſsidens, uniuerſi generis hominum Iudex futurus. At in Romano Imperio, graui temporum commutatione, peregrinis in urbem diuerſis è locis influentibus, atque ciuitatis moribus ad delicias conuerſis, non Latinæ linguæ modò natiua puritas, perfectio, & integritas, quod futurum præſenſerat M. Tullius: ſed etiam doctrinæ & literarum ſtudia, celerius quàm euecta fuerant, à ſuperiorum celebritate declinarunt atque deſciuerunt: ut nonnullos illius ætatis ſcriptores, ex dictionis tãta diſsimilitudine, alijs temporibus uixiſſe credi poſsit, literis ad principatuum conditionem quodammodo & inclinantibus & inclareſcẽtibus: quadam etiam ratione naturali, rebus ab humili ad ſummum progreſsis, cum permanere in eodem ſtatu nequeant, celeriter inde à ſummo recedentibus. Fieri nanque uidemus, ut principiò ætatum admiratione, comprobatione, atque mutua ſtudioſorum hominum æmulatione, inflammata ad diſcendum ingenia, omni contentione in his elaborare ſoleant, quæ ſibi propoſuerint,

Mors.

Ab inferis excitatus.

In cœlum conſcenſio.

Inclinatio literarum.

magnos facere progreſſus,& non imitanda relinquere. Conſequentes uerò,licet ijſdem ueſtigijs inſiſtant,cum optata aſſequi poſſe diffidunt, uelut iam occupatam materiam deſerunt, ſeq; ad aliud conuertunt,in quo felicius uerſentur.Sed frequens,inconſtans,& mobilis ille ad diuerſa ſtudia tranſitus,ſpe omni languesſcente, ac ſeneſcente, ingenuũ & naturale animi corporiſq; robur minuit,debilitat,atq; frangit. Protinus igitur mutata ſtudiorum ratione,hæc ætas,quaſi ſpe omni deiecta,ſuis diffidens uiribus in emendandis,exponendis ueterum ſcriptis,& locis illuſtrioribus ex ijſdem colligendis, multam operam collocauit. Ex principibus plerique ſtudijs literarum primis annis imbuti *Tiberius.* fuerant.Nam Tiberius Theodorum Gadareum Rhetorem audiuerat,ac Coruinum Meſſalam in dicendo fuerat ſequutus, ut in principatu frequenter cum literatis diſſeruerit,& linguæ Ro*Caligula.*manæ integritatem ſeruare ſit conatus. At Caligula,omni eruditione,præter ſolam dicendi facultatẽ,contempta,maximo odio principes doctrinarũ eſt proſequutus: cum ſibi tantum in obliterandis Homeri ſcriptis licere exiſtimaret, quantum Platoni, qui eum ex ciuitate,quam cõſtituebat,eieciſſet. Virgiliũ etiam, T. Liuium, atque Iureconſultorum libros ſummouere cogita*Claudius.*uit.Claudius plurimũ ſtudij in cognoſcendis Latinis Græciſq; literis poſuit:& Liuij hortatu,res geſtas Latinè,etiã Græcè con*Nero.*ſcripſit.Nero Anneo Senecæ in diſciplinam traditus, Muſicæ ac Poeticæ ſtudijs, fingendi pingendiq; artes coniunxit, cuius approbatione illa ætas multos eiuſmodi artifices dedit,Per hęcce tẽpora, iam à Tiberij principatu, homines literati in ſuo mu*Probus.*nere perſequẽdo uerſabãtur. Grammaticen Valerius Probus, habita temporum conditione, aliquanto diligẽtius cœpit exercere: ueterum ſcriptorum monimenta, ne corrumperentur, & contempta iacerent,proferre:atque ijſdem inter ſe collatis,ad le*Poetæ.*ctionis ueritatem ſeruandam,emendare. Poeſis, licet à ſuperioribus inclinaſſet, multis tamen elaborantibus, in magna laude retenta.Bellum nanque Pharſalicum,ſpiritu & ſono hiſtorico, numeris ingenioſè concluſit, ex Hiſpanijs progreſſus Anneus Lucanus.Punicum arte & cura Silius Italicus, Satyram Perſius eruditus conſeruauit.Hiſtoria non eſt prætermiſſa.Res etenim ſuorum temporum,ueteri memoria his cõiuncta, breuiter,nec *Velleius.* ineleganter ſcripſit Velleius,quem Paterculum dicunt: inſertis ad hanc, quam ſequi conamur rationem, nonnullis hominibus literatis.Illuſtrium uirorum utriuſq; gentis dicta & facta,diſtin*Valerius Max.*ctis uirtutum ac uitiorum generibus, Valerius Maximus:Pom*Pomp.Mela.*ponius Mela breue, nec ineruditum totius Geographicæ do-

ctrinæ

ctrinę libellum reliquit. Diſciplinas cõplures, Rhetoricen, Rem ruſticam, militarem, atque Medicinam, ex omni Græcorum & Latinorum uarietate, Cornelius Celſus pertractauit, ut in unaquaq; *Celſus.* elaboraſſe uideretur, Scepticos ex Philoſophis non ſine cultu & nitore imitatus. Agriculturam ex omni ſcriptorum copia, uſu, atque exercitatione comprobatam & locupletatam, eleganter accurateq; L. Moderatus Columella eſt perſequutus. *Columella.* Stoicam autem Philoſophiam, rerum multiplici cognitione, incompoſita (temporum iniquitati ipſe aſcribit) licet oratione, ut arenam ſine calce eſſe dixerit Caligula, crebris tamen ſententijs, grauis autor & ſeuerus An. Seneca Hiſpanus. *Seneca.* Amœno fuit is ingenio, ſuis temporibus accõmodato. Græciæ interim etiam ante Tiberij tempora, non omnino conquieuere: ſed recordatione ſuorum, qui diuerſis ætatibus inclaruerant, receptis animis, literas in omni uarietate amplectuntur, quaſi occupatam à prioribus Romanis doctrinarum omnium tractationē & profeſsionem repetituri. Strabo igitur, ex libera in omnē orbis ter- *Strabo.* rarum partem luſtratione, Auguſti imperio pace confirmata, eruditum in primis & uarium de Geographia opus, ad minuendum nudæ ac ieiunæ ſitus locorum deſcriptionis in legendo tædium, diuerſa gentium inſtituta, mores, locorum conditionem, & Naturam, res geſtas, productis ueterum locupletiſsimis teſtimonijs, etiam ab Homero longè repetitis, pleniſsimè complectitur. Dioſcorides, quem nonnulli in hæc tempora reponunt, *Dioſcorides.* ex longis peregrinationibus inſtructior reuerſus, diſtinctius quàm ſuperiores, & eruditius, ſtirpium, cęterarumq; rerum, ad Medicinæ materiam pertinentium hiſtoriam, expreſsis conuenienti oratione imaginibus, pertractauit. Didymi Alexandrini, *Appion.* quem Auguſti temporibus librorum amplius quàm tria millia cõſcripſiſſe traditur, alumnus Appion, idem & Grammaticus, tantam ſuorum ſcriptorum opinionem habuit, ut eos immortalitate à ſe donari diceret, ad quos aliquid cõponere eſſet ſolitus. Eundem Tiberius Cymbalum mundi idcirco appellauit: alij, quòd ueteris memoriæ ſtudioſus haberetur, Polyhiſtorē nominarunt. Philo Iudæus, Platonicæ doctrinæ æmulus, præter Phi- *Philo.* loſophiæ ſtudia, uetuſtam etiam Hebræorum doctrinam magna eruditione & eloquentia eſt perſequutus. Ius autem ciuile, *Ius ciuile.* quòd ad ſtatum Imperij retinendum plurimũ faceret, conſtanter retinetur, & multis elaborantibus locupletatur: non prętermiſsis ijs controuerſijs, quas ſuperiores iam excitauerant. Labeonis etenim dicta aſſeruit Nerua, & Capitonis Maſurius Sabinus. Acceptum uerò ſaluberrimæ doctrinæ, in omnes orbis

terrarum

Apoſtolorum munus.

terrarum partes proferendę munus, cum Apoſtoli atque diſcipuli, ſanctiore Spiritu confirmati, uarijs perceptis linguis, exequerētur, relicta Hieroſolyma, qua in urbe primordia Religionis, multorum concurſu ſalutariter ducebantur, inuidia potentiorum grauius oppreſsi, Antiochiam poſt conceſſere. Hic frequens undique accurrit multitudo, primum Chriſtianorum nomen auditum, & profeſsio Chriſtiana inſtituta.

Chriſtiana profeſsio.

Ab eadem urbe digreſsi, prouincijs totius orbis terrarū inter ſe diſtributis, perinde ac Legati, communibus animis diſiunctos populos Chriſtiana doctrina imbuerunt: ut eoſdem doctrinæ ſanctitate, uitę continentia atque innocentia, & magnis editis, ad omnem diuinitatis comprobationem, rerum documentis, Chriſti imperio adiungerent. His incrementis res breui ſucceſſere, ut ſuperatis ijs difficultatibus, quæ ſunt conſequutæ, Chriſtianum nomen atque doctrina latiſsimè, quod ipſe in terris degens mandarat, propagaretur.

D. Paulus.

Receptus in communitatem Apoſtolorum grauis antè oppugnator Religionis Chriſti Paulus, pręceptore Gamaliele in Moſis diſciplina uſus, & doctor gentium factus, omnes terras obiuit: diſsitos longius populos ſanctis & eruditis epiſtolis, quæ habentur, erudiuit atque confirmauit. Huius præſtante diſciplina accuratè tradita, Hebręorum & Chriſti doctrina, locis illuſtribus utriuſq; ueteris ac noui fœderis productis, optimè eſt ſtabilita atq; confirmata. Animus in proferenda Religione tantus, ut Græcorum ac Iudæorum rationibus prorſus debilitatis, ex his plerique, ſuorum ſtudijs relictis, ad hanc doctrinam amplectendā certatim ſeſe transferrent. Quocirca Romam profectus, cum nihil reformidaret, Nerone, primùm effuſo ſanguine in Chriſtianos, atrocius ſæuiente, innocenti Paulo capùt eſt præciſum.

D. Petrus.

Petrus autem, multis hominum millibus apud Antiochiam ad Chriſtum conuocatis, Romam uenit, atq; ſanctiſsimæ huius Religionis doctrinam explicuit: inde poſt ſuperatum præſtigiatorem Simonem Samaritanum, in crucem, terram uerſus capite depreſſo, ſublatus, Linum ſucceſſorem habuit.

Euangeliſtæ.

Vitæ Chriſti progreſsionem, & ſanctiora inſtituta, Matthæus primùm conſcripſit: inde & Marcus à Petro, & Lucas à Paulo fideliter informati, perpetuis rerum monimentis conſignarunt & conſecrarunt. Idem Lucas Apoſtolorum actis præſens, quantis contentionibus, quibuſq; difficultatibus promota ab ijſdem fuerit Religio, luculentiſsimis ſcriptis eſt perſequutus. Ioannes relegatus in Inſulam Patmos, diutiſsimè uixit: qui cum fuiſſet à Chriſto maximis de rebus ſecretò informatus, de inſtauratione generis hominum ſanctiſsimam hiſtoriam con-

didit:

didit: atq; Vatum more, quasi quosdam rerum futurarum Annales, reliquum hoc sacrosanctis libris fastigium imponens, diuinitus patefecit. Sunt hæc præclara & salutaria nostrę Religionis Christianæ primordia. Romanis autem, bonorum principum interuentu, uires Imperij recolligentibus, literę etiam priorum æmulatione excitata, longius progrediũtur, & conseruantur. Ea ætate, C. Plinij Secundi cognita est laboris & studij magnitudo, *Plinij historia.* qua uarium & multiplex de omni parte Naturę opus, ex scriptoribus utriusque gentis propè innumerabilibus, suis quoque insertis obseruationibus, diligentissimè comportauit: omnem Latini sermonis opulentiam, quæ alioqui interire potuisset, in explicanda tanta rerum uarietate cõprehendens: quo facto, magnum scriptorũ desiderium, qui diuersis temporibus in omni doctrinæ genere excelluere, quiq; temporũ iniuria periere, nobis reliquit. Magnus utique uir, nisi in Naturæ admiratione quodammodo occupatior, longius ab ipsius Naturæ autore supremo Deo, ex improbata etiam à reliquis Philosophis Epicureorum sententia, recessisset. Poetæ his temporibus extitere, *Poetæ.* Saleius Bassus, cui quingenta sestertia Vespasianus donauit. Valerius Flaccus, qui Apollonij imitatione Argonautica scripsit. Heroicam dignitatem Syluis exprimens, Statius Papinius consequitur. Inde & Iunius Iuuenalis, in Satyra ad carpendum uehementior. Sed in Historia, Cęsarũ dicta, facta, totiusq; *Rerum scriptores.* ab ortu uitæ cursum, C. Suetonius Trãquillus ad Domitianum deduxit, & non ineleganter, liberéq; descripsit. Consilia Imperatoria, quæ Stratagemata dicuntur, generibus conuenienter distinctis, ex omni Historicorum copia diligenter collegit Sex. Iul. Frontinus. Per hæc tempora Iul. Solinus C. Plinium proximè est sequutus, ut eiusdem simiam appellent, erudita quædam in libellum comportauit. Asconius Pædianus M. Tullij orationes, atque Virgilium, illorum temporum maioribus præsidijs adiutus, eruditis commentarijs explicuit. Itaque Vespasiani auspicijs, *Stipendia literatorum.* qui prima ætate præclarè literis Græcis, Latinisq; institutus, non infeliciter uersus scripsit, utriusque linguę Magistris magna stipẽdia publicè sunt proposita, quo ad capessendas omnis generis doctrinas ingenia possẽt inuitari: inde Scholis eiusmodi erectis, frequens discipulorum concursus factus, quos ad similitudinem fori, declamationibus Rhetores exercuerũt. Ex his primùm stipẽdia è fisco M. Fabium Quintilianum accepisse *Quintilianus.* tradunt, qui mutata iudiciorum forma, inclinanti suis temporibus, ut ipse profitetur, Eloquentiæ, salutares manus adferre est conatus: dum M. Tullium studiosè consequutus, perfectum

Oratorem maximo iudicio,singulari acumine & Prudētia,multis & ijs selectissimis documentis eruditè accuratec᷑ constituit. Nam modò natum puerum & susceptum educat, informat, instruit,atq᷑ exornat, nihil in omni disciplinarum genere prætermittens,quod futuro Oratori necessarium uideatur.E' cuius ludo magni in literis uiri sunt profecti.Flauium Domitianū (licet Philosophos ac Mathematicos ex urbe exegerit) Bibliothecas incendio absumptas,magnis impensis reparasse traditur,missis *[Græcorum studia.]* Alexandriam qui describerent,atque emendarent. Ac nec Græcorum ingenia languerunt. Stoicus nanque Epictetus, excussa rerum humanarum cura, animi quandam tranquillitatem sibi proponens, de eadem præcepta quàm breuissimè conclusa reliquit. *[Apol. Tyaneus.]* Pythagorica longis peregrinationibus totius orientis confirmatus, multa admiratione digna referens, Apollonius Tyaneus asseruit,cuius res uarias maximis commentis Philostratus postea est persequutus, & Flauius Vospicus se scripturum pollicetur:extant epistolæ ad diuersos populos scriptæ.Iudęorum uerò calamitatem (rebus etenim interfuit ac præfuit) Græcis li*[Iosephus.]*teris accuratè cōscripsit Flauius Iosephus.Eadem lingua,quam hoc potissimum consilio didicerat, ne hæc in obliuionem posteritatis uenirent,Hebręorum Origines,diligenti seruata ratione temporum,ad suam ætatem copiosè ac fideliter deduxit,magni *[Sermo Latinus.]* Historici munere præclarè functus. Latini sermonis & dictionis salubritas atq᷑ puritas multum iam inclinauit: ut soluta oratio,temporum conditionem sequuta, uarietate quadam studiorum,& lectione Poetarum, quasi floribus, ornaretur ac pinge*[Plinius Iunior.]*retur.In hæc tempora incidit Plinius Iunior,qui studio atq᷑ diligentia non paruam in dicendo laudem meruit.leguntur elegantes illius Epistolæ, omni rerum uarietate plenissimæ. Hic cum esset locuples,Quintilianum præceptorem iuuit, & Bibliothe*[Palladius.]*cam instituit. Palladius idonea è dissimillimis occupationibus, mensium tempora deligens,omnem Agriculturæ scientiā conuenientissimè distinxit. Cæterarum disciplinarum studiosi, in excerpendis scriptorum locis, & ijsdem interpretādis, multum occupantur. Magnus erat literatorum hominum, quos adolescentes consequebātur,ad publicas Bibliothecas cōcursus, commentandi,conferendi,audiendi,atque differendi gratia,ut inde scriptorū cuiusq᷑ generis testimonia,ad dubias res ambiguasq᷑ explanandas,& ad ea quæ assererent confirmanda, in promptu haberent: Grammaticis omne scriptorū genus studiosè,& multa diligentia excutientibus,atque in ordinem ueterum scripta *[A. Gellius.]* reponentibus.Non cōtemnenda A.Gellius ex uarietate lectionis pro-

nis pro-

nis protulit, literatorum hominum sui temporis quandam multis de rebus differentium historiam cõprehendens. Apud eum nobiles Philosophi Taurus atque Fauorinus erudita nonnulla referunt. Poesim iam à superiorum celebritate inclinantẽ, à Do *Martialis.* mitiano ad hęc Traiani tempora, breuibus, iucundis, & argutis Epigrammatis, multiplici rerum in omni uita occurrentium uarietate notata, sed immodica scribendi licentia, exercuit M. Valerius Martialis. Historiam magnis studijs Cornelius Tacitus *Cor. Tacitus.* plurimum adiuuit. Est enim prudens rerum explicator, ut domi & militiæ gesta, ab Augusto ad Adrianum, graui oratione diligenter scripserit: T. Liuij operibus, siquidem ea extarent omnia, ad seriem rerum Romanarum seruandam, proximè coniungendus. Adrianus Imperator primis annis excellenter in omni *Adrianus.* literaturæ uarietate uersatus, claros sui temporis hòmines eruditis disputationibus plurimum excitauit: atque studia Atheniensium, constructa Bibliotheca, liberaliter adiuuit. Romanorum autem ingenia ad tractationem Iuris ciuilis sese conuerterunt, *Ius ciuile.* senescentibus interea Eloquentiæ studijs. Nam mutata iudiciorum forma, populo ac Senatu à Principis autoritate pendente, Oratoribus relictis, caussæ ad Iureconsultos deferebantur, ut ijdem essent dicendi & consulendi magistri. Itaq; in Iureconsultorũ successione, Sabinũ Cassius Longinus est consequutus, à quo Cassiani: è quibus fuere Cælius Sabinus, & Priscus Iabolenus. Diuersa ex parte Neruam Proculus, à quo Proculiani, qui illius placita asserebant. Huic dein successit Celsus, pater atq; filius: simul & Priscus Neratius, quem Traianus successorem erat relicturus, Adrianus inde consultorẽ habuit: qui idem Adrianus, studio Iuris doctrinæ conseruandæ, Saluio Iuliano mandauit, ut Prætorum edicta in unum comportaret: atq; eos, *Perpetuum edictum.* qui suorum studiorum fiducia niterentur, idoneos ad respondendum esse uoluit, & liberum deinceps cuique fecit. Inde exorta Iureconsultorum multitudo, ut horum prudentissimis consilijs Imperatores ad tranquillitatem principatus optimas diuersis temporibus Constitutiones reliquerint. Haud ita longè ab hisce temporibus Macrobium Aurelium uixisse credunt, qui Platonis in primis studiosus, ex uarijs scriptorum obseruationibus, Virgilij mutuationes aliqua diligentia enumerans, eruditos Saturnaliorũ libros, sermonis puritate, quod ipse testatur, iam immutata, conscripsit. Historia omnium propè ætatum *Historia.* communis professio, ad rationem temporum progrediebatur: cum magnitudinem scriptorum refugientes, breuitatem quandam anteponerent. Quocirca uniuersam P. Rom. historiam L.

Florus breuiter et ingenioſè quatuor libris cõtraxit:quanquam traditum eſt, Senecam eiuſmodi quoddam opus ad rationem progreſsionis hominũ ætatis conſcripſiſſe. Coegerat in XLIIII libros, res omnium ætatum & gentiũ, Diodori Siculi exemplo, Trogus Pompeius:ſed uariam ac multiplicem illius hiſtoriam, breuiorem à Iuſtino factam, & Antonino inſcriptam, hoc tempore habemus. Vtile hoc fuit Trogi atq; Diodori conſiliũ, perpetua narratione ex diuerſis ſelectiſsima in unũ corpus referre: ut cum ex ſeparatis Hiſtorijs multæ negligãtur, & facilè pereãt, diutius neceſſaria rerum cognitio ita cõſeruetur. Sed breuibus ſcriptis Flori ex Liuio, ſiquidem illius ſunt, & Iuſtini ex Trogo, ipſos autores interire pleriq; exiſtimant: quòd poſteri his cõtenti, ſcriptorũ magnitudinẽ auerſentur. Verùm nõeſt ſola hęc ratio, ut quodãmodo fieri diuinitus credatur, ſi quibus ſcriptis detur uita lõgior. Nam ſi uolumus grauiſsimã eiuſmodi iacturam æſtimare, etiam libros in pauciora non contractos, propè innumerabiles diuerſis ætatibus periſſe comperiemus. Sed in continenti literarũ progreſsione, Romani ſtatum confirmaturi, prouincias, Latini ſermonis cõmunicatione tenuerunt: quoq; id fieret melius, non modò iura Latinè reddi uoluerũt, uerùm etiam effecere, miſsis profeſſoribus, ut ſtudia doctrinæ ac literarũ traderentur. Et in Gallijs quidem Maſsiliæ, quam ad urbem adoleſcentes Romani non aliter quàm Athenas mittebantur. Græcam comitatem ea retinuerat, ut plurimi quiſq; fieret, hac Maſsilienſi diſciplina excultus. Cæteræ etiam urbes noua hac doctrina, cõmutato principatu, imbuebantur: cum iam Tiberij facto, Druidarum inſtituta fuiſſent ſublata. Nam & Lugdunũ, in quo antea fuerat, maximo totius Galliæ concurſu, memorabile Poeſeos atque Eloquẽtię certamen, & Veſontio, Auguſtodunum, ipſæ etiam Britannię cõplures literarum magiſtros habuerunt, quorũ è ludis multi prouinciales eruditi progreſsi ſunt. Factum inde, ut omnis Gallia, priſcorum lingua amiſſa, Latinam acceperit: quam ad hanc memoriã, relictis manifeſtis uocum ueſtigijs, ſeruauit. Protinus ut Græci animos receperunt (uidebantur enim Romani languenti Græciæ literas eripuiſſe) lectionis magnitudine, ac rerum omnium uarietate, erudita multa ſunt aſſequuti: ut ſuperiorum ſcripta excutere, ex ijſdem optima excerpere, atque magnæ doctrinæ opera relinquere uoluerint: Romanis principibus illos euocãtibus, & in ijſdem ſtudijs retinentibus. Summum inter ſuæ ætatis ſcriptores locum tenuit, Traiano Imperatore, grauis in primis & magnus autor Plutarchus Chæroneus, diligẽtia, iudicio, integritate laudabilis: à quo facta illuſtrium

Prouinciales literis imbuuntur.

Græcorum ſtudia.

Plutarchus.

illustrium utriusque gentis Imperatorum, incrementa à prima ætate, & progresiones ad suos exitus deducens, plenisimè & eruditisimè describũtur. Philosophiam nullius partis ignarus aptisimè coniunxit: ut selectos ex omni uarietate locos, accurata exemplorum atque similium collatione instructus, studiosè tractarit. Sed dialogis, nouo instituto, ad ueteris Comœdiæ & Satyræ quandam rationem, cui omnia fuerunt ludibrio, etiam nostræ Religionis sanctitas, nimium licenter iocatur Lucianus. Illa tamen ætate, felici ueterum Græciæ scriptorum imitatione, dictionis Atticæ uenustatem expresit. Inde Adriani imperio, scriptorum Græciæ fœtus uberrimus fuit. Nam Pausanias res ex antiquitatis Græciæ memoria gestas, singulari diligentia, in omni uarietate est persequutus. Multiplex Historiæ opus Latinus homo Aelianus, Pausaniæ discipulus, & Animantũ uitam Græcè feliciter descripsit. Xenophontia oratione Arrianus Alexandri Magni res gestas accuratè repetijt, ac Epicteti doctrinam literis cõmendauit. Romanam autem Historiã, ex Alexandriæ studijs progressus Appianus, bella ciuilia, & externarum gentium facta continentẽ, diligentisimè Grçcis literis scriptam protulit. Ac incrementum omnis Græca eruditio, Antoninis imperium tenentibus, accepit. Oppianus de uenatu & piscibus ad Antoninum scripsit, à quo pro singulis uersibus singula numismata aurea dicitur accepisse. Præcox Hermogenis ingeniũ, collectis pasim ueterum de arte dicendi præceptis, copiosè & diligenter scripsit. M. Antonius eundem audiuit, ac premijs donauit. Quo tempore Athenæus, maxima lectionis scriptorum Græciæ uarietate, multiplicem doctrinam comprehendens, literatorum conuiuium descripsit: cuius libri à consequentibus contractiores facti, quantam ingeniorũ iacturam acceperimus, è multis manifestè declarant. Diogenem Laertium per hæc tempora fuisse conijciunt, qui in describendis antiquis Philosophis, quamplurima ingeniorũ monimenta recenset, quorũ perpauca ad hanc ætatẽ pari incõmodo uenerunt. Iisdẽ Antoninorũ temporibus, maximi uir ingenij Cl. Ptolemæus, Astronomiã, Geographiam, atq; Musicã plenisimè subtilisimeq; tractauit: & acerrimis studijs, astrorũ diuturna obseruatione tam multa est consecutus, ut priorũ nullus hanc doctrinæ partem certius atq; locupletius scriptis prodiderit, & admodum pauca summæ illius diligentię consequentes adijcere potuerint. Iam uerò totius Gręcię ornamentũ Cl. Galenus, omni liberali homine percepta doctrina, Mathematicis & Philosophicis literis, Naturæ, atque disserẽdi imbutus, salutarẽ mortaliũ necessitati Medicinæ artẽ,

Lucianus.
Historici.
Oppianus.
Hermogenes.
Athenæus.
Laertius.
Ptolemæus.
Galeni doctrina.

temporum diuturnitate confusam, atq; professorum discrepantibus sententijs perturbatam, uerius & perfectius quàm superiores cognouit: principem artis Hippocratem, diutissimè propter obscuritatem spretum ac neglectum, proferens, sermonis ubertate, qua, cum esset Asianus, redūdabat, breuia illa & acuta Hippocratica, quæ maximam scientię copiam inclusam habent, utilissimè & apertissimè explicuit. Sectas suorū omnes excussit, è quibus singulis optima quęq; magno iudicio delegit. Itaq; Medicæ doctrinæ Vniuersitatē animo cōprehendens, tantis præsidijs adiutus, pluribus & illustrioribus literis, uia, ratione, acordine, cuius fuit in primis studiosus, fidelius & absolutius quàm superiorum quisquam, eandē pertractauit: ita nihil necessarium in omni artis materia cū prætermitteret, propè assecutus est, ut ad unius præscriptū salubriter possit exerceri. Cuius præclaris disputationib. pars Philosophiæ de Natura, multū accepit adiumenti & incremēti: dignus qui ad ea tempora referatur, quibus doctrinæ sunt & deprehensæ & tractatæ. In cæteris deinde literis multa sunt quęsita linguæ Græcæ cognoscēdæ pręsidia, cum

Pollux. uarietatis negociorum omnium nomina Iul. Pollux latè disquisiuit: & in diuersa rerū genera, quo in promptu esse possent, immensam Græci sermonis opulentiam patefaciens, cōuenienter

Herodianus. distinxit. Memoriam suorum temporū, à Commodo ad Gordianum, magna fide, diligentia, & elegantia, Gręcis literis Herodianus, à patre Apollonio Grāmatico institutus, commēdauit: qui Tacito, ad continuationē temporum paucis intermissis adiungi possit. Christiana autē Religio iam ab Apostolorū temporibus, maximis incrementis aucta, sanctissimis uiris illā omni conatu promouētibus, & in diuersas orbis terrarū partes transferentibus; qui cum Gręcis doctorib. fortiter sese opponerent, & uitæ innocentia atq; integritate, Religionis ueritatē testificarentur, grauia et acerba perpessi sunt. Nam Ignatius Antiochię Antistes, sub Traiano ad bestias damnatur. Inde Polycarpus Smyrnæ præfuit: cuius discipulus Irenæus Lugdunū profectus, multis & eruditis scriptis inclaruit. Iustinus Philosophus, relictis interea Platonicis doctrinis, protinus Christianis scadiunxit: ut luculentissimis ueterum Græciæ scriptorum testimonijs, Hebræorum origines comprobarit, & nostræ Religionis ueritatem à Philosophorum sui temporis calumnijs uindicarit: quem librum Antonino Pio obtulisse traditur. Hegesippus rerum Christianarum historiam quinque libris ad sua tempora deduxit; & Iudaica, à Iosepho antè scripta, rebus aliquanto certius quæsitis, diligēter repetijt. Itaque Philosophis ad hanc doctrinę sancti-

Theologi ab Apostolorum temporibus.

ſanctitatem conuerſis, res longius progrediuntur. Pantænus, prætermiſsis Stoicorum placitis, Clementem erudiuit: hic cùm alia multiplicis doctrinæ ſcripta, tum libros de uera philoſophandi ratione reliquit. Sed Origenes, omni liberali doctrina percepta, & cognitis linguis, quo lectionis ueritas cõſtaret, Editiones contulit, & multis ſcriptis libros ſacroſanctos explicuit: cuius ſtudijs plurimi ad hanc ſanctiorem doctrinam amplectendam ſunt inuitati. Erant paſsim literati homines, qui Græcã doctrinam uariè tractabãt: ex his Rhetores fuere, quos Sophiſtas nominabãt. Cognitus eſt Seueri temporibus Philoſtratus, qui Apollonij Tyanei uitam copioſè deſcripſit, ſimul & Sophiſtarum ſtudia ad ſuam ætatem deducens, enumerauit. At uetus Philoſophia, multis elaborantibus, eſt patefacta. *Philoſophiæ renouatio.* Nam Alexander Aphrodiſieus doctrinam Ariſtotelicam non ſatis explicatam amplexus, plurima in omni genere, quod requirebat erudita illa breuitas & ſubtilitas, ſcripſit: è cuius officina celebres Philoſophi extiterunt, qui rem ita impulſam longius protulere: ut & Platonis & Ariſtotelis placita non modò expoſuerint, ſed etiam magnis rationibus conati ſint eadem conciliare. Ex his fuiſſe Ammonium Alexandrinum exiſtimant, qui præter libros Chriſtianæ doctrinæ, de Moſis atque Chriſti conuenientia, etiam Philoſophica quædam ſcripſerit, quiq; Plotinum ſtudioſum Platonis inſtituerit. Porphyrius inde Plotini diſcipulus, multa de Philoſophia tractauit, & Chriſtianis eſt aduerſatus: ſimiliter eundem ſequutus Proclus Platonicus. Sed utrique fortiter ſe oppoſuit Ioannes Grammaticus, à diligentiæ magnitudine Philoponus appellatus. Horũ multiplicib. ſcriptis quamplurima in omni parte Philoſophiæ ſunt conſeruata, quæ temporum præſidijs aſſequi melius quàm conſequentes potuerunt.

Ius ciuile. Ius autem ciuile Romanorũ, ad ſummũ hiſce temporibus perductum, in cuius cognitione & tractatione Imperij trãquillitas erat repoſita. Itaq; iam à Saluio Iuliano, perpetui Edicti autore, Septimius Seuerus Serbidium Scæuolam audiuerat, eundẽ & Aemylius Papinianus, è cuius percelebri tum ſchola magni in ea doctrina uiri progreſsi ſunt: ut qui illius placita ſequebantur, Papinianiſtæ nomen haberent: ex his ſuppares fuere Domitius Vlpianus, & Iulius Paulus: quos eoſdẽ hac Iuris diſciplina excellẽter cumulatos, maximis obeũdis Imperij muneribus Alexander Imp. adhibuit, & magnis in deliberationib. illis conſultoribus eſt uſus. Vterq; acceptã à Papiniano doctrinã, & multa rerum tractatione auctam, pluribus & illuſtrioribus literis, quàm ſuperiores, explicauit. Inde etiam cùm alij quidem, tum Heren.

Modeſtinus atque Pomponius ſunt profecti: ut nulla conſequens ætas perfectior extiterit, his Conditoribus Iuris uniuerſæ doctrinæ ſummam quaſi manum imponentibus. Eodem Alexandri tempore *Dion Caſsius.* Dion Caſsius magnum & eruditum opus rerum Romanarum LXXX libris complectitur. Cõquaſſato deinceps atque diſtracto Imperio, uarijs Principibus ad alia intentis, *Commutatio literarum.* & grauiſsimis ſuorum factionibus oppreſsis, non modò Latini ſermonis bonitas amiſſa, quam nulli retinere poterant, aut magnopere affectabãt: uerùm etiam cæterarum diſciplinarum ſtudium in Italia refrixit, ut præter alia uix ex tantis difficultatibus emerſerint idonei ſcriptores earum rerum, quæ publicè gerebantur: ex quibus nõnulli fuere, qui ſanè exiliter res Cęſarum geſtas, ad ſuam ætatẽ deduxerunt. Ita uidebantur in Annalium tenuitatem humilitatemq́;, à qua cœperant Romani, & ad ſummum Hiſtoriam prouexerãt, celeriter recidiſſe. Profuerunt tamen plurimum, ad ſeruandam ueriorem temporũ ſeriem, quæ alioqui interrupta manſiſſet. Verùm nec ipſi profitentur ſplendorem illum ueteris Hiſtorię, contenti uera & mediocri breuitate, rerum memoriam cõmendare. *Historici.* Numerantur autem hi ſcriptores, Aelius Spartianus, Iulius Capitolinus, Aelius Lampridius, Vulcatius Gallicanus, Trebellius Pollio, & Flauius Vopiſcus. *Chriſtiani ſcriptores.* Rem autem Chriſtianam feliciter progredientem adiuuabant magni ſcriptores, qui undique exoriebantur. Nam ex Africa Tertullianus multis ſcriptis inclaruit: cuius haud ita multo pòſt uehementer ſtudioſus fuit Cæcil. Cyprianus, qui Rhetoricen docuit: & ad ſacras literas conuerſus, ſuauius quàm illius gentis ſcriptores eſt eloquutus. Eandem artem primùm etiam profeſſus Arnobius, ſacras literas deinde tractauit. Interuenere magnæ difficultates, Diocletiano, alijſq́; acerbiſsimè in Chriſtianos ſæuientibus, & Nouatio atque Manichæo in alienas à puritate Religionis ſententias multos pertrahentibus. Verùm Conſtantino, qui Magnus dictus eſt, Imperium transferente in Græciam, bonis auſpicijs eadem Chriſti doctrina cõfirmari cœpit: *Primum Concilium.* quo tempore maximus concurſus Antiſtitum, qui CCCXVIII fuere, Nicææ Bithyniæ factus, & grauis Arij factio ſublata. Inde res ſucceſſerunt meliores, cũ omnis doctrina exortis præſtantiſsimis ſcriptoribus plurimum effloruit, eadem utiliter explicata, & ab aduerſarijs optimè defenſa. *Euſebius.* Itaque Euſebius, Cæſareæ Palæſtinæ Antiſtes, ueteris memoriæ peritiſsimus, præclaris Græcorum ſcriptorum teſtimonijs, multa & diligẽti lectione comparatis, religionis ueritatem, ſublatis inanibus Græcorum rationibus, firmiſsimè cõprobauit. Rerum Chriſtianarum

Hiſtoriam

Historiam, communibus Pamphili studijs, cum mādato Constantini Bibliothecæ illis paterēt, ad sua tempora deductam copiose, accuratéq; tradidit: præterea omnium temporum rationem, multas ad res utilem adiecit. Ario oppositus Athanasius, erudita scripta reliquit. Studiorum similitudine coniunctissimi, Basilius ab excellenti orationis genere & doctrinę amplitudine *Basilius.* Magnus dictus, graues sanctioris doctrinę locos copiose, accurateq; pertractauit: atq; Gregorius Nazianzenus, qui so- *Gregorius.* luta & numeris astricta oratione usus, à Græcorū Poetarū lectione animos reuocauit. Caussam inde putant, quòd multi Græciæ scriptores, qui pietati ac moribus officere uidebātur, posteritati non cōparuerint. Epiphanius Cypri Salaminæ An- *Epiphanius.* tistes, maximis susceptis studiorum laborib. à primordijs temporum omnium ad suam usq; memoriam Gratiano imperium tenente, omnem opinionum syluam, contra Religionis sanctitatem, copiose accuratéq; est persecutus: quib. ijsdem scriptis è turbulentissimis tempestatib. eandem Religionem saluam emersisse comprobatur. Vbertatē orationis præclaris concionibus Ioan. Chrysostomus expressit, quamplurimos totius doctrinæ Christianæ locos tractauit & exposuit. Sed iam à Constātini Magni ætate multa renouata in cæteris disciplinis & li- *Disciplinarum studia.* terarū ingenij monimenta, quæ intercidere potuissent, cōsultò exscripta sunt, & in templis adseruata. Libanius interim Sophista assiduis Declamationib. se exercuit, & aperto ludo præter alios Basiliū atq; Chrysostomū erudiuit. Neq; prætermissa est Philosophiæ tractatio, à superioribus impulsa. Porphyriū au- *Philosophi.* diuerat Iamblichus, Pythagoreorum atq; Platonicorū doctrinam sequutus. Themistius, à bene & disertè dicendo Euphradæ nomē sortitus, Peripatética tractauit. Ab ijs profectus Simplicius, erudita multa in omni uarietate reliquit. eundem uerisimile est fuisse, quem Maximinus ex Grammatico fecisse consiliarium legimus. Iam uerò multo usu cōprobatam, Galeniq; *Medici.* scriptis locupletiorem redditā Medicinæ artem nonnuli exercuerunt. Ex his Oribasius ad Iulianum multa scripsit: eundem cōsequutus Paulus Aegineta, & alios quosq; uniuersam artem in paucissima ordine contraxit: nominatim uerò ex diuersis totius Græciæ scriptoribus, qui magna ex parte perierūt, Aetius Amidenus, quò illa ad usum & exercitationē parata haberentur, neq; necesse esset magnitudinem librorum laboriose excutere. quanquam id fiat utiliter, multum tamen ipsis scriptorib. detrahit, ne cognoscantur: & hoc exemplo pleriq; deinceps ex Græcis cæteros autores similiter circunciderūt & amputarūt.

Romæ & in Italia bellis omnia diſtrahebãtur, ut diuerſi ſacrarum literarum ſcriptores uariè per prouincias diſperſi Græcorum ſtudijs excitati & inſtructi, Latinè de Religionis doctrina libros relinquerent. Itaq; ex ſuperiorum ſucceſſione ab Arno- *Lactantius.* bio præceptore inſtitutus L. Cœlius Firm. Lactãtius, maxima conquiſita eruditione, de Religionis ſanctitate, Græcorũ Philoſophorum rationibus ſublatis, ad Conſtantinum Imperato- *Hilarius.* rem accuratiſſimè ſcripſerat. Hilarius inde Pictauienſis Antiſtes, factioni Arianæ oppoſitus, gradiore orationis genere utitur, ac Græcis rerum diuinarum ſcriptoribus Origene potiſſi- *Ambroſius.* mum adiuuatur. Similiter & Ambroſius Mediolanenſis Antiſtes, uerùm ſedata oratione ſuauitatis plena, ac ſententijs diſtincta. Tum primis annis liberalibus diſciplinis, & diuinis literis, Romam, Antiochiam, Alexandriam, Hieroſolymam profe- *Hieronymus.* ctus Hieronymus, præclarè imbuitur, Gregorio etiã Nazianzeno præceptore uſus: perceptis linguis Hebræa, Chaldæa, & Græca, in diuinis ſcriptis multa conuertit: atq; plurimarum rerum cognitione inſtructus, ad omnem explicationem conſcripſit. Africa interim clariſsimos profeſſores dedit, qui licet aſperius Latinè ſonarent, doctrinæ tamen ſanctitate & integritate multum præſtiterunt, cum à literarum & Philoſophiæ ſtudijs, huc, tanquam ad ſalutarem portum, tutiſsimè ſeſe reciperent. *Auguſtinus.* Superiorib. Afris proximè ſuccedens Aurelius Auguſtinus, Mediolani Ambroſium audiuit. Pòſt editis propè innumerabilibus ſcriptis, in omni doctrinæ ſacræ argumento rem Chriſtianam multum locupletauit: corruptæ diſciplinæ patronos eruditè ſubtiliterq; magna diſſerendi prudentia uſus conuicit. Ita Chriſti Religio nunquam tam graues habuit aduerſarios, quin maiores ſemper ſit nacta defenſores. Ex multiplicib. ſcriptis uarium in primis et eruditũ opus, antiquitatis memoriam continens, de Ciuitate Dei inſcriptum reliquit. Hoſce cõſequuti ſunt, Eucherius Lugdunenſis Antiſtes, qui admodum diſertè ſcripſit: Gennadius Maſſylienſis, qui ſcriptores ſacros: Proſper Aquitanus, qui ſeriem temporũ à Hieronymo ad ſua tem- *Scriptores cæterarum diſciplinarum.* pora deduxere. In diſciplinis ſcriptores latini iam à translato in Græciam Imperio, multum conticuerant: ſunt enim hæc altius aliquantò repetenda, quoniam in hac tanta ſcriptorum uarietate certum aliquem ordinem excogitare nobis eſt perdifficile. Itaq; Iul. Firmicus Maternus ante hæc tempora Cõſtantini Magni imperio, ex Aegyptiorũ atq; Babyloniorũ obſeruationib. doctrinã de aſtrorum iudicijs non indiligenter tractauit. Sermonẽ Latinum collapſa à uulgari uſu lingua, multi inſtaurare conaban-

conabantur. Aelius Donatus, breuia artis Grammatices prçcepta & commentarios in Terentium atq; Virgilium exhibuit. Rhetoricen Victorinus Afer Romæ profeſſus eſt, dein affecta iam ætate ſacra tractauit: utroq; præceptore Hieronymus eſt uſus. Flauius Vegetius magnis illius ætatis librorum præſidijs adiutus, omnem rem militarem, corrupta ueteri diſciplina, libris quatuor quam breuiſſimè comprehendit. In Africa ſtudia literarum exercebantur, è quibus eſt progreſſus L. Apuleius

Apuleius.

Madaurenſis, qui & Athenas uiſit. Leguntur ab eo ſcripti libri ſermone Latino rudi & duro, id quod ipſe teſtatur, cum ſe laborioſe eam linguã didiciſſe meminit. Matheſes cognouit, & à Græcis Platonicam atq; Pythagoricam doctrinam, quæ paulo antè excitata erat, coniuncta Magice, accepit. Hiſtoriam ho-

Hiſtorici.

rum temporum à Conſtantino aſperſis locis aliquot ex ueteri memoria repetitis, impedita licet oratione, magna tamen fide, ut uidetur, atq; diligentia ſcripſit Ammianus Marcellinus. Romanam hiſtoriam à ſuis primordijs breuiter & ordine contraxit Eutropius. Similiter & Sext. Aurelius Victor ab Auguſto ad Theodoſium. Hortatu deinde Auguſtini graues omniũ ætatũ calamitates, & magna infortunia, accuratè diſtincta annorum ſerie, repetijt Paulus Oroſius, quo ſtatum rerum ſuæ ætatis, Gotthis omnia uaſtantibus, difficultatum quæ ſuperiorib. etiam temporibus contigerant, diligenti collatione & comparatione aliquo modo ſolaretur. Per eadem tempora Poetices

Poetæ.

ſtudium non eſt prætermiſſum. Nam à Valentino atque Valentiniano aſcitus Decius Auſonius, Burdegalenſis (oppidum eſt Aquitaniç) Gratianum erudiuit, à quo dignitate Conſulari eſt honeſtatus: qui cum ualeret ingenio, haud inelegans Poema conſcripſit. Eiuſdem ętatis fuit Aurelius Prudetius Hiſpanus, qui noſtræ Religionis hiſtoriam, doctrinam atq; inſtituta numeris concinnè & aptè concluſit. His extremis eruditorum tẽporib. Claudianus, uaria in primis & docta Poemata dedit: cui Honorius & Arcadius cũ honorifica inſcriptione ſtatuam erexerunt. Quocirca, ut antea eſt dictũ, Poetas inclareſcentem ætatem tanquam præcones antecedere: ita receptui eoſdem canere ſolere, ex huius hiſtoriæ, à ſuis primordijs progreſſione cognoſcimus.

Temporũ commutatio.

Inſecuta nanq; linguis prorſus corruptis, grauis & acerba temporũ commutatio, Gotthis latiſſimè per Europam excurrentibus, nulla ut maior uaſtitas, amiſſis maxima ex parte ingenij & literarum monimentis, omnium ætatũ curſu fuerit, tanta ubiq; calamitas: ut qui ſcriptores reliqui habentur, ſint planè naufragi, & in ijſdem emẽdandis intelligendiſq;

consequentium aetatum maior fuerit labor, quàm in conscribendo illi susceperint: atque ita literariae occupationis ingens difficultas exorta, quae nunquam de humani generis memoria tolli poterit. Auctum uerò Ius ciuile tot praecedentium temporum acerrimis studijs, multitudine infinita, uarietate legum & sententiarum dissimilitudine, à bellicis occupationibus liberatus Iustinianus, Triboniani Iurecõsulti suasu & opera, Theophili, Dorothei, aliorumq́ue eius aetatis, praegrauante scriptorũ amplitudine, quae adolescentum studia morari, ac distrahere uidebatur, deonerare uoluit: quod etiam Iulio Caesari in animo fuisse tradũt. Ac primum ex triplici Codice, Gregoriano, Hermogeniano, & Theodosiano unum conflarunt. Pòst, ex omni conditorum Iuris copia illustriores locos, tanquam sententias, Leges appellãt, delectis negociorum omnium generibus subiecerũt: operi uniuerso Pandectarum & Digestorum nomen est datum. Ex his responsorum fragmentis, summam fuisse in illis uiris orationis maiestatem & grauitatem cognoscitur, atque in uerborum totius ciuilis doctrinae usu, singularem proprietatem eosdem conseruasse: quodq́ue non minoris est considerationis, plurimam antiquitatis effigiem, ac longa temporum & rerum tractatione, praecipuam negociorum humanorum ab illis collectam, stabilitam'que Prudentiam animaduertimus. Inde summa totius doctrinae capita, in quatuor Institutionum libros quàm breuissimè conclusa. Sequutae sunt nouae Constitutiones, quae ultimam emendationem Graeca lingua cõtinent. Quibus absolutis, metuens Iustinianus ne in eandem scriptionis magnitudinem posteri reciderent, nulli deinceps de Iure ciuili scribere, praeter ea quae suis auspicijs fuerant excerpta, licere sanxit: quo facto spreti à consequentib. scriptores Iuris, magno praestantissimae doctrinae incommodo, non comparuerunt. Sic à Romanis coepta, & longa in tanto Imperio tractatione rerum perfecta Iuris disciplina, quod alteri nulli contigisse uidemus, suis omnibus scriptoribus orbata, & miserè destituta uenit ad posteros. Tria erant constituta Gymnasia, in quibus illa interpretari solerent: unum Beriti, sed terrae motu concidit: alterũ Romae, quod diuersis insequentiũ temporum infortunijs exerceri nõ potuit: tertiũ Cõstantinopoli, quod diutius remansit. Quae aũt gerebãtur, Procopius expeditionum Belisarij comes, dein hunc secutus Agathias, Graecis literis conscripserunt. Enumeratione cos s. fecerat Aurel. Cassiodorus, ueteris memoriae, disciplinarũ, nostrae'que Religionis studiosus. At cos s. seriem à Regũ temporibus cõtinenti successione retentam,

Iuris ciuilis contractio. — *Pandectae.* — *Gymnasia Iureconsultorum.* — *Historici.*

tentã, haud ita multo pôst esse desijsse uidemus. Priscianus Cæsariensis ad Græcorũ ratione, qui magnis uoluminibus de Re Grammatica scripserãt, Latini sermonis obseruationes plenius q̃ superiores coegit. *Priscianus.* Aliquanto ante hæc tẽpora ex sacris scriptoribus Fulgentius Afer, Vandalis persequentib. in Sardiniã profugit. *Fulgentius.* Idẽ restitutus, præter res sacras, etiã fabulosas deorũ narrationes cõscripsit. Eadẽ ætate iacentem et oppressam Aristotelis doctrinã, atq; Mathematicas disciplinas Boetius Seuerinus, multis & ijsdẽ eruditis scriptis, Græca cõuertens reuocare, & cõstituere aliquo cum successu est conatus: *Boetius.* sed tẽporum conditio, quam proximè sequũtur literæ, effecit, ut successores illius doctrinæ nulli fuerint: ac proinde eruditorũ ultimũ eundem appellãt. Itaq; cùm cæterarũ literarũ, tum etiã Poeseos dignitas & integritas omnis omissa, Sidonio Apollinari, Aratore, & Fausto Gallo, hancce temporũ calamitatẽ suis scriptis testãtibus. *Poesis.* In Græcijs eadem propè uastitas, cum scriptores, pręter necessariã ueterũ explicationem, nihil in literis suo ingenio cõmentarentur. *Græcorum studia.* Libros quidẽ illustriũ locorũ ex optimis quibusq; autorib. delectis ad hoc generibus, laboriose cõgerebãt: unde illa manauit iactura scriptorum, cum hi sunt adseruati, illi magno detrimento literariæ opulẽtiæ perierũt: similiter uolumina obseruationũ Græci sermonis ex his scriptoribus, qui nominatim cuiusq; autoris obscuras uoces collegerãt & interpretati fuerãt, ut in uniuersum haberi possent, comportarunt. Inde multiplicia Onomastica sunt fabricata, ex quib. coagmentatũ est grande illud uolumẽ, quod Suidę nomine reliquũ habetur: *Suidas.* in quo nõ modò Græci sermonis multiplex interpretatio cõtinetur, uerumetiã illustes Historię cuiusq; generis ex sacris atq; externis scriptoribus, qui per diuersa tẽpora uixere, utiliter leguntur: inserta quoq; sunt, quę ingenij monimenta, quicq; in omni uarietate reliquerint, unde præcedentiũ temporum immensos studiorum labores æstimare liceat. Hæc omnia cum aliunde habere non possimus, minimè contemnenda uidentur, hac potissimum è multis ratione: quòd quæ ex alijs etiamnum comprobantur, cum uera esse maxima ex parte deprehendamus, de ijs quæ propter scriptorũ indigentiã similiter probari nequeunt, non ita dubitare quenquam oporteat. Sic Græciæ ingenia scriptoribus circuncidendis & amputandis præcipuè occupabantur. Quocirca in hac tanta rerum omnium obscuritate, *Mahumetes.* & totius Imperij diuersas in partes distractione, Arabs Mahumetes (Persam nonnulli eundem fuisse existimant) Magicis artibus instructus, ac Sergij, qui fuit Nestorianæ factionis,

consilio & opera usus, composita ex Iudæorum institutis, atq; eorum placitis, qui nostram Religionem diversis temporibus perturbarant, novæ & inauditæ superstitionis religione, multitudinem militum obsequentem habuit: cuius dissimillima inter se dogmata in Opus, quod Alcoranum dicunt, retulit. Eam ad rem ne suorum decretorum gravissimi errores à quoquam deprehenderentur, né ue quid in dubitationem à suis revocaretur, capitale esse uoluit, inter se disserere atque disputare. Romæ & Constantinopoli in his difficultatibus literis tractandis nullus erat locus, & ueterū scripta contēpta iacebāt, ut perpauci cogniti fuerint. Ex his turbulētissimis tempestatibus Gregorius Pontifex à doctrina Magnus dictus, emersit: cuius scripta habentur de Moribus ad Leandrum Hispalensem Antistitem. huic Leandro succedēs Isidorus frater, cum aliis scriptis, etiam Origines uocum è multis, qui illa adhuc ætate extabāt, scriptoribus excerpsit, atq; generibus constitutis distinxit, quem eundem in contrahenda rerum multiplicium doctrina pleriq; deinceps, obscuratis adhuc literis, magnis contentionibus sunt secuti. Britanniæ autem, quæ Gotthicis excursionibus non patuerant, hominem multiplicis doctrinæ Bedam Venerabilem cognominatum, dederunt, Græcis literis eruditum, Philosophicis, Mathematicis & Sacris instructum, quod indicāt diversi generis scripta, quæ leguntur. Ex huius schola multi literati, qui deinceps inclaruerunt, sunt profecti. Itaque Carolus Magnus Imperator, compositis gētibus, religionem Christianam diversos populos ad eandem amplectendam convocans, latè propagavit, atq; studia literarum & doctrinæ, quarum usum rebus Imperii administrādis necessarium cum intelligeret, Albini opera, qui Bedam audierat, promovit & confirmavit. Nam cum idem Albinus è Britanniis Legatus ad Carolum venisset, propter excellentem doctrinam, admiratione excitata, ab eo est retentus, ut de literis illos inter se disseruisse tradatur. Eadem studia Claudii & Clementis institutione (Scotos fuisse, ac Bedæ auditores, commemorāt) aucta sunt & firmata: scholis Lutetiæ Parisiorum ac Ticini, quo plures ad capessendas literas invitarentur, propositis ad discendum honoribus, immunitate donatis: hoc iacto fundamento, deinceps multi disciplinis cognoscendis, pro temporum ratione, sese dediderunt. Habuit Carolus rerum à se gestarū duos scriptores, Eginardum atque Turpinum: hic adversus Saracenos in expeditione fuit. Idem Carolus bello Langobardico Paulum Diaconum captum in Galliam abduxit: à quo Eutropii historia plenior

Latinorum studia. *Gregorius.* *Isidorus.* *Beda.* *Carolus M.* *Albinus.* *Academia Parisiensis.* *Historici.*

nior est reddita,& Langobardorum res perscriptæ. Bedam audiuerãt Io. Scotus atq; Rabanus Moguntiæ Antistes. hic utroque orationis genere scripsit: quorum exemplo consecuti sunt alij, sed literis nondum illustratis, difficile fuit, aut superiorum accedere celebritati, aut eorum qui postea uixere. *Rabanus.* Nam lingua Latina purior & integrior multis iam annis ab usu populi sublata, nusquam comparebat, cum ea ætas & cõsequens, nouum quoddã orationis genus inuexit, quod maiorũ ac nostrorum conatibus satis restitui non potuit. *Lingua Latina* Ita q; translato cis Alpes Imperio, Latinam linguam, ut communem, diuersi populi conseruarunt: uulgares interea latè constitutis principatibus, à modicis incrementis ad usum loquendi aptari cœperunt, nisi quòd à corruptis linguis multa hausere, quę postea usu fuerunt recepta. *Vulgares linguæ.* Latinam originẽ retinuere Italica & Sicula, peregrinis uocibus Gotthorum excursionibus admixtis, Hispanica etiam & Gallica. Priscam Germania nõ commutauit: sed rerũ usu multum deinceps excoluit, cuius eiusdem uestigia remansere in ijs populis, ad quos emigrationes sunt factæ: quod Britannica testatur, & in quibusdã Gallica. E' multis ea est cõflata, quam hodie Sclauonicã appellamus, quæ etiam diuersis Europę ad Orientem & Septentriones populis est in usu. Græca utique uariè sparsa, multum à literata desciuit, externis plurima, sicut in Italica factum est, importantibus. Sed Arabica, Punicam dixerũt, principatu comparato, ad scribendum præparari cœpit, cum studiosi homines, eius gentis disciplinas ex Gręcorum scriptis, quarum illis usus necessarius uidebatur magnis conatibus tractarent. *Arabica.* Hebræam uerò incertis iam inde ab urbis Hierosolymæ dissipatione sedibus, per orbem dispersę Iudęorũ reliquię, adseruarũt. *Hebræa.* ex his qui recentiora gentis instituta professi sunt, Rabini fuere, à quibus omnis ea doctrina diuersis temporibus in multiplices commentarios Talmudicos fuerat cõgesta. Sed nimium conticuerunt in hac summa temporum obscuritate rerum scriptores: *Rerum obscuritas.* ex his qui fortè scribebant, perbreui annorum designatione contenti, plenius res gestas non persequebantur. Qui uerò literis uulgaribus Historiam contexere uolebãt, sua immodicè extollentes, hostium factis deprimendis nimium occupabãtur: & liberè quædam commẽta, populari plausui grata, importabant, ut rerum nostrarum Historia magno incommodo facta sit aliquanto mendosior. *Disciplinarum* Philosophiæ, Mathematicarum disciplinarum atq; Eloquẽtiæ nomina propemodum intercidisse uidentur, ingenij monimẽtis delitescentibus, ac puluere obsitis: ut uixisse per ea tempora homines aliquo modo

dubitari

dubitari poſſit:uſq; adeò ſæua Barbaries literas occuparat. Ab *Theophylactus* Electoratu in Germanijs conſtituto, Bulgaria Theophylactũ Antiſtitẽ habuit, qui ex ſacris Græciæ ſcriptorib. Chryſoſtomo in primis, ad explicandas D. Pauli Epiſtolas commẽtarios *Guido.* ſtudioſe excerpſit. Guido Aretius in Italia nouas Muſices notas protulit, ut cum numeri mente cõcipiantur & memoria retineãtur, quaſi in ſcripta referri poſſe docuerit: ars longa dein exercitatiõe eſt exculta. Pòſt in Gallijs res geſtas ad multorum *Sigebertus.* annorum rationem Sigebertus deſcripſit: unde memoria illo- *Bernardus.* rum temporũ cognoſci et repeti poſſit. Bernardus ad Claram uallem multis literis ſacros libros eſt interpretatus, genere dictionis uſus nõ inſuaui, ut erat temporum ratio. Eiuſdem conſilio Alcoranus Latinis literis conuerſus, quo Arabum dogma *Græcorum ſtudia.* ti facilius ſe opponere poſſet. Itaq; in principatu Græciæ, ingenijs planè oppreſſis, & principibus uariè occupatis, perpauci ueterum literas attingebant: ſi qui fortè ulterius progrederentur, cum Turcas finitimos hoſtes haberent, Mahumeticis inſtitutis ſeſe obijciebant: nonnulli ueteres ſcriptores commenta- *Pſellus.* rijs explicare ſunt ſoliti. Incidit per ea tẽpora Michaël Pſellus, qui doctrinæ uarietate ſuorum ſtudia excitare potuiſſet, cum ex graui ſuperiorum temporum naufragio, diſiectas latè tabulas colligere uidetur: cuius præter Matheſes, Medicinã, etiam in Ariſtotelem ſcripti commentarij habẽtur. Idem Pſellus Michaelem Ducam Imp. Conſtantinopolitanum erudiuit, ut uer- *Zonaras.* ſibus ſcribendis oblectaretur: ad cuius tẽpora Io. Zonaras res à primordijs temporum omnium geſtas ſtudioſe deduxit, ut à pleriſque noſtræ memoriæ hominibus commemoratur. Hiſce Principum Oriẽtis temporibus acceptam iam à Iuſtiniano, & *Ius ciuile.* ex Latina in Græcam linguam cõuerſum, Ius Ciuile, ſcriptis etiam Commentarijs ad legum interpretationem plurimis ſtudioſi homines continenter exercebant: ex quorum ſtudijs totius doctrinæ Inſtitutiones, Theophili nomine inſcriptę, & aliquanto uberius Græco ſermone redditæ, etiamnum cum alijs *Verſus inconditi.* quibuſdã ſunt in manibus, & leguntur. At in Occidentis ſcholis, quæ pro temporum ratione cõſtitutæ fuerunt, cum linguæ eſſent corruptæ, uerſus ſatis horridos & inconditos noſtri homines arripuerunt, auribus ſuis ex ſimiliter cadentibus accommodatos, ut eruditis ſuperiorum Poetarum ſcriptis nõ perinde caperentur. Eadem ratio poſtquam ex Græca (nam & eandem pariter uſam fuiſſe accepimus) atq; Latina lingua in uulgares fuit translata, arte quadam faciẽdorum eiuſmodi uerſuum notata, & elegantiam & uenuſtatem quæſierũt. Hac res geſtas,

morum

morum præcepta, inde & leuia nonnulla, cuius generis habentur amatoria, eodem carminum genere licenter concluserunt. Vetum post longas temporũ difficultates ad Lotharij Saxonis Imperiũ, *Ius scriptum re uocatum.* quo percepto necessario legum Romanarum usu, quæ tot annos spretæ & contemptæ iacuerant, factum ut ad dispersa fragmenta conditorum Iuris intelligenda, & ad ciuilem exercitationem conuertenda, in hac rerum omnium & literarum maximè obscuritate, necessarias interpretationes meditarentur, coacti decretum illud Iustiniani uiolare. Quocirca Bononiæ degẽs *Irnerius.* Irnerius, manus futuro operi primus admouit, breuia quædam scholia Iuris ciuilis scriptis explicandis, aspergens: ut cum Iustiniani auspicijs Ius ciuile in paucissimos uersus, minuendi laboris caussa, fuisset contractum, eo facto propter summam obscuritatem innumeris scriptis complendi maximã occasionem dederit: quod non ita contigisset, si libri conditorũ Iuris temporum grauissima iniuria non intercidissent. Pręmijs igitur huic studio atq; honorib. propositis, & scholis passim institutis, multi exorti Magistri & doctores, à quibus hæc doctrina, magnis conatibus est tractata: quorum studijs excitati cæterarum disciplinarum professores, ut fuit cuiusq; industria, ad comparandam aliquam rerum cognitionem præsidia undiq; circumspicere cœperunt: & breui successisset, nisi tantam superiora tempora iacturam accepissent. Studia doctrinæ interea ad Arabes profugisse uidebãtur: *Arabum studia.* qui ad Græcorum similitudinem, licet multa ex linguæ difficultate non sint assecuti, quã plurimis tamẽ scriptis suam gẽtem locupletare conabãtur. Aristotelis interpres, Aphrodisieum secutus, *Auerroes.* Auerroes, acutè & subtiliter uaria conscripsit, ut à suis Cõmentator fuerit appellatus. Idem Auicennæ æmulus, Medicinę artem similiter tractauit. Auicennam magno loco natum existimant: qui ex Galeni & aliorum Græciæ scriptis, uniuersam Me- *Auicenna.* dicinã paucissimis ordine cõprehendit. cuius artis tanta uisa est cõmoditas, ut potissimũ eandem ad discẽdum in scholis proposuerint. Congesserat iam antea ex Dioscoridis, Galeniq; scriptis stirpium historiam Io. Serapio: cęteri scriptores, ut Io. Damascenus Mesue filius, uarias formas miscendi, componendi, & præparandi medicamenta, secuti sunt & exercuerunt. Præterea hæc gens astrorum pręsensionem peruestigauit: & cum esset magnę curiositatis, Chemiam atq; Magicen laboriose disquisiuit. Eandem Mahumeticis documentis continenter hæsisse, ex illius scriptis cognoscitur. Sed ad Iuris ciuilis rationem Gratianus ex diuersis scriptoribus, Decretorumuolumen comportauit: quod *Ius Pontificiũ.* etiam multorum commentarijs est deinceps locupletatum. Si-

Petrus Langobardus. militer ad multitudinē librorū minuendā Petrus Langobardus Sētentiarū libros quatuor quàm breuissimè tractauit. Per hæc tēpora *Saxo Grammaticus.* Saxo Grammaticus, suę gentis Danorum Historiā, sermonis Latini ad ueterum imitationem habita ratione, conuenienter & accuratè conscripsit. Res autem Friderici primi Guntherus *Ligurinus.* Ligurinus carminibus studiosè concelebrauit. Introducto semel Iure *Iurisconsulti.* ciuili, complures Irnerium sunt secuti: è quibus Hugolinus in libros Feudorum primus scripsit: atq; Placentinus in Codicem & Institutiones. Inde Azo plenius distinctiusq; id fecit, cōmentādi uia ab ijs primordijs aperta. Itaq; Ius ciuile, si quod aliud doctrinæ genus, locupletius est redditum, ingenijs per ea tempora studij magnitudine elaborantibus, cum eorum opera ad tractanda Principum & Rerumpublicarum negocia uterentur. Quam ad *Accursius.* rem ab Azone institutus Accursius, suorum temporū omnium qui prçcesserant uarias interpretationes, delecto ad id solitudinis ocio, in unum coegit: atq; uerborum et rerum expositioni, magna memoria adiutus, conueniētes pro temporū difficultate locos diligenter contulit, cuius scripta maximæ deinceps autoritatis fue*Albertus.* runt. Interea Albertus, Magnus cognomento, præter commentarios in sacras literas, recondita multa in rerum Natura inuestigauit, à quo libri de Animalibus XXVI conscripti habentur: eundem à peregrinis quibusdam, Græcis imbutum literis existimāt. *Thomas.* Cuius discipulus Thomas Aquinas, omnē doctrinæ uarietatem animo comprehendens, & Aristotelis subtilitatem studiosè secutus, multiplicia scripta reliquit. Acuminis etiam in disserendo ple*Scotus.* nus, Io. Scotus hunc est consequutus: unde illi nomen Subtilitatis inditum. Ingenij celeritate omnem rerum ac scientiarum multitudinem, magnitudinemq; breui quadam arte constituta, Ray*Lullius.* mundus Lullius est aggressus, quo nomine suis in maxima fuit ad*Nic. Lyranus.* miratione. Nicol. Lyranus magnis susceptis laboribus, percepta lingua Hebræa, in omnes sacræ scripturæ libros commentarios *Medicina.* dedit. Medicina propter necessarium illius usum semper retēta, ex Arabum, qui in ea iam multos annos uersabantur, prçscripto, ad exercitationem tota erat translata: ut non perinde in ea parte quæ est naturalis considerationis studiū collocasse cognoscatur. Itaq; libri complures historiam quandam curationis morborum omnium continētes, scribebantur, quorum ad præsentem usum paratior uidebatur ratio, & maior opportunitas: quanquam illa diuturna rerum tractatione, non pauca ab ijsdem sunt relicta quę ad conuenientem artis exercitationem repudiari omnino nō debere, Doctores existimant. Ex multis, qui diuersis eiusmodi tem*Arnoldus.* poribus uixerunt, plurimum commēdatur Arnoldus à Villa noua, qui

ua, qui linguis adiutus & Philosophicis studijs, de Medicina uarie scripsit. Iurisprudentia tantis incrementis à superioribus impulsa, magis ac magis progrediebatur. Erat nãq; maximus illius usus in dandis consilijs, in arbitrijs, iudicijsq;, ad dirimendas omnis generis controuersias, exercendis. Cuius doctrinæ amplitudinem, et in negocijs hominum tractandis uarietatem, multiplici studiorum contentione Bartolus cum persequeretur, lingua *Bartolus.* illorum temporum nondum exculta, fusissimè tractauit. Inde & huius discipulus Baldus eãdem acceptam doctrinam usu & scri- *Baldus.* ptis confirmauit, quorum conatibus exorta est librorũ multitudo, quę innumeros conditorum Iuris uersus longè superauit, cũ in priorib. explicãdis atq; refellẽdis numeroso quodam scriptionis partu cõsequẽtes quiq; laboriose uersari cœperunt. Sed in scholis quas principes uiri & locupletes instituerant, atq; in clas- *Scholarum ordines.* ses & ordines, ut quid primo, quidq; deinceps uideretur discendum, cuiq; constaret, distinxerãt, frequens professorum & discipulorum factus est concursus: has ab omni disciplinarum tractatione professioneq; Vniuersitates appellarunt. Tribus summis disciplinis, quas Facultates uocant, honorum gradus sunt constituti, publicis ac seueris disputationibus comprobato omni studiorum progressu: ut emenso Philosophiæ cursu, ad Medicinam, Ius ciuile, atque Theologiam, quę sunt supremi ordinis, cõscenderent. Similiter ad publicam totius scholæ disciplinam ser- *Rectoris institutio.* uandam, ad dirimendas studiosorum inter se controuersias, quę in tanta frequentia oriri solent, ad iura atq; priuilegia totius literariæ cõmunitatis retinenda, studiosorum ordini annuus, ut est cuiusq; ratio, concessus Magistratus, & Respublica literaria quę dam instituta, cui qui præesset, Rector nominaretur. Sed obscu- *Aristoteles male conuersus.* ratis adhuc literis, in summa ueteris disciplinæ perturbatione, unum Aristotelem nominabant, & eundem ad omnes usus trãsferebant: uerùm Latinis literis non bene conuersum, ut ad intelligendam illius sententiam multorum ingenia sese torquerent: in quorum multiplicib. commentarijs cum uersarentur, tardissimè ad ipsius Aristotelis lectionem ueniebant: extra quem nihil admittentes, in illius sententia cõquiescere, et omnes controuersias finire oportere existimabant. inde quæsita sunt ad differendum præsidia, & plurimæ argutiæ introductæ, in quibus cura omnis consumeretur. Ex Arabum etiam studijs, qui & ipsi Aristotelica magnis conatibus tractarant, plurima sunt importata, ut præter maximam ueterum scriptorum iacturam, hæc literis omnibus grauis accesserit calamitas. Ex uarijs eiusmodi schola- *Dissentientes familiæ.* rum disputationibus, cùm aliæ multæ dissentientes opiniones

sunt exortæ:tum,ne quid deesset ad ueterum similitudinem, factum est,ut à nominibus alij,à rebus alij appellationes caperent, nec ijdem in suo genere satis fuere concordes,ut tanta decertandi oblectatione plerique in his pugnacissimè asserendis consenescerent. Qui ab his ad cæteras disciplinas sese conuerterant,acumine eiusmodi atque subtilitate,scripta diuersi generis compleuerunt:ipsam etiam Grammaticen,Dialecticis quibusdam præceptis implicarãt, ut uerus illius usus cõstare non potuerit:

Academiæ Europeæ.

Matheses minus corruptæ, quando nonnullis priuatim cognoscentibus non ita publicè tradebantur. Fuerunt diuersis temporibus passim per Europam frequentes Academiæ. Salmanticam habuit Hispania, Oxoniã Anglia,Bononiã Italia, Viennã Austriæ Germania, Pragam Boemia, Gallia iam inde à Carolo Magno Lutetiam Parisiorum frequenti studiosorum hominum concursu percelebrem. Deinceps excultioris futuræ ætatis consecuta significatio.

Petrarcha literas primum illustrauit.

Primus namque è densissimis temporum tenebris, quib. omnia erant oppressa,Dantem præceptorem, scriptis utraque lingua Latina & uulgari inclarescentem,proximè secutus Franc.Petrarcha,excussis Italicis Bibliothecis,incognitos ac neglectos ueterum Latini sermonis libros in medium legendos protulit,soluta & numeris astricta oratione, paulum se erigens ab ea obscuritatis literarũ humilitate: ea erat ingenij uis & celeritas,ut multorum scriptorum productis testimonijs, eruditius in omni uarietate morum & accuratius,sermonis iam habita ratione,quàm superiores scripserit. Conuersus autem ad illustrandam atque perpoliendam linguam uulgarem Italicam, elegans & eruditum ex ueterum scriptorum imitatione, Poema reliquit. Qua ætate præter multos qui literarum admiratione excitabantur,

Buryus

Richardus Buryus, Eduardi regis Anglorum Archigrammateus,nullis sumptibus parcens,emissis passim, qui omnis generis libros exscriberent, instructissimam Bibliothecam parauit. Io.Inde

Bocatius.

Bocatius antiquissimã Deorũ Genealogiã laboriosè collegit: & ad uulgarem linguã excolendam conuersus,soluta oratione purius atque elegantius, quàm suorum quisquam scripsit. Post consecutus

Rauennas.

Io.Rauennas,magno studiosorũ cõcursu primus in Italia docuit,è cuius officina multi literarũ professores exorti,Italiã plurimum illustrarũt.

Græcorum studia.

Græciæ interea debilitato finitimorum bellis et ciuilibus discordijs principatu, animos recolligere non poterãt, ut nulli propè ueteris disciplinæ memores inuenirentur. Qui sacris præerant,mediocri linguæ cognitione contenti,doctrinam mandandis ingenij cogitationibus non perinde requirebant. Itaque extremis his Græciæ temporibus emersit Maximus Planudes,qui

des,qui Epigrammata Græcæ Literaturæ generib. diſtinxit,amputatis ijs quæ laſciua nimis uiderentur : idem Latinis literis imbutus, pleraq; ex noſtris in Græcam linguam, conuertens, ſuos ab illa obſcuritate, ad doctrinæ & literarum ſtudia inſtauranda, inuitare hortariq; uidebatur. Poſt in Italiã uenit Emanuel Chryſoloras Byzantius,ac primùm Venetijs,deinde Florentiam euocatus,in magna admiratione & celebritate Græcas literas docuit: *Chryſoloras.* è cuius officina cùm alij quidã, tum Leon. Aretinus progreſſus, *Aretinus.* conuertendis è Græca lingua ſcriptoribus,intermiſſũ iam longo tempore hoc exercitationis genus reuocans,ſuorum temporum ſtudioſos homines multum adiuuit.Excitabat eos ſcriptorum,qui antiquiſsimis temporibus uixerunt,recordatio, quorũ conſilijs & ſtudiorum ſimilitudine,Græca Latinis utiliter coniũgi poſſe intellexerunt. Græci deinceps prouocati,ſua ſtudioſius *Græca Latinis coniuncta.* tractarunt,& Latinæ linguæ cognitionem eo conſilio ſunt perſecuti, ut in eandem promptius atq; fidelius ueteres Græciæ ſcriptores conuerterent,& Græcam linguam diſcere uolentibus, facilius eandem tradere poſſent. Celeriter elegantiorum literarum uſu percepto,ad omnem excellentiam ſtudioſorum cogitationes atq; cõtentiones impulſæ & cõuerſæ.Docebat in Græcia Georg. Gemiſtus, uir exquiſitæ doctrinæ, qui hiſtoriã diſertè *Gemiſtus.* ſcripſit,ac eruditos Philoſophiæ locos accuratè tractauit:quẽ ſui admirati,ſimilem Platoni atq; Ariſtoteli dixerunt.Hunc audiuit Beſſario,Platonis ſtudioſus.hic in Italiam profectus,eiuſdẽ Platonis defenſionem aduerſus Trapezũtium,qui Ariſtotelem tuebatur,ſuſcepit. Erat Beſſarionis domus quaſi quædam literato *Beſſario.* rum officina.Sed Ariſtotelẽ ſunt interpretati,Theodorus Gaza *Gaza.* libros de Animalibus, magna diligentia,pleroſq; alios Argyropilus Byzantius : horum acerrimis ſtudijs res omnis Literaria *Argyropylus. Characterum uſus.* magnum incrementum accepit, ſingulari characterum Germaniæ inuento accedente, quo protinus librorũ omnis generis maxima copia ad ſupplẽdas doctorum hominum Bibliothecas,eſt proſeminata:ut perpetuum illud ſit,clariſsimas quaſq; ætates ingeniorum monimenta inſtaurare:cui theſauro conſeruando honorarium eſt,Principes uiros certatim elaborare.Exortã hãc literarum cognitionem,præter Italicam,cæteræ etiam uulgares linguæ ſenſerunt,quæ iudiciorum diſceptationibus,ſacris ad popu *Vulgares linguæ.* lum concionibus, mandandis animi cogitationibus,atq; rebus geſtis, pro eorum temporum conditione deſcribendis, plurimum excoli cœperũt,ut unaquæq; ſuos ſcriptores haberet.Frequens uſus illius Poeſeos generis antea introducti,ad militares cantiones,ad Satyram illam & miſcellam carpendis uitijs com-

positam, ad Tragœdiam & Comœdiam, argumētis ex sacris atque externis historijs, etiam liberè fictis, & aliquo ingenio excogitatis ad oblectandam, erudiendamq́ multitudinem, petitis.

Literarum renouatio.

Protinus uerò ut Italia hoc Græcorū aduentu linguam utranq; coniunxit, nihil nō in omni genere ad ueterum præscriptum uoluit experiri: ut cum à tenuib. rerum primordijs, per omnes ætatis hominum gradus literata atq; erudita tempora fuerint progressa, hac ætate renasci renouariq́; contigerit. Quam ad rem nō minus præstantissima ingenia, propter summam rerum & linguarum difficultatē, in studijs doctrinæ cognoscendis operam nauarunt, quàm ueteres ipsi in ijsdem magnis contentionib. & diuturna obseruatione peruestigandis, laborarunt: propè ut eadem iterum inuenienda fuerint, libris amissis, & comprobanda, ijsdemq́; temporum iniuria corruptis, studiosè illustanda. Itaque renascentibus in Italia literis, uitiosam adhuc Latinè loquēdi & scribendi consuetudinem, ac unum Quintilianum, cui plurimum tribueret, deligens Laur. Valla, acer & uehemens, uti illa requirebāt tempora, censor, ad ueterem integritatem atq; elegantiam, magnis lectionum contentionibus, emendandam, reuocandamq́;, editis de Elegātia VI libris, docuit. Sed omnem Latini sermonis opulentiam exquisita uerborum interpretatione in commentarios retulit Nic. Perottus, uterq; Græcis literis doctus, in conuertendis scriptoribus se exercuit: ille Herodotum & Thucydidem, hic Polybium Latinis legendum dedit. Illustris Medicea Florentinorum familia, Cosmi auspicijs, ac Laurentij, conquirendis omni ex parte libris, atq; literatis hominibus retinendis & fouendis, laudabiles sumptus fecit. Per ea tempora uiri in omni doctrinæ uarietate commendantur. Nam Hermolaus Barbarus præter Philosophica, maximis studiorū laboribus, uaria scriptorum collatione, Pomp. Melam, Dioscoridem, & C. Plinium emēdatius legēdum proposuit. Excultioribus literis linguæ utriusq;, Ang. Politianus magno successu orationis solutæ & astrictæ numeris, in omni uarietate est uersatus. Ingenij celeritate ad omnem doctrinam comparandā natus Ioan. Picus Mirandulanus, uaria conscripsit. Io. Iouianus Pontanus, felici imitatione eruditè, eleganter, copiosèq; utroq; orationis genere graues doctrinarum totius Philosophiæ locos, & res suorum tēporum gestas, pertractauit. Horum multiplicibus studijs et conatibus, feraci ingeniorum ætate, ad omne genus disciplinarum explicandum, tractandum, locupletandum, magni uiri totius Italiæ incitati sunt, & præclarissima in omni uarietate literarum scripta, quæ in manibus passim habentur, reliquere. Itaq; in uniuer-

Laur. Valla. *Nic. Perottus.* *Medicea familia.* *Politianus.* *Picus.* *Pontanus.*

sum

sum(neq; enim nisi maiore instituto opere, hæc nominatim & plenè cõmemorari possunt) artes sermonis constituendi, Philosophia omnis, Mathematicæ disciplinæ, hanc tantam celebritatē assecutæ sunt. Præterea magnæ illæ doctrinæ, Medicina, Iurisprudentia, atque Theologia, purius, fidelius'que cognoscuntur, & apertis Græcorum fontibus, certius confirmantur. Eam ad rē inuētos characteres feliciter excoluit Aldus Manutius Romanus, Venetijs degens, è cuius libraria officina Græci atq; Latini scriptores omni Europa, maxima totius Literariæ professionis utilitate sunt dispersi. Erat hæc in Italia celebritas, cum Cisalpini (quos eosdem Romani Transalpinos dixere) tanquã ad mercaturam optimarũ artium eodem profecti, cognitis linguis, & translatis inde omnis generis uoluminibus, incredibili quodam discendi & literas tractandi desiderio protinus flagrarunt, diligentiæ, assiduitatis, constantiæ & successus magnitudine, multũ in omni uarietate elaborarunt: ut manifestum illud fecerint atque uerissimum, non solum loci Naturam, aut aëris, cœliq; temperiē, sed uoluntatem & animum, ad capessenda præclara doctrinæ studia omnino desiderari. Quo circa Latino sermoni excultiori facto, Grçcas literas coniunxerũt, studiose considerantes, quid haberet utraq; communitatis & cognationis, quanta rerum ubertas & affluentia peti ac hauriri è Græca posset, quantamq; ad Latinam perpoliendam & amplificandam opportunitatem omnes essent habituri. Itaq; communibus eiusmodi studijs, & maximis contentionum laborib. perfectum illud est, ut breui in summam temporum celebritatē omne doctrinarum genus effloruerit. Nam Britanniæ, Hispaniæ, Germaniæ & Galliæ, laudabili suscitata æmulatione, quasi de imperio & principatu in literis obtinendo, magnis animis cõtendisse uidentur: ut maior excellentum ingeniorum paucis his annis numerus extiterit, quàm ullius memoria factum legatur: simul & plures scriptores multis strenuè incumbentibus, è tenebris eruti sint, ac studiosè collatis exemplaribus emendati, quo grauis illa superiorum temporum iactura aliquo modo cõpensaretur. Patrum igitur memoria in Germanijs, disciplinæ Mathematicæ felici successu tradebantur, atq; exercebantur, quod ex magnis uiris ingenio & doctrina cognoscitur. Georg. etenim Purbachius omnem astrorum obseruationem ad expeditum, usum scriptis atq; instrumentis reuocauit. Præceptorem consequutus Io. Regiomontanus, plurimis commentarijs eandem locupletauit. Lustrarat Italiam Rodolphus Agricola, quo illius ætatis uiros doctos audiret, cum ijsdem dissereret, & sua studia cõ municaret,

Aldus.

Cisalpinorum studia.

Græcarum literarum cognitio.

Mathematicæ disciplinæ.

Purbachius.

Rod. Agricola.

municaret: factus iam instructior, eam partem obscurã, atq; minus ad usum paratam, quæ est de Inventione Dialectica, accuratissimè tractauit: sermonis Latini puritatem, & Græci cognitionem in Germanias transtulit. Sed Hebræam linguam maximis studijs, Græcam, atq; multis peregrinationibus exercitus, extinctam Pythagoreorum doctrinam cognouit Io. Capnion, editis reconditæ eruditionis libris commendatus. Antonius Nebrissensis, homo uariè eruditus, Hispanias ad literarum illustrationem cùm alijs scriptis, tum etiam Latinis uerbis in linguam uulgarem conuersis, uisus est inuitare. Lutetiæ Parisiorum omnes doctrinæ tradebantur, ut studiosis hominibus undiq; confluentibus, tanta fuerit frequentia, quantam ullam ætate uidisse traditur. Hic præter alios complures libris ex Italia translatis, & doctis uiris inde reuersis, nouitate ex illustratis literis uehementer ad easdem perdiscendas incensos, Iacob. Faber Stapulensis multo purius Philosophiam, excitato & in manus reddito Aristotele, cuius non perinde sentẽtiam assequi poterant, commentarijs omnia occupantibus, multiplici diligentia explicare conatur, atque dissentientes Philosophorum illius ætatis sententias componere aggreditur. His impulsi reliqui, studiosius rem omnem Philosophicam, cæteras disciplinas atq; facultates successu uario tractarunt & locupletarunt. Sed maximum dedere rebus literarijs ad omnem præstantiam efflorescentibus incrementum, Desid. Erasmus atq; Guil. Budæus. Ille quidem ingenij celeritate & facilitate, ad omnem studiorum uarietatem persequẽdam optimè comparatus, lingua utraq; feliciter percepta, Græcos scriptores conuertit, sacros immensis uigilijs laboribusq; emendauit, & in omni scriptionis argumento diutissimè uersatus, multiplex ac uarium opus Chiliadum, dispersam latissimè prouerbiorũ uim colligens, obscuraq; explanans, protulit. Hic uerò Budæus flagranti studio, lectionis diligentia & magnitudine, utriusq; sermonis Latini ac Græci opulentiam, uerissimumq; usum, in Commentarios retulit, accuratè & studiosè Græca Latinè reddidit, Iuris ciuilis doctrinam exquisita uerborum interpretatione, atque extinctam per multos annos rei nummariæ, ponderum ac mensurarum cognitionẽ laboriosè instaurauit. Quorum illustri exemplo, & continentibus exhortationibus æquales plurimi, ijsdem animis ad amplificandas literas communiter incensi, hoc seculum doctrinarum omnium celebritate & pertractatione, disciplinis ab ipsis fontibus, unde primum dimanarãt, purius haustis, nobilitarunt: ut tota Europa clarissimi literarum Doctores & Magistri sint, à quib. præclara ingenij & doctrinę monimenta, ue-

Capnion. Nebrissensis. Lutetia Parisiorum. Stapulensis. Erasmus. Budæus.

ta,ueterum omnium æmulatione feliciter ſuſcepta, hodie relinquātur. Excurrerem equidem libēter in res huius memoriæ, de omni Literatura uarias atq; multiplices,ne in ueterum immodica admiratione & occupatione noſtrorū temporum ſtudia imprudenter neglexiſſe ac prætermiſiſſe cuiquam uiderer. At memor inſtitutæ huius breuitatis, cum hoſce quinq; libros iam nimiū excreſcentes,ſatis multū literarū,quę animi mēi ſententiam de toto hoc ordine Vniuerſitatis rerū cōſtituendo,explicarent, in ſe continere cernerem: cumq; illa ſint in recenti hominum memoria poſita, longius mihi progrediendum non putaui: & fiet prima occaſione;cum meos hos iuueniles conatus ab optimis & æquiſsimis ſcriptorum iudicibus,nō omnino improbari cognouero.Itaq; curſim & carptim, ut erat inſtitutum, ijs commemoratis quę de Natura,Prudētia,Principatu,Sapiētia,& Literatura,ex omni uarietate literarum hauſta,delibataq;,ad hiſtoricam rationem poſſe reuocari uidebantur:extremum illud fuerit,finē eiuſmodi clauſula facere. Cum multorum inuentis atq; ingenij contentionibus proficiat quotidie hominum uita, & multiplici rerum cognitione diuinitus inſtruatur & locupletetur: magna fuerit noſtræ ætatis, ſi ipſi nobis conſtare uolumus,felicitas, ad quam maximis doctrinis informādam, & luculentiſsimis exemplis exornandam,præcellentes uiri ſuperioribus omnibus ſeculis elaborarunt.Quibus ijſdem proles illa futurorum hominum & acceſsione noſtrorum facta cumulatior, nihil eorum ad omnem præſtantiam eſt deſideratura, quæ communis Prudentiæ uſu & literarum monimentis abundanter continentur.

QVINQVE LIBRORVM TOTIVS
Hiſtoriæ Vniuerſitatis rerum ſcribendæ
FINIS.

CONCLVSIO totius Historię Vniuersitatis rerum, qua instituti huius ordinis rationes confirmantur.



TQVE HIC EST PROPOSITVS totius humani laboris finis, & perpetuus quidam cursus eorum omnium, quę percipi sensibus, lectione, & auditione: quæq; animo, cogitatione, ac meditatione cõprehendi possunt. Et de Natura quidem primo loco, deinde sequitur, explicãdi quod uolumus caussa, separatim de Prudentia & Sapientia: quarum discrimen certius inde cognoscitur, quòd ad Prudentiam comparandam quisq; hominum sua ipsius Natura, suis que præsidijs satis se munitum & instructum putet: neque ita magnopere miretur, qui eam sunt consecuti: quod uidere est in plebe, ut ex eadem quisq; se existimet satis idoneum rerum & consultorem & administratorem. Sapientiam uerò communiter omnes interiore quadam ratione plurimum suspiciunt, & maius quiddam esse censent, quàm quod sibi quisquam sine maiore doctrina ascribere audeat: ut illis qui eandem profitentur, in disserendo sponte cedamus. Præter id quòd Prudentia quodammodo Bonũ, in quo uersetur, respicit, Sapiẽtia Verum studiosè inquirit: aut quod Prudentia fortunæ ludibrijs sit exposita, at Sapientia imperium teneat & dominatum. aliud etiam est manifestum & obuium discrimen, ut qui multiplici usu rerum & tractatione licet sint cumulati, sentiunt tamen in sese ad perfectionem aliud quidpiam desiderari: qui uerò præclarissimis doctrinarum studijs animos excultos habent, aliud, quò ad certos rerũ usus accommodẽtur, requirunt. Quæ itaq; est uirtutis laus ac perfectio, omnis in actione consistit: & ne cognitio rerum, cõtemplatioq; Naturæ manca quodammodo sit, & inchoata, quo illa

Ordo.

Prudentiæ & Sapientiæ discrimen.

illa ueriſsimè comprobetur, uſum atq; exercitationem poſtulat. Hæc coniuncta magnum quiddam, numeris omnibus conſtãs, ſuisq; partibus completum efficiunt: cum ad præſtantem Naturam, ſtudiũ atq; exercitatio accedit: ut ad rationem animi cogitationum, corporis uirium actiones communi quadã ſocietate colligentur, nec minus ab utilitate honeſtas, quàm à corpore animus ſeiungatur. Sic connexis & colligatis inter ſe diſciplinis omnibus, illa quæ ſunt à Naturæ bonitate in nobis inchoata, quæq; diuturna hominum inter homines conſuetudine firmata, artib. ſubtiliter concluſa omnino perficiũtur. Eſtq; Natura, quo apertius demonſtremus, tanquã unum, conſuetudo, exercitatióq; ad Prudentiam obtinendam neceſſariò inter multos comparatur: ex conſenſione doctorum omnium multas per ætates conſignatę literis Doctrinæ proficiſcuntur. Ac fuit hic quidem in deprehendẽdo & notando, quem hoc tẽpore cauſsis iam à nobis ſæpius dictis ſequimur, cognitionis curſus. Sed conſtitutis iam diſciplinis, abſolutisq; & ad diſcendũ & ad docẽdum, quæ omnium ætatum memoria utiliter retenta eſt, & uſurpata, alia fuit progreſsio. *Diſcendi quis ordo.* Bonam quippe Naturam, dum pueros magiſtris informandos tradimus, protinus excipit Doctrina: inde digreſsis, ad rerum communium Exercitationem atq; pertractationem proximus fit tranſitus: quo illis duobus Natura & Doctrina ita coniunctis, uariè experiundo rerum Vſus certior ac uerior cognoſcatur & comprobetur. De quibus omnib. perpauca, ſi quis rei ſuſceptæ magnitudinem animo comprehendat: abundè multa, ſi quis rationem huius mei conſilij inſpiciat, dicta hoc breuiſsimo ſcripto uidebuntur: ut qui uolet ęquius de toto opere pronunciare, non partem aliquam ſeorſim, ſed ſcriptum in uniuerſum uno lectionis continenti decurſu, delecto ad id paruo tempore, quando omnia ſunt inter ſe colligata, euoluat & contempletur. Nemo enim prima fronte non uidet, quàm mihi facilè fuerit, multis locis ſingula rerũ genera ex tam multorũ ſcriptorũ, qui hodie in omni uarietate & copia habentur, in immenſum cõplere, atq; plurimorum exemplo longa rerum enumeratione & teſtimonijs undiq; excerptis locupletare. Sed à me nõ tam quæſitum eſt, ut contractione breuius ſingula dici poſſent, quàm ut inſtituti huius ordinis ratio patefieret & explicaretur, quo ita hoc ſcriptum legatur celerius, & inſtitutę huius hiſtorię ſumma, mente animoq; concepta, melius cognoſcatur: quando rei cuiuſque magnitudo legentis animum non modò abalienare, & multitudo quodammodo diſtrahere uidetur: ſed etiam, quod in primis cauendum, contemptum & odium plerunq; ſolet adferre. *Breuitas cur ſeruata.*

Ordinis commoditas.

Tantum poteſt commodus & diſtinctus ordo, ut quæ diffuſa latiſsimè patent, in anguſtum concludantur, quod in diligenti patrefamilias animaduertitur, qui cuncta ſuis conuenientib. locis ita collocat, ut minimum loci capere uideantur. Itaq; huic ordini plura ineſſe deprehendi poterit, quàm quis exiſtimet. Si quidem ratio habeatur eorum, quæ cum ſint communia, ſcriptores ſuis comprobandis, liberè petere ſolent. Vt facilius mihi fuerit, & certius multo ad rationem, qua communiter ſcribimus, unũ aliquid mente comprehendere, ſtudio & diligentia perſequi copioſiſsimè, quàm eiuſmodi quædam ſtrictim, & generatim, etiã mediocriter hoc ordine collocata, proponere. Verùm antequã huic ſcripto finem imponam, pauca ſubijcere uolui: tametſi multa dicenda eſſent, cum hæc ſit quaſi quædam conſultatio, ut quibus cauſsis adductus hanc tradendæ cognitionis rationem conuenientem eſſe exiſtimarim, plenius intelligatur. Scio ego, & uehementer, ut par eſt, admiror, ſtudiaq; plurimum cõmendo, multos ante me iudicio ætatum conſenſu firmato, maximis contentionum laboribus ingentia uolumina, è diuerſis linguæ utriuſq; ſcriptoribus, de omni parte doctrinæ diligenter, accuratéque comportaſſe, atq; diuerſas rationes ſuis temporibus conuenientes exquiſijſſe, quomodo hæc tanta rerum undiq; diſperſarum uarietas in aptum ac congruentem ordinem poſſet reuocari. Itaq; ut præceſſerunt, ita & conſequentur alij, qui non eodem, ſed multo maiore animo, atq; uiribus ingenij amplioribus certantes, rem longius promouebunt. His nanq; ſtudiorum incrementis dum prætermiſſa alij reponunt, alij confuſa diſtinguũt, alij obſcura illuſtrant, alij incompoſita expoliunt, atq; exornãt, literæ quicquid habent, id omne à diuerſis acceperunt, ut diſciplinæ omnes multis particulatim aut generatim ad priorum inuenta adijcientibus, ſint in eam quam conſpicimus amplitudinẽ completę & abſolutę. Præſtiti in hoc genere, ex oblata occaſione & longa meditatione, quod potui, pro ingenij mei, ætatis, atque ſtudiorum mediocri progreſſu: cum etiam ea præſidia nõ habuerim, quæ ſi in aliquo ſcripti genere, ad hæc tractanda ſunt omnino neceſſaria. Eum nanque rerum ordinem ſum ſecutus, ut etiamſi maximè uoluiſſem, non prætermittenda tamen fuerint, quæ quadam affinitate & cognatione iuncta inter ſe ſunt, atque ſimul colligata: ut non contigerit adhuc uidere ſcriptorum quenquam, eorum præſertim, cui ex inſtituta ordinis alicuius ratione plura ſint dicenda. Igitur cum in tantis difficultatibus plurimum ſollicitus uerſarer, confirmauit me pręter alia quædam, rerum hanc eſſe rationem, ut Medicus in morborum

Rerum multarum ſcriptores.

curatione

curatione nonnunquam ægrorũ conſilia admittat, nec contemnat, Hortulanus dicat interdum accõmodata, ſimul & in magnis Reipublicæ deliberationibus, humilium quorundam ſententiæ locum idoneum habeant, atq; homines prudentiſsimi ſequendas, minimeq; repudiandas iudicent. Nam in his meditandis & ſcribendis quo aliquid ſuccurreret, illud mihi præſcripſi, perinde ac ſi in conſeſſu literatorum multis deliberantibus ſententiæ etiam infimorum de contrahenda doctrinarum uarietate rogarentur, & de aliquo in his ordine conſtituendo, hæc dijudicanda proponerem. Itaq; cum principiò non exiſtimarem ſatis eſſe, hoc meum conſilium breuiter, ſimpliciterq; rationibus quæſitis confirmare, auſus ſum, hoc maioris operis documẽtum conſcribere, quo melius, adumbratione eiuſmodi facta, ijs quibus hæc ſtudia placere poterunt, ſententia mea conſtaret. Qua in re nihil præterea me aſſecutũ ſentio aliud, quàm quòd uarietati atq; magnitudini tam multarum rerum planè ſuccubuerim: atq; periculo facto didicerim, quàm difficile ſit tale quiddam, niſi maioribus ſtudijs & præſidijs, in manus ſumere: ut niſi cœpti operis ratio quædam me quaſi repugnantem in opere continuiſſet, hæc nunquam attigiſſem. Verùm coniunctam difficultati ſummam utilitatem perſpexi, ut quomodocunque res cederet, iaciendam eſſe aleam mihi perſuaſerim: nec committendum, ut quæ pro mediocri meo ſtudio communitati literarum, ad quam iuuandam cõuenit unumquenq; elaborare, uiderentur prodeſſe poſſe, ea adferre negligerem. His in ſuum locum relictis, ea iam perſequemur, quæ ſunt confirmationis huius tripartiti rerum ordinis.

Hiſtoriæ Vniuerſitatis rerũ confirmatio.

Quam ad rem diu multumq; cogitanti, uerißimum illud apud Comicum mihi uidetur: Nullum eſt iam dictum, quod non dictum ſit prius: adeò nihil tam remotũ cuiuſquã ingenio adferri hodie in medium poteſt, cuius non aliqua ſit in ueterum ſcriptis adumbratio: ut cum ijs occaſionibus, quas enumeraui, principiò incidiſſem in hanc rerum diſtributionem, eandẽ à me primùm excogitatam planè exiſtimarem, niſi poſtea in legendis ſcriptoribus hęc ipſa, quę mihi pręſcripſerã, locupletiſsimis ueterum atq; noſtrorum hominum teſtimonijs optimè comprobari poſſe deprehendiſſem. Quod cum facere aggrederer, nimirum teſtimonia eiuſmodi undiq; colligere, uiſus eſt mihi quiſq; ſcriptor tale quiddam in animo habuiſſe, ut nihil ſit tam recens à me allatum, quod idem non poſsit alicuius idonei ſcriptoris autoritate confirmari. Minus nanq; candidè faciũt, qui cum putant ſe primos aliquid adinueniſſe, cæterorũ ſtudia, qui in eo ipſo genere ſunt uerſati, aut contemnunt, aut doctrinæ opinionem minuunt.

Pauca rerum genera esse deligenda.

Igitur præter ea quæ suprà nos dixisse suis conuenientibus locis meminimus, quædam prętermissa hoc loco adijcientur, non ingrata studiosis huius partis doctrinæ futura. Constat, nihil esse accommodatius, quàm in contrahēda rerum Vniuersitate, paucissima genera deligere, quibus singula ordine subijciantur: multitudine & magnitudine rerum animus cuiusq; distrahitur, ut nec cognoscere uelit, nec cognita recordari satis possit. Qua sententia adducti, nec plura, nec pauciora tribus generibus, in tanta uarietate his quinq; libris comprehendēda esse statuimus. Quæ ab eadem trita, usitata, atque omnium scriptorum linguæ utriusq; consensione, iudicijs, firmata ratione, minimè recedunt. Nā studia humana qualiacunq; sunt, diuisione illa agendi Boni alicuius gratia, & intelligendi Veri proposita ratione uniuersa continentur: ut Natura sit tanquam utriusque partis subiecta, quam tractēt, & in qua uersentur, materia: cum eadem in nostra non sit potestate, sed diuina quadam de caussa insit nobis: qua impellente & adiuuante, ad agendum atq; intelligendum optimè sumus comparati: ut primum locum meritò illa obtineat: duæ inde partes consequantur, Prudentiæ & Sapientiæ, nomine, rerum quæ illis subijciūtur habita ratione, imposito. Et Aristoteles quidem triplicia uitæ genera statuit: unum improbat, quod in uoluptate positum, beluinum censetur: cætera duo admittit, quæ sunt ciuilis exercitationis, aut literariæ contemplationis. Quanquam mediocritate hac contentus, non institui in hunc præsertim locum, multiplicia rerum testimonia ad confirmationem, undiq; ex diuersis scriptoribus, ueterum ac recentiorum transferre: è plurimis quos in consilium adhibui, duos utriusq; gentis maximè idoneos & excellentissimos in omni doctrinæ uarietate scriptores proferam, à quibus triplex hæc meæ historiæ ratio ita expressa est, ut nihil nisi testatum & confirmatum me attulisse cognoscatur.

Aristotelis testimonia.

Ex his primus erit idem Aristoteles, qui circa extremam paginam librorum quos de Morib. scripsit, & in septimo de Republica, expressisse hunc ordinem conuenientissimè uidetur, cum inquit: Bonos ac studiosos alios Natura fieri, alios Consuetudine & More, alios Doctrina & Ratione: ut nihil potuerit ad hanc rem planius dici, & accommodatius. Etiam in libris de Rhetorica, secutus hanc sententiam, sic præfatur: Communiter omnes ui naturali ingenita, licet fortuitò, disserere ac dicere solere, alios usu rerū, cōsuetudine & exercitatione, ex habitu quodā, ut obseruatione præceptorum accedente, Ars, facultas & disciplina utriusq; possit institui. Quod ipsum repetit Diogenes Laertius, cum tradit Aristotelem aliquando rogatum, quibus præ

sidijs

fidijs summa eruditio posset comparari, tria hæc eadem similiter cōstituisse. Alter erit M. Tullius, qui in procemio librorū Rhetoricorū de Inuentione, cum Eloquentię primordia altius repetit, eādem nihil referre affirmat, siue appellemus artem & studium, siue exercitationem, siue facultatem à Natura petitam, ut tria hęc incrementa cognitionis aptisimè comprehenderit. Similiter in primo de Oratore ad Q. Fratrem, illud habetur: Ad maximam Oratoris uim facere, si rerum Naturam, mores hominum, atque rationes penitus perspexerit. Et in secundo, Antonius inquit: Ad inueniendum in dicendo hæc tria insunt, Acumen, deinde Ratio, quam licet, si uolumus, appellemus Artem, tertium Diligentia: quæq; his subijciūtur. Præterea in Bruto accōmodatè describit, inquiēs: Hoc uerò sine ulla dubitatione confirmauerim, siue Eloquentia arte pariatur aliqua, siue exercitatione quadam, siue Natura, rē unam esse omniū difficilimam. Initio utiq; orationis pro Archia, hoc totū aptisimè luculētisimeq; adumbrauit: Si quid est in me ingenij Iudices, quod sentio quàm sit exiguum: aut si qua exercitatio dicendi, in qua me non inficior esse mediocriter uersatū: aut si huiusce rei ratio aliqua ab optimarū artiū studijs & disciplina profecta, à qua ego nullū confiteor ætatis meæ tempus abhorruisse. atque ita tribus his capitibus in uniuersum omnia contineri, & ijsdem cuncta referri posse, non est qui dubitet. Ex laudationibus etiam id ipsum quod uolumus, colligere licet. quale illud est in primo de Oratore: Q. Scæuola æqualis & collega meus, homo omnium & disciplina Iuris ciuilis eruditissimus, & ingenio, prudentiaq; acutissimus. aut cum eundem M. Tullium laudans Q. Frater, commentariolum de petitione Consulatus sic auspicatur: Etsi tibi omnia suppetunt ea, quæ consequi ingenio, aut usu homines, aut diligentia possunt, & quæ sequuntur: ordinem in his Aristoteleum seruauit, quem historicū orationis cursum retinentes, hoc toto scripto quodammodo repræsentare conati sumus. Adferri plura eiusmodi testimonia possent: nisi in re satis constante & aperta, nimium occupari uiderer. Non tamen è multis undiq; eruditissimi medici Galeni prætermittēda sententia, qui initio lib. VIII. Cōpositionis medicamentorum ex locorum ratione, scribit, ingenio præstantes, ac ueritatis studiosos, ad rerū uitæ tractationē, naturale in nobis secuturos iudicium, ac exercitationi etiam doctrinam proximè cōiuncturos. Itaq; aliquanto melior uideri poterit seruatus hic rerum ordo, & ad omnia suis incrementis enumeranda accommodatior, quàm M. Varronis, qui cuncta uerba, quatuor rerum generibus constitutis, quibus referantur, subijcit. Primum genus est

[Ciceronis] [Galeni sententia.] [M. Varronis ordo.]

est Locus, secũdum Corpus, tertium Tempus, quartum Actio: *Aristotelis X. elementa.* siquidẽ non perinde res ad suos fines deduci possunt. Aristoteli ascribitur liber de Summis rerũ generibus decẽ: ex his duo genera quæ latisʃimè patent, Naturam primum locum, & Qualitatem secundum obtinẽtem, delegimus, ad quæ omnia reuocarentur: Sed est suum cuiq; in his probandis iudicium liberum, ut non omnino reprehendendus is sit, qui literis amplificandis aliquid disquisitione dignum proponere conatur. Minus autem huic loco uideretur cõuenire, uniuscuiusq; partis ex scriptorum testimonijs confirmatio: ut præter C. Plinij ingens opus, & li- *Naturæ ordo.* bellũ Aristotelis de Mundo, ordinem historię de Natura etiam ex M. Tullij eruditisʃimo loco, qui est in secũdo de Natura deorum, aut perbreui, qui est in quinto Tusculanarũ quæstionũ, æstimare me facilè potuisse intelligeretur: similiter ordinem histo- *Prudentiæ.* riæ de Prudentia, ex loco eiusdem libelli de Mundo, cum uitæ totius cultum paucisʃimis ita describit: Terræ cultura & consitio, artium inuẽtum, usus legum, Reipublicę administratio, publica negocia, bellum externum, atq; Pax: ut iam edita totius scripti huius prima adumbratione, cum incidissem in hunc locum, gratisʃimum mihi fuerit, hoc præclaro Aristotelis testimonio, omnẽ meam sententiã de hac Prudentię parte esse confirmatam. *Sapientiæ.* Sed ordinis rationem eius historiæ, quæ est de Sapientia, nondũ apud quẽquam comperi, ut mihi laboriosè fuerit inuestiganda. Itaq; cum alijs plurimis, quam non possum ex ueterum scriptis, doctorum hominum nostræ memoriæ expecto comprobationem: nihil enim nisi dubitanter de ijs constituere hoc tempore uolui, reputans animo quàm arduum sit, nouis autoritatem ac uetustis nouitatem dare. Liceat aũt, quando huc usque sum progressus, sine cuiusquam reprehensione, præsidia huius Vniuersitatis historiæ, etiam paucis aliquot propositis rationibus inqui- *Tripartita Philosophiæ doctrina.* rere, & aliquanto liberius usitatam illam triplicem Philosophiæ totius diuisionem à Platone primùm ex Aristotelis sententia, ut apud Eusebium legitur, deprehensam, sed, quemadmodum cõstat, ab Hebræis acceptam, & multa iam rerum tractatione confirmatam, huic ordini stabiliendo ita accommodare, ut magis eandem secutus, quàm ab ea recesʃisse cuiquam uidear. Nam ut Physices pars, Naturę, ita & Prudentię, ea quę de Moribus & uita tractat, non malè poterit, relictis aliquantum grauioribus illis & magis serijs disputationibus, accommodari. Quæ autem est de ratione Differendi tertia, utrisq; certius cognoscendis cõiuncta, si non in omnibus aptè & commodè, illud saltem concedetur, eandem ipsam facultatẽ uia, arte & ratione uerum in quaq; re exquirere:

re exquirere: quod totius Sapientiæ ut & tertia pars est, à nobis cõstituta, maximum atque præcipuum munus uidetur: est enim Dialectica disciplinarum omnium firmamentum, atque stabilimentum. Ita arbitror hanc Naturæ, Prudentiæ & Sapientiæ distributionem, ad ueterum præscriptum diligenter inquirentib. & excutientib. aptari posse: nihil adfero de cæteris duabus, quæ sunt aliarum comites, à quibus disiungi non possunt, neque separari. Quãdoquidem Prudentia est non aliter quàm quæstio infinita, rerum consultationem in uniuersum continens: Principatui uerò accedunt, ut finita sit, personæ, facta, res & tempora: quòd similiter in Sapientia atque Literatura cognoscitur. Huius loci etiam fuerit cùm ex alijs rebus, tum ex tripartita ratione eorum, quibus hæc communis uita continetur, perspicere hanc nostram in cognoscẽdo progresionem. Aut enim sensuum alacritate res omnes Naturæ, ut sunt, apprehendimus: aut sermonis singulari usu de ijs quæ sunt in Consuetudine hominum posita, colloquimur: aut præstantis animi mentisque dotibus in contemplatione Doctrinarum atque disciplinarum uersamur, quibus ijsdem à ferarum Natura sumus seiuncti atque separati. Inde proficiscitur populare illud iudicium, cum hominem ingenio præstãtem, sensum naturalẽ, cum usu rerum & tractatione exercitum, sensum communem, cumque doctrinarũ uarietate cumulatum, sensum studio ac diligentia conquisitum, & comparatum, habere bonum pronunciant. Sed decursionẽ ætatis hominum eandẽ rerum progresionem triplicem repræsentare, & adumbrare totam uidemus. Nam prima ætas affluentibus quasi recentis Naturę bonis fœcundior, & mollis cerę instar flexilis, res ad discendum & cognoscendum propositas, prehendit uelocius, & semel percepta memorię, qua excellit felicitate, retinet fidelius. Media autem quæ constans, & Iuuentus dicitur, animi atque corporis uiribus firmior & robustior, quæ à Natura sunt ingenita, uariè experiundo ad Prudentiam comparãdam, & multa aliorum atque aliorum accesione, sustinendis peregrinationum difficultatibus, accommodata complet ac confirmat. Extrema uerò, quæ Senectus, à laboribus propter imbecillitatem quietior, atque rerum usu & tractatione ad omnem cognitionem explicandam facta cumulatior, illustribus sententijs, quæ multarum rerum ueritatem in se contineant, utilibus ad uitam documentis & exemplis, quæ pręcellentem Sapientiàm referant, ita abundat, ut possit alijs commodè & sapienter, quæ facienda sunt, quæque dicenda, præscribere. Cernitur & in alijs perpetuus hic rerum cursus, sed in disciplinis maximè, cum unaquęque ad hunc tripartitum or-

Tria uitæ instrumenta.

Vulgare cognitionis iudicium.

Aetatum progreßiones.

Disciplinarũ pertractatio.

dinē poſsit non incommodè reuocari. Nam primùm illa uis & impetus Naturæ inquiritur ac perſpicitur: tum præceptorum omnis ratio, quæ Doctrina continetur, ſtudioſè cognoſcitur: dein uſus atque exercitatio ad omnem comprobationem adhibetur: quod in Sapientiæ deſcriptione pleriſq; in locis ſecuti ſumus. Verùm in hac ſcriptione res in uniuerſum continente, multorū reprehenſioni plurima erūt expoſita: cuiuſmodi illud eſſe poterit, quòd in negocijs atq; diſciplinis tractandis, licet in pleriſq; magnæ nobis curæ fuerit, nō ſatis aptas & congruētes Latini ſermonis uoces uſurpauerimus. ſed nobis æquiores futuri ſunt, qui conſiderabūt perdifficile uideri, etiā in ſuo quęq; genere præſtare illud poſſe. Ita magnum eſt, ſuæ ætatis, atque omnis poſteritatis iudicium ſubire: in qua cogitatione qui uerſabitur, adduci nunquā poterit, ut ſcriptum aliquod emittat. Sed cōſtitutioni huic triplici ea omnia inſeri poterunt, quæcunq; dignisſima cognitione humanum iudicium ſtatuerit, ſiue illa ſint literarum & ingenij monimētis prodita, ſiue in communi uſu rerum poſita, ſiue à quouis utiliter inquiſita & deprehenſa: quę eadem, omnia continentis Vniuerſitatis rerum nomine, libris quinq;, eo ipſo, quo iam diſtinximus, ordine cōplectimur. Quam ad rē inſcriptione quaſi pendenti uſi ſumus, De ſcribenda Vniuerſitatis rerum hiſtoria, inchoato operi nomen imponentes, ut liber nobis ſuperſit regreſſus ad ueniā, uelut amplificaturis, & emēdaturis, ni quid humanitus interuenerit. Igitur prima hæc ſcriptio Conſilium appellata, nō tam quòd ſim conatus explicare meam de ijs omnibus ſententiam, meumq; inſtitutum: quàm quòd ſcripturis in hoc genere, ſi quibus hæc ratio placere poſsit, materiā quandam ſubijcere uoluerim: quodq; ad ea certius cognoſcenda, tutius & conſideratius tractanda, admonitionib. doctorum mihi plenius ſcripturo ſit opus: cum de ſuis quiſq; difficillimè ſentiat ac iudicet, cumq; in nonnullis ab uſitata & iudicijs temporum confirmata ratione ſit recedendum. Ac ea ipſa de cauſſa meæ imbecillitatis conſcius, in his paucis ſcriptis multa dubitanter, parcè, timide, ac uerecundè attigi: interiores & reconditas illas literas, atq; grauiores in quouis doctrinarum genere controuerſias & diſputationes conſultò prętermittens, niſi Domini iuſſu falcem, quod dicitur, in alienam ſegetem nolens immittere. Quod ſi (ut certè exiſtimamus, licet non ſponte, nec ex induſtria) aliquot in locis alienam ingreſsis profeſsionem delinquere contigerit: meminerint ſtudioſi, nos iuſtum opus nō adferre: ſed de contrahenda rerum doctrina ſententiā eiuſmodi pro noſtra mediocritate exponere, quod non potuit fieri, niſi cœpta hac rerum enu-

Ad hunc ordinem omnia referri poſſe.

Conſilium cur appellatum.

rũ enumeratione: ut iam expeditũ cuiq; sit quæ in quib. locis desiderantur notare, quæq; commutari debent, ex his quæ proponũtur manifestius colligere. Est enim hoc Opus ex eorum genere, in quo multum studij & temporis ponendum sit, ut de ueritate cuiusq; loci, cum ipsis disciplinarum Doctoribus & magistris conferre atq; disserere utiliter in hac parte uersaturo, oporteat. Sed cum laudabilis ueterum in usu hodie non sit cõsuetudo, scripta sua in conuentu doctorum hominum ante editionem recitãdi, cumq; in multa exemplaria difficile mihi fuerit exscribere, industriæ Typographicæ opportunitatẽ sum secutus: ut si quid admissum sit, quod prouideri & caueri in tanta rerum multas in partes dispersarum uarietate non potuit, à pluribus facilius, hac editione publicata, corrigeretur. Neq; enim crediderim, tã multa accuratè perfectéq; à ueteribus sine aliena opera & beneuola admonitione, emẽdationéq; scribi potuisse. Certũ enim est, illos eruditis Anagnostis usos, qui non modò quæ uellent, expeditè legebant, atq; studiosè explicabant: sed etiam illis ut illustriores locos in scriptoribus passim inquirerent, mandabant: ita undiq; instructi, scripta lectione dignissima reliquerunt. Ac omnis hæc scribendi ratio talis est, ut pleriq; putent, nescio quo fastu & suæ industriæ quadam ostentatione unumquenq; adduci, non publicæ utilitatis caussa, ad quam omnia sunt referenda: quod ipsum si cuiquam promptius obijci possit, mihi ab eiusmodi uanitatis studijs alienissimo, hocce meo scripto poterit, qui sim ausus hac feraci præstãtissimorum ingeniorum ætate, in uniuersum, suis tamen occasionibus, quid de literis ac cæteris rebus dici posset, breuiter pronunciare. Sed in hoc multum me ea spes confirmauit, è multis non defuturos æquiores aliquot iudices, quorũ beneuolis admonitionibus in ijs omnibus, quæ per errorem & ignoratione dicta erunt (quod ipse mea relegens sæpius quàm uelim deprehendo) lubentissimè acquiescam: semper paratissimus, in melius sententiam commutare. Neq; ita sum mente captus, aut meis studijs tam stultè blandior, qui non putem etiam minimis quibusq; in rebus, & à quouis longè infra mediocritatẽ uersato, cognitu facilibus, potuisse hallucinari, falli, errare, atque decipi. Hominem me esse agnosco, cuius mens diuersis in rebus occupata, conuenientem rei unius cognitionem satis assequi non potuerit: & eum hominem, qui ad hæc conscribenda necessarijs, ut dixisse iam memini, præsidijs eguerit: cuiq; non sit dedecori, lapsum fuisse. quando etiam in uno aliquo doctrinæ genere magni quiq; non rarò falluntur: ut si quid in uniuersum scribenti factum sit eiusmodi, aut grauius etiam, maiore quadam uenia

Vetus ratio scripta recitandi.

dignum censeatur. Malos autem uituperatores, quorum turba referta omnia, ut effugere nullo modo possum, ita non magnopere pertimesco, qui se ipsos manifestè prodũt, cum re non satis intellecta, sola audita inscriptione Vniuersitatis rerum, nihil melius in eo ipso genere communitati studiosorum proferentes, quod uerum & idoneum reprehensorem facere conuenit, aliorum primis conatibus iniquissimè insidiantur: quorum si quis rationem habere uoluerit ullam, ad uitãdas hasce calumnias, expeditum illud est, eorum exemplo quibus ocium labore potius uidetur, nihil omnino in literis attingere. Quamobrẽ ut finẽ aliquãdo scribendi faciam (neq; enim carere potest reprehensione, tam multa, extremo presertim loco, dicere) ijs solis scriptum est hoc Opus, qui mecum beneuolè & amicè, communibus animis, habita summo Deo tanti beneficij de relictis disciplinis gratia, in his & inuestigandis & cognoscendis uoluerint uersari. Quæ eadem si fortè probabũtur, cũ incertum mihi sit, quam in partẽ sit quisq; accepturus, historiæ Vniuersitatis rerum pleniore & uberiore singulorum enumeratione, adumbratio poterit institui: pòst maiore opera, insertis passim rationibus, caussis, ac testimonijs, sparsis quoque conuenientibus locis, eruditis disputationibus, historiæ Vniuersitatis rerum quædam exædificatio cõscribi. Itaq; propter operis magnitudinẽ, sępius à cœpto reuocatus, satis fecisse uideri potero, si priorẽ illam partẽ, quam adumbrationis nominaui, ab eiusmodi primordijs, quę iam proponũtur, aliquando bene iuuãte summo Deo, possim meis his studijs persequi: aut saltem hæc ipsa modò edita, quantum per occupationes licebit, plurimis in locis, ut in tanta uarietate est necesse, certius emendare, aut aliquanto melius ad Latini sermonis ueritatem excolere: maiora interim illa, & doctrinæ amplioris, illis relinquens, qui magnos in literis progressus fecerunt, quibusq; matura est ætas, atque iudicij certiora sunt incrementa. Eo igitur consilio, angustam & breuem hanc totius deliberationis collocationem, in specimen & documentum futuri operis, è multis ac uarijs ad hoc facientibus commentarijs, maxima ex parte inter peregrinandum meditatis, & conscriptis, decerptam atque conclusam, passus sum in publicum uenire, quòd ad illa conuenientius distinguenda, uberius complenda, uerius'que comprobanda, doctorum consilium, annorum aliquot maior lectio, & longioris usus rerum ad confirmationem exercitatio, omnino desideretur. Itaque dum illa uariè conquirenda erunt, promptum fuerit ijs qui studijs eiusmodi fortè delectati, in animum inducere uolent, illa ipsa maioribus præsidijs locupletare,

Locupletandi huius scripti rationes.

cupletare, & perpolire, ut communibus animis, diuersis elaborantibus, perfectiora cum illa sint, quæ à pluribus scribuntur, Res literaria, cuius amplificandæ gratia par est omnes omnia experiri, maius incrementum atque ornamentum consequatur.

CONCLVSIONIS TOTIVS HISTORIAE VNIVERSITATIS RERVM FINIS.



ANIMADVERTENDA.

Primus numerus paginam, ſecundus lineam indicat.

2.21.*immenſi* 19.9.*quorum ſtudijs excitatæ Athenæ* 19.41.*imperio, prægrauante librorum multitudine* 35.24. *medium & maximum* 37.5.*coniuncta* 65.27.*harum* 70.9.*pro exhorreſcens, refugiens* 85.42.*ſuccos* 98.39.*ue natui* 100.1.*ad nauigia facienda ſe* 104.13.*cum ij qui ſunt eiuſdē* 109.42.*ui uentum malicia* 116.21.*ſe imitaturos* 139.31.*per Aſiam* 141.32.*deſponſam* 144.30.*Plebeij* 145.6.*Sed prægrauante interim Gallorū multitudine* 245.27.*Phocæenſes* 149.7.*Miſsi inde ſunt in Græciā Legati. ac paulo pòſt: Cū uerò ijdem Decemuiri* 150.22. *Democratia* 151.15. *pro quæ, lege, quando* 151.1. *Aglaophon* 153.38.*ſuperioribus prælio cum finitimis facto* 162.33.*ad arbitriū ſuum* 164.2. *nihil* 164.39.*conſpirarant* 165.9.*regni anno* XXXII 176.24. *impotentiſsimæ libidinis* 177.5.*quo Germanici filij bello ad Andernæ cum geſto* 228.4.*acceſsiones* 238.16. *concluſa* 249.16.*breuiter* 251.38. *humanæ* 254.8. *Fabularum) ad Homerum referri debet* 252.3. *A' Pherecyde* 258.37.*Lyſias) alius Lyſis fuit, Epaminondæ præceptor, quem Pythagoreum dicunt.* 259.41.*in Naturæ peruestigatione* 266.2. *trium linguarum peritus, &c.* 275.1.*cum, pro poſteaquā* 275.30.*interitum,* 275.35.*conferre* 185.40. *omni liberali homine digna* 287.42. *quidam* 290.9.*grandiore* 290.10.*& à Græcis, pro ac* 291.11. *Mathematicas diſciplinas* 296.29.*acceptum* 301.6.*Venetias.*

BASILEAE, EX OFFICINA
Ioannis Oporini, Anno Salutis humanæ
M. D. LI. Menſe
Martio.


ARION